EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBRI XII.

EIVSDEM QVAE PRAEfationes appellantur: cum noua quoque acceſſione.

Aus: Askam:

LONDINI
Apud *Robertum Dexter.*
1603.
Cum Priuilegio.

BRITISH MUSEUM

AD ILLVSTRISS.

ALBERICVM CIBO MALASPINAM.

MISSAE ET CARRARIAE Principem.

EX ijs artibus, quæ meritò Liberales appellantur, excellere duas in primis, Litterarum scientiam, & rei militaris præstantiam, in omni ætate omnium consensu iudicatum est: vtra verò ex his ipsis illustrior, vtra magis expetenda sit, & quæsitum aliquando est à magnis viris, & minimè tamen adhuc planè videtur explicata deliberatio. Nam vt otium, & pax sine quibus litteræ non consistunt, armis comparantur: tamen nec ipsa feliciter sapis arma tractantur, nisi adsint illa, quæ magna ex parte à litteris petuntur, consilium, ordo, prudentia, animi præterea ita ratione temperata magnitudo, vt, si cubi periculum occurrat, metus

pariter ac temeritas absint. Itaque constat, quæ nationes bellica gloria claruerunt, in ijsdem viguisse studia doctrinæ, vt in Græcia, quæ Persarum innumerabiles exercitus non modo sustinuit, verum etiam fregit, atque profligauit; ipsa verò numquam vinci, nisi à se ipsa potuit. domesticis enim & diuisa discordijs, & infirmata bellis non tam Philippi Macedonum Regis, virtute, quàm propriis perculsa viribus, afflictaque corruit; Romana verò gente, quæ fuit vlla vnquam gens, aut belli gerendi scientia, ac fortitudine præstantior, aut ijs præcipuè litteris, quæ rudes animos humanitate informant, exculta diligentius? hinc illa manus ducum excellentium, quæ Romani terminos imperij quam longissimè protulit, Catones, Aemilianj, Syllæ, Luculli, Cæsares, quos historiæ mirabiliter laudant, nec tamen ita, vt eorum merita laudes vllæ satis adæquare videantur. Agè, Macedonum tot victoriæ, tot militaria decora vnde fluxerint, si quis interroget, quid respondebimus? hoc primum, vt opinor, ab Alexandro duce: is enim Asiam perdomuit vniuersam, & ad intimos etiam Oceani recessus penetrasse fertur: deinde illud, à phalange quæ fuit acies in exercitu firmissima. quod vtrumque si spectetur, ac perpendatur accuratè, non exiguam fortasse bellicæ lau-

dis-

dis partem litteræ sibi vindicant. Nam Alexandrum à primis annis disciplina erudijt Aristotles, & ad eam tum animi, tum ingenij præstantiam, quæ postea res illas, omnium opinione maiores, & aggressus est, & confecit, præceptis philosophiæ pulcherrimis extulit. Phalangem verò, eiusque artem struendæ ab vno primum Homeri poetæ versu manasse, doctissimi homines memoriæ prodiderunt. Ergo vicissim & à litteris adiuuantur arma, & ab armis litteræ sustinentur. quòd si, vbi quæsitum armis imperium est, ibi artes illæ vigerent, quæ litterarum vsu cognoscuntur: conseruarentur facilè studia ciuium, ac populorum: & in communi omnium concordia, nullus vnquam externis viribus ad labefactandam publicam rem locus esse posset. quod contrà & in Græcia, & apud Romanos, & vbiuis gentium accidisse, atque accidere quotidie videmus. Neque solùm in vna ciuitate, aut in vna etiam gente multos, sed vix in singulis familijs singulos, qui vtranque laudem adamauerint, & in vtraque pariter excelluerint, reperire difficillimum est. vnum quidem non modò nostra tempestate, sed multorum sæculorum memoria historiæ celebrant, quem verò phœnicem inter omnes Europæ vniuersæ Principes licet appellare, Laurentium Medicen, proauum

tuum: cuius, nescio, plusne virtus in bellis, an in pace sapientia, ac moderatio inituerit. Nam rem Florentinam, sæpe aduersa fortuna nutantem, confirmauit, interdum malis propè extinctam vnus ipse non modò restituit, verum etiam vehementer auxit. tranquillis verò rebus, ornauit patriam, muniuit legibus optimis, atque institutis: iustitiam præter ceteros, ac temperantiam publicè, priuatimque coluit: liberalitate, si quis vnquam, delectatus est: cuius fama longinquas regiones peruagata, barbaras etiam gentes, & religione diuersas, illis concilianit, multòsque aliqua modò virtute, nobili ve arte insignes in orbem Florentiam perduxit. Et, vt alia vel in patriam, vel in singulas non vulgaria merita omittantur, quis miseram Græciam, suis sedibus Othomanorum iniuria pulsam, supplicem, atque egentem hospitio excepit, benignitate sublenauit, perpetuo studio fouit, ac tutatus est? vnus eam laudem sibi vindicat, vnus in Italia Græcas literas, & præclara doctrinarum studia Laurentius Medices excitauit: cum & ipse pro ea, qua excelluit, eruditione acerrimus esse ingeniorum æstimator, & naturæ quodam impulsu ad beneficentiam magnopere propenderet: vt mirandum minimè videatur, si, tanto patre genitus, domestico tam illustri exemplo commotus

Lor

Leo x. Pont. Max. omnes liberales disciplinas præmijs extulit atque ornauit amplissimis, effecitque vt aliquando Romam in vrbe Roma liceret agnoscere. In tua verò paterna gente Cibo, & in materna Malaspina, mirabilis omnium virtutum in omni ætate fuit exercitatio. Et, ne illa nimis vetera ex annalibus fide dignis repetamus, iam inde ab eo tempore, cùm Græcorum Imperatorum ætate, oppidum Pera, quod proxime Byzantium situm est, Genuenses obtinebant, quod tempore summis honoribus, & copijs maiores tuos floruisse constat: aut, cùm Mucius ille Cibo, planè alter Mucius in tuenda patriæ salute, triremibus priuato sumptu comparatis atque instructis, Pisanos, Genuensium rebus acriter infensos, in Sardinia profligauit: sexcenta præterea in Genuensium Rempub. merita, in qua etiam Guilielmus Cibo Cruce rubea, publico insigni, virtutis ergo decoratus est: hæc vt omittam, & illa, quæ auorum nostrorum memoria gesta sunt, attingam: Aranus, Aaron in historijs nominatus, equestri dignitate ornatus, Romani Senatoris titulo insignis, antiqua ille quidem suæ gentis nobilitate clarus, multo tamen suis laudibus illustrior, qui nihil vnquam in vita non egregium, non amplum, non ingenuo nobilique viro dignum aut cogitauit, aut

fecit, is, qua tempestate Renatus Andegauensis Alphonso Neapolitanorum Regi bellum intulit, in eo bello, quæcunque à summo duce munera postulantur, ea fortissimè præstitit, vsque eò, vt Renatus, Neapoli potitus, eum pro rege, iure summo, ac potestate amplissima constituerit, quo in imperio ita se gessit abstinenter, ita iustitiam est complexus, vt, cùm ad Alfonsum rursus victoria inclinasset, afflictis Renati partibus, exceptus ab illo sit honorificè in primis, ac splendidè: quémque apud Renatum antea, eundem apud eum, quem sæpe armis læserat, sæpe in discrimen vitæ adduxerat, & dignitatis & gratiæ locum obtinuerit. Ex hac tantarum virtutum præstantia filius eius, ad optimam naturam optima voluntate adiuncta, documenta sumpsit ad vitam laudabiliter instituendam, & ijs artibus excolendam, quibus postea maximam adeptus & virtutis, & probitatis opinionem, Pontifex, approbante Deo, fauentibus, atque incumbentibus hominibus, creatus est. Nec se postea, vt multi, sui dissimilem præbuit: sed, quantum antea contenderat, vt in studio virtutis omnes anteiret, tantum, vt se ipse in omni laude vinceret, & studuit, & consecutus est. Itaque quemadmodum ei non modò ad obtinendam Cardinalis dignitatem, verùm etiam ad Pontificatum,

antiqua

antiqua maiorum existimatio, & clariss. patriæ memoria quasi viam ex aliqua parte munyt, aditumque patefecit, sic patris deinde tui fratrem, multis illum quidem animi bonis ornatu, multo tamen facilius ad Cardinalatum egregia Pontificatus Innocentij fama perduxit. Hec est in tua gente, magne Princeps, non opum, ac diuitiarum, quibus etiam minimè digni sæpè affluunt, sed virtutis & gloriæ, perpetua multorum sæculorum serie quasi per manus tradita, & ad te ipsum vsque conseruata hereditas. Nec verò paternum tibi quidem genus prædicandum, maternum autem dissimulandum videtur. Vtroque licet, si vetera spectas, æquè glorieris. Nam Malaspinarum nobilitas simul & antiquitas Etrusci poetæ doctissimi, ac sapientissimi Dantis testimonio cognoscitur: nobilitas in eo, quòd illam Italiæ partem, quæ hodie Luneiana communi vocabulo nuncupatur, Malaspinis olim vniuersam paruisse tradit: antiquitas autem, quòd cùm ipse annis ante nos ducentis quinquaginta floruerit, Corradum tamen Malaspinam non vt ætati suæ proximum, sed vt multis antè sæculis natum, honorificè appellat. Vides, à quibus viris originem ducas, Alberice clarissime. Neque verò vides tu quidem, sed non imitaris, aut imitaris quidem, sed non assequeris

vis. versantur enim in animo tuo cogitationes egregiæ: inde emergunt præclara facta, tuis maioribus, téque ipso digna. &, quamquam tibi maximè propositum est militare decus, vnde primùm tuæ gentis nobilitas fluxit: magni tamen facis earum doctrinarum studia, quæ si ab sint ab hominum vita, simul absit omnis humanitas, neque satis diu, quæ merces virtutis est, recte factorum memoria conseruetur, faues ingenijs, vt audio: nihil deesse litteratis hominibus, nullum commodum, nullum ornamentum, pateris: cupis virorum illustrium res gestas æternis mandari monumentis litterarum. & vidi iam de Laurentij Medices vita libros tres, à Nicolao Crotto luculemter conscriptos: qui cùm superioribus diebus Venetias venissem, mira quædam de animi, ingenij, consilij tui præstantia, de studio erga nobiles disciplinas, præterea de humanitate, ac morum elegantia prædicabat, quæ cùm in te ipso bona sint, longè pluris intelligentium iudicio, quàm ea, quæ petuntur extrinsecus, æstimantur. nam argenti, atque auri magnam vim possidere, imperare populis, oppida tenere munitissima, clarum esse à maioribus, omnes penè Italiæ Principes, summos etiam Reges necessitudine attingere, magna quidem hæc sunt, nec tibi communia cum multis, eiusmodi

modi tamen, vt inter fortunæ munera referantur, quæ scis etiam ad tui dissimillimos pernenire: vitam autem sic instituere, vt omnia consilia, omnes actiones ratio moderetur, virtutem in se ipso expetere, in alijs diligere, adornare, velle inter homines eminere beneficentia potius, quam potestate: hæc quia partim sequeris, partim adeptus iam es, idcirco te verè diuitem, qui æterna bona tibi compares, verè nobilem, qui nobilitatem à te ipso hauries, existimamus. Atque etiam illa ipsa, quæ dixi à fortuna pendere, quia cum virtute coniungis, firmiora fiunt: quandoquidem neque tuas vrbes, tuamque ditionem mœnia potius, & aggeres, & flumina, quam populorum beneuolentia tuebitur: neque facilius vlla re, quam rectè factis, beneuolentia comparatur. Quæ sit autem eorum, qui propè adsunt, qui te quotidie intuentur, ad te diligendum propensio, nos, qui longinqui sumus, ex nostro in te singulari studio facilè iudicamus. nam me quidem, iam aliquot abhinc annis, ea, quæ de te adolescentulo, rerum laudabilium infinita cupiditas, & magnarum indoles virtutum ferebatur, in tui amorem atque obseruantiam cœpit allicere: postea, tuis laudibus cum ætate auctis, incensus ita sum, vt statuerim, tibi quidem primum, deinde etiam alijs, aut meum in

te

te celebrando ingenium, aut certè voluntatem aliquando ostendere. Quare, cùm hæc iam increbuerit consuetudo, vt de quibus optimè sentimus, ijs dicata esse, & eorum nomine insigniri nostra scripta cupiamus: mittendum putaui ad te, dum aliquid interim fortasse præstantius adornatur, volumen Epistolarum, & Præfationum mearum, quas ego nequaquam edere animum induxissem, nisi me suadentis, atque etiam petentis Venetæ, nobilitatis monuisset auctoritas. Quibus enim pro summis erga me meritis omnia debere mihi videor, ijs cur aliquid à me negari æquum putem? cur non obsequar amplissimis viris, non credam sapientiss. non gratificer amicissimis? Tuo verò nomini liber inscriptus vt exiret, fecerunt illa superiora: quæ ne te offendant, (quandoquidem sunt à me, non vt gratiam tuam ficta laudatione colligerem, sed vt omnibus mei erga te studijs causam verissimam exponerem, commemorata) cupio impetrare à modestia tua, & debeo scilicet, cùm etiam in ijs non tam ad laudandum, quàm ad cohortandum nonnulla pertineant: & currentibus ad metam, atq; etiam appropinquantibus, minimè molestas esse cohortantium voces, minimè plausum displicere constat. Venetijs.

CIↃ IↃ LIIX.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER PRIMVS.

RAINVTIO FARNESIO CARDINALI CREATO.

Romam. 1

QVIA virtus est ipsa per se amabilis; & quia nobilitati honor & obseruantia debetur; amaui te iam inde à tua pueritia, studio virtutis incensum; & colui, clarissimo genere ortum, Pauli III. Pontificis nepotem. iam tum equidem vidi, prædixique multis qui futurus esses: & nunc, opinionem, augurium q; de te meum exitu comprobante, vtriq; nostrum gratulor, tibi, cui tribuuntur ea, quæ semper illustria fuerunt, nunc eo magis, quòd à Paulo III. Pontifice tribuuntur, mihi, qui de tua futura dignitate, fretus indole, moribus, ingenio tuo, adolescens verè coniecerim. Cardinalis es. optabile, & honorificum: sed est in isto honore pondus, & labor: cadunt in eam, quam nunc sustines, personam virtutes omnes, atque ea cadunt, vt, si absint, is, qui honor est, honor esse desinat, vel si retiam summa deformitas. Curæ autem, & cogitationes illæ sunt præclaræ, illæ, Rainuti, te dignæ, æternaque cum gloria coniunctæ, pietatem præcipuè colere, excubare animo pro salute, ac dignitate ecclesiæ: beneficentiam sine spe præmiorum exercere: nihil

omni-

omnino facere, nihil cogitare, in quo ſtatim decus non eluceat: nam, vbi paullo videtur obſcurius, ibi ſatis conſtat turpitudinem ineſſe. quæ profecto tibi in mentem venire, atque ob oculos aſſidue verſari, cùm in aui tui ſummam gloriam intueris, neceſſe eſt. & omnino datum hoc veſtro generi diuinitus videtur, vobis naſcentibus heroum numerus vt augeatur, & quaſi maius lumen de ſublimi quadam ſpecula errantibus honeſtis diſciplinis viam, & hoſpitium oſtendat. ergo alter alteri exemplo eſtis ad bene agendum; vobiſcum ſimul & oriuntur virtutes, & cùm ætate creſcunt; donec vitæ munere perfunctos educant ex hac rerum humanarum tæterrima caligine, & in illa ſempiterna luce collocatos, cum illo bonis omnibus circumfluente cæleſtium animorum cœtu coniungant. Aut igitur mihi nullus tui cohortandi relictus eſt locus, aut hic tantum, vt velis eſſe tui quamſimilimus; quodque tuo generi, tuo nomini, tibi met ipſi, tuiſque debes inſtitutis, id cumulatè perſoluendum exiſtimes. Vnum exoptandum, vt, qui tibi iſtam mentem cum iſta auctoritate dedit, (dedit autem omnium auctor laudandarum rerum, & creator Deus) idem velit vtriuſque rei fructum eſſe maximo diuturnum, & æquare tuæ vitæ ſpatium cum ijs bonis, quæ in te ſumma contulit. profecto tales gubernatores, tam peritos, tam vigilantes, Chriſtiana religio ſi numquam non haberet; numquam illæ exoriretur diſſidentium opinionum horribiles procellæ: quæ iactare multis abhinc annis Petri nauem cœperunt, neque dum conſiſtere patiuntur. quo quidem libet ominari te idem planè, quod cupio; futurum, vt optimis artibus, quamdiu vixeris, præſidio ſis, & ornamento; vitam autem, quamdiu vel temperantia duce, vel naturæ lege licet. Vale, Venetijs.

ALTON-

ALFONSO CARAFÆ CARDINALI CREATO. Romam.

Solent esse, quæ minus expectantur, lætiora. nihil tamen ista, qua te auctum nuper accepimus, dignitate neq; magis expectatum apud eos, qui tua studia, tuos ad virtutem præclaros impetus noverant, neq; incundius, aut lætitiæ maioris vnquam fuit. nemo enim dubitat, quin eum qui te nunc ornat, honorum ornaturus aliquando sis, eximia tua gloria bono publico cõiuncta. quò te hortari res ipsa non patitur. nam, si attendes diligenter, & considerare cum animo tuo, adhibita in consilium ratione, volueris, primùm illud, quis te Cardinalem creauit; deinde, quæ Cardinalis partes, quam graues, & laboriosæ, quam eadem honorificæ ac splendidæ sint; postremò quibus temporibus hæc tibi sit imposita persona, quàm alienis à virtute, quàm turpi omnibus in locis omnium pæne scelerum labe fœdatis: profecto ipse te, nullo cuiusquam hortatu, à te ipso de tua laude admonitus, excitabis ad excellentem omnium artium honestarum cupiditatem: quæque his artibus aduersantur, abjicies, atque contemnes, neque solum eo viro, quem in posterum præstare debes, qualémque te fore omnes augurantur, verùm indigna prorsus homine iudicabis. Vixisti semper antea laudabiliter: fuit in puero pudor: est in adolescente probitas, est perfecta pæne ratio, & expetendarum vitandarúmque rerum scientia: desiderari videbatur, in qua te ostenderes, occasio. delata diuinitus est omnium maxima singulari consilio summi Pontificis Paulli 3 v. qui cùm sit patruus parentis tui; cùm te ab ineunte ætate non mediocriter dilexerit; cùm omnes suos incredibili quadam complecti caritate consueuerit: tamen in te honestando alia quædam

secutus est: dedit honorem non propinquitati, aut familiæ, sed tibi ipsi, qui familiæ nomen studes illustrare &, quo modo principia se dant, studium cõ probabit euẽtus. En habes Alfonse campum, in quo tua virtus, parta vigilijs, bene agẽdi consuetudine iam confirmata, excurrat. hæc est illa, ad quam te exercebas, quò tuæ spectabant curæ, tuo ingenio, tuis optimis cogitationibus, ac studijs dignissima prouincia. ostẽde, quæ tuæ sit uõ modó voluntatis, verúm etiã industriæ præstãtia; & prome ex animo tuo illa præclara, quæ vt antiquum gentis tuæ decus, ac domesticam præsentẽ virtutem referres, á pueritia collegisti. Non est, mihi crede, labor ei, qui bene sentiat, bene facere. quod enim positum est in nobis ipsis, non alinnde pendet, non extrinsecus assumitur; in eo, quid obstat, quo minus voluntatẽ res ipsa consequatur? Iam, ipsa virtus inuitat, ipsa allicit, atque afficit sui studiosos omni voluptate omnibusq; præmijs. nec dubito, quin excellens animi tui vis omnes difficultates, omnia superet humana. Quare gratulor equidẽ tibi tua causa, de isto quo te extulit Paulli Pontificis diuina sapientia, honoris altissimo gradu: sed me mouet aliquãto magis publica res: quam tu, traditã tibi simul cum ista dignitate, atq; commendatam, sæpe, ac nunc quidem maxime, talium virorum ope indigẽtem tueberis non omni vita; præsidiumq; eris in te situm aduersus iniustitiã impietatémque firmissimum. Quæ si tibi magna videntur, atque gloriosa; debes animum sic instituere, ac moderari, nihil vt ad te ipsum referas nihil ipse tibi arroges, aut à te ipso expectes: manasse à Deo cuncta puta, qui perennis & ternusq; bonorũ omnium est fons. nos enim vt nos nihil sumus; aliquid autẽ, atq; adeò plurimũ, vt à Deo, & per Deũ, esse possumus. Vale. Venetijs.

STEPHA-

STEPHANO SAVLIO Deccentinum.

Magnum est hoc, Sauli clarissimè, humanitatis & amoris in me tui argumentum, quod cum in istis locis nunc sis, vbi multam diei partem cum singulari viro Cardinali Polo, gauissimis, sanctissimisque sermonibus traducas; non modo tamen de me cogitas, quo ego vno contentus esse poteram verum etiam id ipsum mihi declarandum litteris existimes, at quibus litteris? scriptis mehercule, quod ad verba attinet, elegantissime: quod ad sententias, prudentissimè: vt ijs legendis non magis amarem amorem tuum, qui te ad scribendum impulerit, quàm eloquentiam suspicerem: quam effeceras, vt illa ipsa, quæ scriberes, cum ornatiora essent, amabiliora quoque viderentur. Quare, cum tibi ago gratias, vt debeo, immortales, quod ita animatus in me sis: tum vero etiam atque etiam te rogo, in quo me ambitio quædam mouet, vt, id, quod facis, perpetuo facias: quantum enim putas ad meam laudē interesse, cum hoc percrebescit, me á Stephano Saulo diligi: cuius est familia perillustris: qui suæ ipse familiæ clarum lumen est: quem præclari illi viri, eius consuetudine, & conuictu magnopere delectati coluerunt, Flaminius, Bonamicus, Iulius, Camillus, Longolius; Hæc ego. Sauli, cum aliquot abhinc annis cogitarem: semper quidem, vt à te diligerer, optaui: vt vero etiam laudarer, optare fortasse potui, sperare cum ipse me nossem, certe non debui. at tu in hæc parte mecum sanè perliberaliter egisti. scripsisti in hac Romanæ linguæ facultate, non mihi neminem præstare sed id, quod ego cum legerem, erubui, neminem esse, cui non ipse antecellam. equidem vt, quod res est, aperiam, fateor à prima pueritia iia me in literis esse versatum, vt vnam

maximè spectarem eloquentiam, vnam colerem, vnam admirarer. atque hoc me studio satis mea spõte flagrantem, a cuius inflammabant ij, qui tum homines viuebant, Bembus, Sadoletus, Bonamicus: quorum nomina per orbẽ terrarum celebrata sermonibus, & scriptis exstingui nulla vetustate posse intelligebam. Polus hic nõster, qui nunc in omni laude, omniq; virtute tantus est, suis me scriptis capiebat atque afficiebat maximè. ego tum, vt erat ætas mea, præter verborum, & nonnullarum sententiarum ornamenta, nihil agnoscebam. purè, & eleganter scribere putabam esse id, quod vnum si assequerer, excellerem. sed Rhambertus meus, qui ex Gasparis Contareni, præstantissimi viri, consuetudine prudentiam hauserat, præclara quædam notabat in Polo; meque paullo ætate iuferiorem, ex vulgata venalium magistrorum disciplina rudem, atq; impolitum, erudiebat, & cõformabat exemplo, tum quidem, quantum proficerem, non me pœnitebat: & ex ijs, quæ feceram, fundamentis aliquid eiusmodi, qualè ego vellem, excitari aliquando posse videbatur. sed in rebus humanis, quis est, cui nihil vnquam secus accidat? cum in eloquentiæ studio multus esse, nec satis valetudini parcerem, incidi in morbũ, qui cúm esset perse grauis, tum eo factus est periculosior, quód, vsu mihi librorum á medicis interdicto, magna sanè est animi mei affectio, atque ægritudo consecuta. post biennium deniq; valetudine recuperata, cúm præteriti temporis iacturam sarcire diligentia vellẽ, ad pristina redeuntẽ exceperunt domesticæ controuersiæ: quas neque sedare minimo negotio, neque negligere sine graui mearũ fortunarũ exitio licebat. his quoq; me difficultatibus aliquãdo is, cui omnia debeo, eripuit Deus. Lucem iam, quasi diu per tenebras errassem, videbar adispicere;

adspicere & quanquam, multorum annorum amisso fructu, erat sanè cur ingemiscerem, vitamque mihi haud satis iucundam putarem, tamen, otij spe recreatus, facilè impetrabam à me ipso, vt ex animo meo superiorum molestiarum, atq; incommodorum memoriam obliuione delerem. Vigebat item, vt antea, pristina illa cura: nec erat quidquam in meis consilijs antiquius, quàm vt additas atque amplicatas in mente cogitationes non modò aperire, atque explicare verbis, verum etiam exornare, quasiq; pigmentis & coloribus illustrare possem. res erat nec exigui temporis & maximi laboris. tempus non, quantum rei magnitudo ferret, suppetebat; cum ex vetere patris instituto in hoc imprimendorum liborum munere, & restituendæ antiquitatis cura distinerer, laborem autem, vel si abundarem tempore, perspecta valetudinis meæ ratio recusabat, vtrumque tamen cum voluntas vinceret; quotidieque aliquot horas, occupationibus ereptas, stylo darem: ecce me nescio quis, homo certè satis fortuna felix, præmijs commotum, & blanditijs captum, atque irretitum, Romam adduxit. vbi cum aliquot menses non in ijs quæ semper amaueram, litterarum studijs, sed inani officiorum genere consumpsissem; & ille, quem secutus eram, montes aureos pollicitus vix minima præstaret; collegi ipse me: neque solum studiorum meorum, quæ intermiseram potius, quàm dimiseram, verùm etiam rei familiaris, cui nisi consulerem, ipsa quoque iacere studia necesse erat, habendam mihi rationem duxi. quo consilio in patriam reuersus, retuli me omnino ad veteres meas tum regendi, tum scribendi exercitationes: sed tum in domestica re constituenda, tum emendandis antiquorum libris districtus, postea verò etiam erudienda duo decim nobilium adolescentium

Academia per triennium occupatus, quantulam habuerim excolendæ facultatem eloquentiæ, quantumque in tantis temporum augustijs per eam, quam ingressus eram, Latinè scribendi viam procedere potuerim, facilè, vt opinor, est existimare. Nosti tu, Sauli cuius acies ingenij etiam ea, quæ occultissima sunt, assequitur, primum cuius prudentiæ sit, quale illud est, quod imitatione fit optimum dijudicare; deinde cuius industriæ, quod optimum iudicamus, id re ipsa consequi, quod vtrumque cùm sit difficillimum; id quod, vt vides, ætate nostra optimorum scriptorum penuria declarata, cùm tamen, qui hoc ingenere elaborent, plurimi sint, satis equidem mirari nō possum, cur tu me in epistola tua sinum feceris in eloquentia, dederisque id, quod ego si accipiam, mei sanè dissimilimus, hoc est imprudens plane sim. nam, vt cætera, quæ dixi esse ad studium huiusce laudis necessaria, mihi non defuerint; quæ vtinam mediocria fuissent: temporis quidem, vt paullo antè expositi, multo minus habui, quam res tanta postulabat, fatum in hoc singulare meum est. vt otio numquam abundem. abundem autem? vtinam non semper indigerem maximè. nunc ad occupationem etiam accessit solicitudo: quam mihi ex immaturo Cardinalis Mafæi, diuini hominis, interitu exortam, vtinam aliquando dies exstinguat: ratio quidem hoc nondum potuit. ille mea studia fouebat vnus; ille mihi otij spem dederat: & fecisset, quæ animad benignitatem propensior, ille me vbi opus esset, auctoritate ornabat, consilio monebat, re sustentabat, quid plura? in illo mihi erant omnia, & cum illo mihi omnia petierit. quare non tam mihi cogitandum est, vt opus vniuersum de Romanis antiquitatibus, quod tu dilaudas illo auctore institutum, possim absoluere, quam vt

vt partem aliquam, iam confectam, liceat perpolire. quod ipsum, si mihi nunc per meas occupationes liceret, hic tamen, qui me vexat, dolor certè non concederet. ac mehercule hæc ipsa, quæ tu nunc legis, irrigaui lacrumis. cùm scriberem: nec putaui fore, cùm tot curis distinerer, vt possem scribere: sed magna vis amoris est, magna obseruantiæ erga te meæ. ea fecit, vt hoc officium rebus omnibus anteferrem. Aduentus tui iam aliquam nobis exspectationem amicorum sermo commouerat. eam tu quòd litteris confirmes, valde lætor. cupio enim tuam tum humanitatem, tum prudentiam, quarum altera tibi ab hominibus amorem, altera etiam honorem conciliat, in consuetudine & sermonibus te gustare. me autem quòd huius concilij præcipuam tibi aiis esse caussam, facilè patior mihi hoc à te, viro grauissimo, persuaderi, amoq; mirabiliter animum, atque amorem istum tuum, cui respondere officijs etsi difficile est, perpetuo tamen studio, & singulari quodam obseruantiæ genere, vt spero, tibi satis faciam. Vale. Venetij.

EIDEM
Decemiano Gemmam redemit.

Etsi multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime Sauli, vt respirare vix possim: tamen, vt litteris tuis, amantissimè scriptis, aliquid responderem, abieci omnia, & officium, quod tibi à me debetur, habui antiquissimum. Video te miro quodam veteris eloquentiæ amore, ac studio teneri. significant hoc studia tua, declarant scripta, sermones vbique non obscurè testantur. ne tu rem pulcherrimam diligis: cuius me quoque forma cepit adolescentem: & de voluntate illa, vel cupidi-

tate potiùs, tantum abest, vt dies aliquid detraxerit vt cum ætate simul amor creuerit. quare, cum tibi ego tam multis in rebus concedam; patere, obsecro te, in hac me vna riualem esse tuum, nec tibi vel tantillum omnino velle concedere. sentimus enim idem, quod tu, nihil esse speciosius eloquentia, nihil præstantius: quam, vt ipse nosti, amarunt ætate nostra, atque appetiere quamplurimi; potiri autem, vt mihi quidem videtur, adhuc nemo potuit. quis enim Latinæ orationis laudē non magnopere diligendam dixit? quis porrò rationem, & quasi viam, qua pernire ad eam liceat, nobis indicauit? nam, qui se ita exercent; vt ex veterum scriptis & membra, & integrum quandóq; cōprehensionis corpus sua in scripta transferant; non equidem eos reprehendo; siquidem perfecti similitudinē quandam sequuntur; sed, quia perfectum ipsum non attingunt, in magna laude non posuerim. Obsecro te, Sauli, qui iudicio excellis, quid tibi de Christophoro Longolio videtur? equidem, si quando, quid de scriptis illius existimē, interrogor, ita soleo respondere, exilem esse in sententijs, non luculentum in verbis; vt tamen de eo, si vitæ contigisset vsura diuturnior, bene censeam sperandū fuisse. sed, vt nunc est, mea quidem sententia, nullus est. quid enim affert exquisitum, quid singulare, quid non vulgatum, non ex quotidiana consuetudine, vsuq; sumptum? At scribit interdum & de rebus familiaribus, & ad familiares. Quid tum? quasi non vel in obscuro argumento possit ingenij lumen elucere. Nam, quod in eo verborum circuitus sæpe à Cicerone totus est: si consultò fecit, quòd inde laudem sperarit, iudicium requiro. etenim, aliena quæ sunt, ad nos translata stultè iactamus: vt neminē laudare soleamus, quia pulcher, quod accipitur à natura; aut quia temperatus, quia iustus, quæ posita sunt

in

in nobis ipsis. fin, quod potius existimo, inops à Latina lingua explicare animi sensa aliter non potuit; necessitatem excuso: nec tamen, quod faciebat, diutius eum puto facturum fuisse, qui enim in illo otio Patauino nihil ageret aliquid quâ vt se tum eloquētiæ copijs, quæ philosophiam ornant, tum earum artium instrumento, sine quibus muta silet eloquētia, locupletaret; vtriusque studio facultatis consecutus esset vt suis quasi opibus abundans, de alieno quotidie parcius assumeret. cuius autem generis ea, quæ moriens reliquit, scripta sunt abesse cum iudicio ab ea specie, quæ est in scribendo optima, longissimè, qua de re cum aliquot abhinc annis in conuentu amicorum sermo esset ortus, memini dissentire à me amicum hominem, & erudirum: qui Ciceronis in libris diu, multumq; volutatus, tamen Longolium suspicit. aurea videlicet cùm assiduè tractet, ærea non internoscit, itaque, paucis post illum sermonem diebus interiectis, cùm epistolam ad me misisset, in qua ita scripsit, nihil sibi tam accidisse mirandum, quàm quòd à me audisset, cum dicerem, mihi Longolianæ scripta nou admodum probari: nihil rescripsi, quod homini quinquagenario insitam opinionem non speraui me posse euellere. & sunt omnino quædam res quas vbi sensu & iudicio ipsi non percipimus, atque assequimur, nulla satis oratio probabit; vt cum Anaxagora, niuē atram iudicante, fruſtra de albedine disputares. Improbas igitur, inquies, ab antiquitate scribentes mutuemur. Ego vero, si apte fiat, etiam summè probo. sed hoc ipsum Apre, quā difficile sit, ex eo licet cogitare, quod Latinā linguam contineat vniuersam: vniuersa enim sub imitationē cadit, imitandi autem ratio, quia & multiplex est, ad modum recondita, primum de ea præcipere figillatim, infinitæ doctrinæ est; deinde, quæ præcipiantur cog-

noſcere,& perfecte exſequi,non mediocris ingenij. Cumque id quod enitet in oratione, aut in re videatur eſſe, aut in verbis: ego olim rem ſignificatam ſimul cum verbis ſignificantibus ſumebam; eaque meis ſcriptis cùm inſeruiſſem, tum optimum illud. quod quæritur imitando, plane, arbitrabar me eſſe conſecutum poſtea cœpit mihi meum conſilium diſplicere: cogitaui, quoniam id eſſet memoriæ magis, quam ingenij; quod ego efficerem præſtare, multos poſſe; quo autem muti poſſent egregium non eſſe. Tum iniui rationem haud paullo difficiliorem, quam cùm paucissimis mihi eſſe communem intelligebam. exquiſitas ſententias, de Cicerone exceptas, aut de Terentio, taceitus in animo verſabam. eas ornabam verbis quàm potetam lectiſſimis, vt quaſi veſtitu orationis mutato,cum eædem eſſent,aliæ tamen viderentur. Erat non diſſimilis in verborum figuris commentario ſi quas notaueram illuſtriores,ad alias ſententias ita traducebam, vt interdum, eandem locutionem in res prope innumerabiles accommodans, quaſi ex vna cera puras imagines, nec tamen eiuſdem generis, effingerem. In hac exercitatione quantum eſſet, vtinam aut mature cognouiſſem aut ſero cognotum, auideque arreptum vis occupationum non exterſiſſet. equidem ſi quis me neget in ſcribendo quidquam eſſe non pugnabo: ſed ſi quid ſum,ab hac vna eſſe contendam. Tibi gratulor. Sauli,qui & vis, quod ſentis eſſe præclarum, & quod vis, nihil impedit, quo minus præſtare poſſis. otij enim tantum habes, quantum ſtyli exercitatio poſtulat, abundas,vt animi ſic fortunæ bonis in quibus ipſis(Zenonis pace dixerim)non minima, his præſertim temporibus,ad virtutē vis eſt. ingenio vero ita flores, vt tuam maximè conſuetudinem

propterea experierint ij qui ipsi ingenij gloria
præter ceteros excellere putabantur. atque vtinam
ea, quæ litteris mandasti de homine Christiano, a-
liquando emittas; vt opinionem ac sermones de te
meos res ipsa confirmet, quòd breui futurum facilè
spero recipis enim te nunc in villulas tuas, hoc est
in summum otium: vbi enim nullam tibi horam à
studijs vacuam abire patiar; (sic enim & á multis
antea cognoueram, & postea Coccius noster con-
firmauit) expolitionem intra paucos menses ex-
spectamus operum tuorum. qua de re vt interdum
me Decij nostri litteris certiorem fieri velis, etiam
atque etiam rogo. Pontificis legatus, Ludouicus
Beccatellius homo antiquæ probitatis, humanitá-
te, ac doctrina præstans, post obitum Cardinalis
Mafæi ita me complexus est, vt omnem in meis com-
modis atque ornamentis curam & cogitationem
fixisse videatur. cui non tam à me gratiæ sunt ha-
bendæ, quod agit ipse quantum potest, ac plus eti-
am, quàm potest, quam, quod alios etiam, magnos
& principes viros, ad me augendum, atque honestã-
dum suo exemplo, atque auctoritate vehementer
excitat, qui cum multi sint, tua tamen inter omnes
elucet liberalitas: qui, re vix audita, amore in me
tuo, studio erga litteras incitatus, tantum tua sponte
ad hanc prouinciam conferre velle pollicitus es,
quantum ex animo meo nulla vmquam delebit ob-
liuio. Valè tuamque valetudinem. cum tua, tum no-
stra etiam, qui à te pendemus, causa diligenter cura.
Venetijs.

EIDEM, Genuam. 5

Magnum mihi solatium attulit epistola tua, iucun-
ditatem dicere non possum: quam tempora eripi-
uut, sic, vt me tristitiæ totum pænè tradiderim. Ac
primum, obijsse audio fratrem meum Bononiæ,

cum

cum valeret optimè, repentino morbo oppressum fratrem cum dico, me alterum iure naturæ dico. verum addo illud. obierit, si vera narrantur, frater is, qui bonitate præstabat, valebat ingenio, excellebat industria, factus ad omnia maximè omnium videbatur itaque obruor dolore: nec, puto, emergã. nisi aut, illi melius esse cognouere, aut, si naturæ satis fecit, opem tulerit ipsa dies, quæ valit ad omnia plurimũ, animi vero morbis plus etiam interdum, quàm ratio, medetur. Ad hanc ægritudinem accedunt domestica, meaq; propria. vxor, cuius præcipuè studio res familiaris, ac domus tota nititur, quæ me multis molestijs, multarumq; rerum & curarum onere leuabat, quæ meam valetudinem præsenti semper officio tuebatur, ipsa nunc iacet, periculi non expers, affectus diuturno morbo viribus, ego vexor acerbissimè anniuersarijs oculorum doloribus: quos sanare cum iam pænè tentata sint omnia, humanæ artis esse non puto. remedia sunt ab vno illo, qui malis cunctis medetur, cælesti medico expetenda. is mihi optimam, vt spero valetudinem aliquando restituet si hoc minus, muniet me saltem ea virtute, qua res aduersæ facilè perferuntur. ita salus ex morbo nascetur, non, hæc, qua corpus viget, quam ego adhuc omni remediorum genere frustra quæsiui, quæ cum ipso corpore paucorum annorum spatio penitus extinguetur, sed illa multo præstantior, qua nostræ mentes, cùm sese ab hac terrestri labe seiunxerint, & cum purissimo illo cælestium animorum cœtu consociauerint: perpetuo fruentur. interim, tot in me concurrentibus malis, ægrè impetum sustineo, planeq; quoniam homo sum, debilitor aduersis. Hic tu me vocas ad scribendum, & hortaris, vt ea tradam litteris, quæ assiduo Latinæ linguæ vsu, & diuturna tibi videor exercitatione consecutus. Vis,

mo-

me ſcilicet, optime Sauli, eam viam, quę ad eloquentiam ducit, aperire; ſpiſſum opus, ac difficile, multi otij, tranquillæ mentis, non noſtræ fortunæ, cuius tibi imaginem oſtendi, neq; noſtrorum neruorum, quos tu putas eſſe ſatis firmos; ego, quàm ſint imbecilli, experior ſæpe, ac ſentio. At erunt præclari conatus, etiam ſi non ſuccedat, Si ita eſt, hac laude nemo excluditur, poteſt aggredi, qui vult. velle autē quis nō debet? ſiquidem egregia cupientem, aliqua vel ex hoc ipſo gloria cōſequetur. te, ſi quemquam, Sauli doctiſſime, te, inquam, ipſum decet maximè omnium id ſuſcipere, quod mihi imponis. quæ enim ſunt ad hoc munus neceſſaria, quorum alij alia deſunt, ea in te vno abundant omnia; ingenium, vſus diuturnus, doctrina, iudicium, quid? opes, & fortuna numquid hunc pertinent? illæ verò, mea ſententia, vel maximè. curſum enim ingeniorum retardat, vires debilitat, ac frangit inopia. an tu putas Ariſtotelem, & Platonem, illa Græcia lumina, an Ciceronem noſtrum, an Plinium tam multa potuiſſe litteris mandare, niſi ſummum illis otium rerum omnium affluentia peperiſſet? domi alebant ſeruos eruditos: contubernales habebant, eximijs præmijs accerſitos ex vltimis terris, rhetores, hiſtoricos, præſtantis ingenij, ſingularis doctrinæ philoſophos. cum his ſe quotidie exercebant, commentabantur, diſputabant. horum omnium opera, quatenus liberet, vtebantur, at ego ſumptum vnius pueri, minima mercede conducti, quo in ſcribendo vtor, ægrè ſuſtineo. Et in his anguſtijs, in hac mea tam tenui valetudine, tam aduerſa fortuna, quia rudes homines, veteris eloquentiæ cupidos, meis ſcriptis non erudio, nec in rectā Latinè ſcribendi viā induco appellas me quaſi malum debitorem, atq; etiam accuſas verbis tu quidem humaniſſimis, & alieno, vt

videris homine, te tamen ipsa grauiter, &, vt ego interpretor, tuo iudicio: quod vereor in primis faciog; sicuti debeo, plurimi. veruntamen videre te puto, quam facultatem res desideret. quid autem præstari à me possit, nemo omnium, qui viuunt, me ipso melius intelligit. quare noli mihi languorē, aut desidiam objicere; quæ abesse procul à me, qui anteactæ meæ vitæ cursum inspiciet, atque examinabit, facile cognoscet. satis habeas, si nemo istam in te culpam conferat. qui cum ingenio præstes, ætatem omnem in Latina lingua contriueris; ex quo factum est, vt eam perfectè calleas, id quod tuorum scriptorum subtilitas, & elegantia declarat; cùm valetudinem non desideres, otio pæne diffluas: addo etiam illud: cùm optimè tibi cum fortuna conueniat; quæ tibi de suis bonis tantum elargita est, vt erogare quantamuis pecuniam in homines doctos eorumq; studia nullo tuo incommodo possis: hæc cùm in te sint omnia, eaq; vt ego arbitror, summa, non minima quidem certè: abstines tamen ab hoc munere, & hortatis alios nulla tibi re præterquam voluntate, & studio, conferendos. Quis non miretur sitire fontes? sitiunt enim certè. cùm tu petis à me tanquam ex aridò solo, quod in te ipso vberrimum esse constat; & cùm ad nostram potiùs inopiam confugere, quàm tuis copijs vti vis. Hoc loco mihi venit in mentem, tuam quoque causſam, non modò meam, meditanti, quod tu fortasse respondeas. Distingues illa superiora: negabis in te vno esse omnia, quæ dixi esse de Latina lingua scribentibus necessaria. de fortuna concedes: patet enim: etiam, opinor, de valetudine, de otio: ingenij laudem & doctrinæ, quæ tua modestia est, abs te rejicies: fortasse etiam, quæ tui est in me animi propensio, quæ humanitas, ad me transfe-

res.

res. Nolim equidem tecum, Sauli, ne in tua quidem laude contendere: verum, quod tu mihi de te ipso non credes, credent alij verumque fatebuntur, adducti in hanc sententiam, ac planè confirmati, non auctoritate mea, quam tamen, in his præsertim elegantioribus litteris, in quibus iam tot annos versor, non esse, nullam intelligo, quam tuo ipsius testimonio, quod habet ponderis apud bonos ac sapientes viros in omni re plurimum, te iuquam ipso teste locuplete, cui fides habenda videatur, probabo tuam virtutem. Oblitus ne es, aut oblitum me putas illius temporis, cum tu librum tuum de homine Christiano mihi ostendisti? bone Deus, quam in illo multa præclara, cuius industriæ, cuius prudentiæ, quàm à te grauiter, quam copiosè, quam splendidè tractata. neque vero ego vnus illum librum, videre alij, vidit qui vir & quantus, Reginaldus Polus Cardinalis, qui potest esse instar omnium, quem tu profecto iudicem in re tua numquam recusabis hunc ego audiui, audiuere multi, de tuo interdum libro loquentem, ornabat laudibus. (& est homo, vt scis, natura simplex, rectus, cuius ab intimo sensu numquam ne minimum quidem aut vultus, aut oratio discrepet) quid plura? conferendum cum antiquitate iudicabat. Quamobrem redeo illuc, & concludo paucis, Magni facis eloquentiam. cupis eam cognosci, cupis amari, & colie, regia cupitas, nobili sanè viro digna. verum, vt tibi satis facias, & inuenias exitum studij tui, elige de duobus vtrum vis, aut ipse qui potes, ostende nobis latinæ linguæ pulchritudinem, ac præstantiã: doce nos, doce posteros, quæ si eius adipiscendæ & perfruendæ ratio ineunda: aut si quos existimas hoc præstare posse, excita eos liberalitate, foue tuis copijs: noli pati, animum eorum

hac

hæc & illa cura distrahi; sit intentus, & fixus hoc vno in studio; neq; abducat eum ab opere pulcherimo, ac nobilissimo, humillimæ interdum rei, turpis & sordida procuratio, ita cõsequeris facile, quod vis; optimisq; studijs & posteritati magna tua cum laude consules. illa, quæ scribis de Leguleijs quibusdã, in meum librum de Romanis legibus, detrahendi studio, incurrentibus, legi nullo cum stomacho: nec sum miratus, à barbaris hominibus, sordido quodã litterarum genere assuetis, elegantioris doctrinæ scientiam & quasi lauditiã quandã studiorum contemni. Non placet istis meus liber: magnis videlicet viris, quorum fama ædium illarum, in quibus ipsi habitant, limina nondum est egressa. at placet vincentio Portulacæ, cuius est in vrbe Brixia insignis auctoritas, illustre per Italiam nomen; placet Antonio Augustino, marco Antonio Nartæ, Lælio Taurillo, Vido Pancirolo, iuris vtriusque scientia claris: quorum nomina, scriptis egregijs testata virtus, atque expressa, cum æternitate coniunget. hos ego meorum laborum, & vigiliarum laudatores cum audio, viros graues, & certos, omniumque nobilissimos, voculas raucæ plebeculæ cõtemno; quidq; leues, & obscuri homines de me sentiant, aut loquãtur, non esse mihi valde laborandũ existimo, te quoque sperabam in meis præsidijs esse, &, si qui vrgerent grauius obsistere, impetumque inuidiæ, & maleuolentiæ tua auctoritate, ac testimonio frangi. quod si facis; fructum fero meæ singularis in te obseruantiæ, & habeo tibi, quam debeo, gratiam: sin minus, hoc tamen nomine tibi debeo, quod meos obtrectatores flocci facis, vique eò, vt indignos, quibus respondeatur, existimes. Vale. Venetijs.

VIDO FABRO. Patauium. 6

Nescio

Nescio, vtrum fortunæ succenseam, cuius culpa factum sit, vt ego tuas litteras duobus fere mensibus post eum diem quo tu scripseras, acceperim; an eidem gratias habeam, quòd mihi, arculam quandam scriptorum meorum euoluenti, planéq; aliud agenti, de improuiso illas obtulerit. gratias habebo potius; quòd eodem tempore simul cum iniuriæ beneficium accepi; & iniuriæ beneficium præferri, æquum est. sed, quoniam vereor, ne tarditatem in scribendo meā durius acceperis; hunc tu mihi scripsulum, Vide, si ex animo euelleres, faceres humanè, nec tamen iniquè: cum hoc ipsum, quod commissum à me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde nunc quidem etiam corrigatur. Venio ad tuas litteras: quibus mihi gratius nihil potuit accidere; dicerem, iucundius, nisi clausa illa de Bunello meo planè omnem iucunditatem eriperet. nam sic fac existimes, ex illius viri interitu tantum me cepisse dolorem, quantum fortasse dies exhaurire nulla poterit. Vixerat mecum Venetijs per quadriennium: cùm ego in illo probitatem morum, virtutemque diligerem; ille in me propensionem, credo, quandam ad litteras non improbaret. Interceslere etiam inter nos officia quædam, sed à me leuia, nec satis digna, quæ memoria tenerentur: quæ tamen ille, vt erat gratus, non meminisse solum, sed predicare etiam solebat, ego ab illo maximum habebam beneficium, quòd me, cum Philelphis & Companis nescio quibus (vt alijs parcam) misere errantem, in hanc rectè scribendi viā primus iuduxerat. Videbatur quibusdam natura seuerior; sed erat leniissimus erga sui similes, hoc est erga bonos viros; vbi vitium noffet, censor acerrimus. Distinguere homines nō fortuna sed moribus solebat. Loqui ad voluntatem neq; ipse poterat, neq; ferre, qui ad istam artem eruditus esset:

totus

totus erat apertus et simplex. Satis scio fuisse, qui illum depravatæ religionis nomine in crimen vocauerint, quorum vitam si cum Bunelli vita conferrare, Socratum diceres iniquorum conspiratione circumuentum. Coluit omnes virtutes & philosopho dignas, & homine Christiano, sed continentiam præter ceteros hac verò illa triumphauit maximè, & triumphauit adolescens, cum cæteros voluptas capit: quo mirandum est minus, si tantus postea vir ex tanto adolescente factus est. nam extremam vitæ partem, quam, vt in fabula dictum, decet esse perfectissimam, heroicam audio fuisse, & plane diuinam. Quare incumbamus ô Vide, & hanc operam Bunello nostro nauemus, vt illius nomen, immortalitate dignissimum, extingui mortale cum corpore non sinamus: quod equidem eniteor, & hominis mihi amicissimi, summi viri memoria (si modo is ego sum qui tantum præstare possim) profectò ab interitu vindicabo. Video te in tuis litteris idem velle, nec dubito quin, possis. nam & Bunellum amas mortuum: & vales plurimum ingenio, quod etiam pietas excitabit, cuius officij societas eo gratior vtrique nostrum esse debet quod, cum apud alias laudabilis maximè erit, illustri exemplo gratiæ referendæ: tum ad animos nostros amore coniungendos, æternaque necessitudine conglutinandos, plus valere nihil potest. Reliqua erant in epistola tua magnifica quædam & eleganter scripta de laudibus parentis mei, quæ verissima faceor: quædam etiam de me ipso, quæ non agnosco. nam etsi tibi nobilissimo adolescenti, multis non solum fortunæ, sed etiam naturæ doctrinæque bonis ornato, & quod caput est, virtutis amanti, placere maximè velim: tamen quia nemo adhuc à me hoc impetrauit, vt ea mihi adiscerem,

quæ

quæ mea non essent; patere, obsecro te, de me ipso mihi potius me credere, quam tibi; quod si, cupidum esse laudis, laudem esse vis, isto me licet nomine non contemnas: quod ea, quæ habent ij, qui laudabiles dicuntur, ego, eadem vt haberem, semper laboraui, sed scis, velle & perficere, non idem esse. Alterum contingit multis, alterum duntaxat rjs, quos dij diligere putantur, quorum ego te in numero, optime Vide, præstanti natura præditum, Bunelli præceptis informatum, confido facilè futurum Vale. Ven.

MARCELLO CERVINO
Cardinali, Romam.

Posteaquam Roma discessi, etsi tum mea vetus in te obseruantia, tum tua in me perpetua benenolentia postulare videbatur, vt ad te quam sæpissimè scriberem: tamen id non feci, propterea, quod omne otium, atque omnem etiam mentis tranquillitatem molestiæ in primis adeuerunt occupationes: quarum me cum primum huc reuerti, tantus æstus absorbuit, vt longo interuallo vix emerserim: nam primum domesticas res ita malè affectas offendi, vt eas sernare multi temporis, non exigui laboris, etiam alicuius artis esset; deinde, cum illa, quam scis in meis epistolis nutu tutum appellari, inimica natio virtutis, ac diligentiæ, quæ etiam patri meo, viro optimo, (& adde, si quid vis) negotium exhibuit, ad me vexandum, atque opprimendum conspirasset: durius habui negotium, vt meas fortunas in tuto collocarem, sed me, qui antea præsto mihi semper affuit laboranti, idem in hoc potissimum discrimine egentem opis & consilij, nec mediocriter de toto rerum mearum statu sollicitum respexit ac liberauit Deus. Itaque omni plane molestia perfunctus esse mihi videor, quid quæris? aliqua etiam officij specie ab ijsdem obseruamur

ac se satis aptè similationis, vt opinor, artificio mentur, accipere tamen quod datur, quocunque animo detur, insciticæ non est. nec hodierni mores, & ratio temporum secus postulat. Cætera sunt in meis rebus, non plane cuiusmodi nos aptabamus, sed cuiusmodi tamen multi non sperarunt: quibus hæc, quæ nunc agimus, amplissima videntur esse, cum nos præijs, quæ, nisi quis casus nostris consiliis occurrerit, agere aliquando cogitamus, tenuissima iudicemus, quam quidem ad rem, quòd tu omnia, quæ in te sunt, liberalissimè polliceris: quodque Alexandrum etiam Farnesium & præstantem omni virtute Cardinalem, in eandem rationem propensum esse affirmas: equidem de te sic existimo, & multas esse res, in quibus iuuarià te pro tua summa, tum dignitate, tum etiam fortuna possim: & in iis rebus nunquam omninò mihi tuam esse humanitatem defuturam. Farnesium autem, diuinum adolescentem natum ad liberalitatem, & ad gloriam, non miror eo esse erga virtutem animo. quo quia semper fuit auus eius, id circo ad eum gradum qui est in terris sumus, & augustissimus, diis hominibusque volentibus adscendit, ac sanè ille cùm domestico exemplo, tum multorum etiam magis, egregia ipsius natura ad immortalitatis laudem excitatus, sæpè alias, quanti bonas artes faceret, ostendit, sed proxime vel in primis, cum Hyeronimum Ferrarium, iuuenem rarissimæ virtutis, sane quam pro eius meritis ornauit atque auxit, in quo cum apud vnum posuisse beneficium videatur, à multis tamen gratiam iniuit: nam, cùm vos, tales viri, patrocinium litterarum suscipitis: quicunque bonis artibus delectantur, animo recreati, veniunt in spem aliquando, fore vt, post diuturnos labores, & molestiarum quasi tempestates, in quietis & otii portum

vobis adſpirantibus, deferantur: quos ſi in curſu ſtudiorum inſtituto veſtræ benignitatis aura deficiat, hærebunt, neque iam poterunt, quo intendebant, ſine ope auxilioque veſtro peruenire, verùm huiuſmodi dubitationem veſtra iam conſuetudo ſuſtulit, magna enim optimæ voluntatis documenta ſæpiſſimè dediſtis, maiora etiam dare cogitatis: cùm quidem, vt Antonius Bladus ad me detulit pulcherrimã rem, & vobis digniſſimam aggreſſi, omnes libros Græce ſcriptos, qui nunc in bibliotheca Palatina conditi aſſeruantur, prælo ſubiicere cogitetis: vt multiplicatis exemplaribus, per orbem terrarum, in vſum omnium gentium omniumque ſeculorum, diuulgentur; cui ſe muneri Bladus à te eſſẽ præpoſitum aiebat itaque veniſſe ad nos, vt & eos typos, quibus atramento illitis charta imprimitur, conflandos curaret, & ſi quæ præterea ſunt ad opus neceſſaria mutaret, ſane ſum lætatus plurimum, hominèmque ſua ſponte diligentiſſimum, tamen cohortari nondeſino, vt in ea re quæ ad commodum ſtudioſorum, maxime verò ad tuam vt ego ſentio, gloriam ſpectat, operæ ne parcat: eique dixi, vt ad omnia me & fratribus vteretur. neque minus prolixè, quæ verbis pollicitus ſum, vbi ille petierit, præſtabo. nam & hominem diligo, & vero tua voluntas maximi eſt apud me ponderis. In Romulo quidem tuo, quem initio ſum complexus in fratrem tuum, deinde amare cœpi vt te fratre dignum, nihil prætermitto, quod aut in officio cohortandi, aut etiam in ſtudio iuuandi poſitum ſit, ſed ille, cui notiſſimæ ſunt occupationes meæ, pudore credo facit, vt rarius ad me ſcribat: cum mihi vel in maximis negotiis ei vacare, non modò non moleſtum, ſed et ã gratiſſimum ſit, quod tu, ſi videdebitur, ad illum ſcribes: ſimulque litteris admonebis, vt, quo conſilio

Patauium est profectus ad studio & diligentia consequatur, nequo tamen hoc dico, quòd eum adhuc quidem lapsum esse putem: de quo etiam ea, quæ volumus, & videmus, & audimus: sed quod infirmitatem eius ætatis cum recorder, interdum vereor, vt possit consistere, Vale. Venetijs,

BERNARDINO MAFFEO
Episcopo creato, Romam.

Vbi te audiui Episcopum esse creatum, lætatus sum non tam ob ipsam rem, quæ sane est per honorifica, propterea quod Episcopatus & sacerdotium est & maximum sacerdotium: quam quia de te ipso cogitans intelligebam te eum esse, cui ad istam honestandam dignitatem summa facultas in optima voluntate non deesset. Tibi erunt quæ multis solent esse laboriosa, virtus, & vigilatia, ex tua vetere consuetudine facillima, non enim honorem, quasi legem bonitatis, ad quam te fingeres accepisti: sed ad honorem bonus accessisti, multis antea, magnisque rebus Paulo iij probatus: cui Pontifici? omnium sapientissimo, & optimo: qui non probat nisi sui similes. Gratulor igitur tibi, non vt gratulantur ij qui fere, quibus fructibus auctus sis, vnum cogitant cætera magnoperè non spectant, sed vt ij, quibus dignitas, & religio prima sunt: quæ tu coles maximè, & eris in Christi militia antesignanus, grauem sane personam Episcopi sustinetis. Vestrum est, errantes animos in viam reducere, & reducitis vos quidem præceptis diuinæ doctrinæ tradendis: sed magna vis est in exemplo, cùm ea quæ traditis, ipsi vita & moribus exprimitis, quod tu præstabis vtrũque omnium maximè: qui & habes non doctrinam modò, verum etiam eloquentiam, quarũ altera imperitos erudias, altera languentes excites: & viuis, vt homo satis excusa culpam, quod memini me multis

alibi

abhinc annis in tua prima adolescentia miratum: cùm ea in te laudarem, quæ tamen imitari vix poteram quod fecisti adolescens, cùm tua te singularis, optimàque natura ad decus inuitaret, & quasi manu prehensum duceret: nunc, ætate confirmata, cùm ad voluntatem accesserit ratio, dubitem quin idem multò sis alacrius constantiùsque facturus? dubitet, qui te ignorat: mihi, cui tua studia, tui sensus ex nostra familiaritate notissimi sunt, dubitare non licet. Quare, vt ad prima redeam non eo solum nomine tibi gratulor, quod episcopus es, in summa dignitate constitutus: quod tibi scis esse commune cum multis, sed quod is es, qui tum ista dignitate virtutem æquare possis: quod quia vides, quam non multi potuerint, eò magis tu, qui potes, hoc ipsum, quod potes, acceptum Deo referre debes tantumque munus in te collatum, illud quidem plurimi facere, sed, quoniam est proprij ergà te amoris argumentum, muneris causam multo quam ipsum munus, pluris æstimare. Vale. Venetijs Kalend. Maij. MDXLVII.

GABRIELI CATIANO *Brixiam:*

Epistolas à te habeo duas, vtramque scriptam elegantissimè, sed illam pleniorem, quam XI. Kalend. Sept dederas; non hæc recentior, cui Nonarum Oct, dies erat adscripta argumentũ habuit ferè nullum, venio igitur ad priorem: in qua cætera iucundissima, illud permolestum, quod te minus commode significas valere: scribis enim, valdè te ob aduersam valetudinem vereri, ne non illud, quod instituisti, absoluere ac perpolire tibi liceat, Mi Catiane, excitat prudentiam tuam: & occurre morbi principijs: ne ille grauior deinde factus, & te, & amicos tuos, qui te ægrotante, valere non

possunt, diutius vexat. Hoc loco mihi veniunt in mentem, quæ tu me olim, minus recte cum haberem, prudentissime & amantissime monuisti. illa, illa ipse tibi nunc in memoriam redige: & quæ tuæ tunc partes erant, eas nunc fac esse meas. Tu mihi non ex Hippocrate, aut Galeno, sed ex veterum philosophorum libris ea remedia, quibus ad salutem meam præstantius esse nihil potuit, attulisti, ego nunc idem in te facio, tuamque tibi medicinam restituo, vis, quæ meum morbum te medente, sanarunt, ea tuo ipse in morbo prætermittere non vis opinor. non enim id te dignum est: qui ea sæpe legisti, vnde homines alijs cauere cum discant, sibi eos non cauere turpe est, quare adhibe eam, quam ad omnes res soles, ad te curandum diligentiam, & quod oneris suscepisse rescribis, id si grauius videtur, quam vt perferre possis, depone prius, quam opprimare, magnum est, quod moliris, & magni non solum ingenij, quo tu non eges, sed etiam otii: quo nisi abundas, quo modo te speras, ea quæ in Iure ciuili dispersa sunt, quæ scis esse minime pauca, primùm posse cogere, deinde coacta ita disponere, vt ex certis generibus totum ius ciuile cognoscatur? atque ego tamen sic existimo, si quis est qui hoc præstare possit, aut eum te esse, aut omnino neminem: sed quoniam res & fortunæ tuæ, quem ad modum tu quidem affirmas, ita ferunt, vt in forum tibi necessario sit eundum: quæ ratio, si modò & tibi & populo placere velis, multi temporis exercitationem desiderat: hæc autem quæ à te est iuris ciuilis instituta digestio. eiusmodi est, vt nihil operosius existimetur, vereor, ne duarum rerum difficillimarum tractatione distractus, vtramque dum vis. neutram assequare. quamobrem quid suscipias tui consilii est: ego monendi partes quæ sunt prudentiæ, non assumo; neque enim plus v'la in re

me

me existimo videre, quàm tu vides id: quod est beneuolentiæ meæ, faciam vt magnopere te non solùm horter, verùm etiam rogem valetudini tuæ minùs, quàm gloriæ ne seruias: quæ quidem nobis, qui te summe diligimus, tantæ curæ est, vt plurimas nostræ salutis partes in tua salute positas existimemus. De Alciati libro, valde te amo: sed eum hoc quidem tempore, cur mittas, non est: sunt quædam, quæ magis vrgent. Quæ scis à nobis anno proximo superiore instituta, iam pene absoluimus. Domestica fere sunt vt volumus: fratres valent optime, ego sicut soleo, hoc est, etsi non optime, sic tamen, vt studiis nostris frui liceat, quod si perpetuò detur equidem hac mea tenuitate contentus ero: illam firmitatem, illa athletarum latera non appeto: neque mihi vnquam de natura queri veniet in mentem, quæ me corpusculo finxerit imbecillo, gratias agam potius, quod effecerit, vt omnibus pene horis, aduersæ valetudinis metu, spectanda mihi ratio sit & continentiam, quæ virtus est, aut certe ad virtutem ducit, cogar amplecti. Amamur à multis: si modo ex vultu, & verbis amor intelligitur: colimur etiã á nõnullis, qui falsa de nobis opinione adducti, nostram consuetudinem, quasi docti hominis, videntur expetere. quibus ego si me patefecero, facile hunc errorem eripiam, & puto faciam, ne totos dies salutatoribus tribuam. Vale Venetijs.

FRANCISCO LVISINO
Patauium.

Si nescis, Luisine, quantum ego amori nostro tribuam, cognosce ex hoc, quod & superioribus mensibus licere mihi per eum putaui ad tuas litteras, humanissime scriptas, nihil respondere: & nunc eodem fretus, etiam male respondeo. Non est hoc, inquis officium colere: quasi iam probaueris,

quia non coluerim, ideò me turpem esse; non placet ita duris legibus amicitiam adstringi, vt nunquam relaxetur, summam diligentiam maximis in rebus, si ab amico requiris, iure facis: sed si etiam in minimis, non æquus es. Est enim profectò quædam suauitas in negligentia quam qui ex amicitia tollit, horridior est, quàm vt vrbani mores ferre possint; quare, si amabilis esse vis (quanquam, quis te vno amabilior est?) veruntamen, si id tibi propositum est, vt omnibus in rebus æquè amabilis, æquè iucundus sis: permitte mihi, vt liceat aliquando tecum esse negligenti. Nam quod ad tuas literas attinet, ita iudico, scriptas esse non solum eleganter in quo tamen non minima laus est, sed etiam sapienter, quod quia solet ab ætate tua longius abesse, nõ solum laude, sed etiã admiratione dignum est. Vitiũ hoc in plerisq; adolescentibus, atq; etiam in robustioribus quibusdam fama celebratis animaduerto, vt inania colligant, & eloquentiam, non, vt veteres illi, in sententijs, & verbis à communi consuetudine alienis, sed in quibusdam vulgaribus, ac penè puerilibus ineptijs constituant. Quocirca non ego te Luisiue, hortabor, vt ex ista imperité scribentium turba te eximas: sed gratulabor potius, quod ita effeciſti, vt hortationi locum non reliqueris: hoc cùm adolescens adhuc, & pene imberbis, nondum ea prudentia, quæ extrinsecus assumitur, propter ætatem copiosè instructus, naturali quadã ingenij facultate & assidua Ciceronis lectione sis consecutus: cũ illa accesserint Aristotelica, in quibus nunc totus es, vsumque rerum, qui in adolescentẽ non cadit, percalleueris, qualem te virum futurum putemus? non sum natura blandus: neque soleo cuiusquam auribus inseruire: potius offendit quosdam libertas mea, itaque quod dicturus sum, gratiæ causſa dictum ne putato si quando accidit, vt interroger

terroger de ijs, qui antiquam illam perfectæ scribendi laudem posse nobis videantur iam pene amissam restituere: soleo te duobus præstantissimis adolescentibus, meis familiarissimis, Calino & Amaltheo, tertium inserere. Calinum puto, non nosti: qui clarissimum iuuenem, Aloysium Cornelium, singularis viri, Ioannis Cornelij filium, in Cyprum insulam secutus, tertium iam annum abest: sed mihi hoc velim credas affirmanti: ea bona, quæ magister tuus Aristoteles laudabilia esse dicit, omnia ferè in illo adolescente aut esse iam, aut breui, vt ego augutor, futura. De Amaltheo autem quid sentiam, non expectas, opinor, vt significem, neque vt ego tibi eum quasi latentem indicem, quem in illustria quædá specula virtus constituit, quare cõiunge te cum his, & eloquentiam tres optimi adolescentes, ætate fere pares, concordi studio, sicuti pulcherrimam virginem, diligite: quod si me etiam socium recipitis, & riualem in hoc amore fertis, erit præclara consensio, & Latinæ linguæ formam, quam superioribus temporibus turpi barbarie vitiatam, nunc agnoscere vix possumus, posthac, vt opinio mea fert, intactam, illibatàmque tuebimur. Vale. Venetijs.

PAVLO CONTARENO *Venetias.*

Cũm Venetijs proximè discessi, vt in hanc solitudinem ex ista frequentia me conferrem, magna sanè lætitia perfruebar: & quod ad ea, quæ homini charissima sunt in vita, vxorem ac liberos meos redibam: & quod mihi, otium ad studia, amœnitatem ad valetudinem quærenti, hunc esse præter cæteros locum expetendum atque adamandum intelligebam, sed, vt in rebus humanis nihil

est

est simplex. in summa voluptate molestiæ tamen hoc erat, quod ita fortuna tulisset, vt quo tempore tibi per anniversarias Patauini gymnasij ferias Venetijs esse, & commorari liceret, tum ego à te disiungerer, magnamque manendi cupiditatem maxima discedendi necessitas vinceret. nec vero mihi dubium est, quin cum meo sensu tuus quoque sensus congruat, & quæ me cura torquet, eadem te pungat, vinci enim in officio, atque amore, quàm sit turpe, si te non mea vox aliquando docuisset, ipsi tu libri, vnde hauris illa præclara, quibus ad laudem informamur, penitus eruditent. quod si vt vna simus, quod & tu, vt opinor, sperabas, & ego certe cupiebam, per internallo locorum non licet: at, quod proximum est, vt vnà esse videamur, non video cur præstare litteris & consequi non liceat. nam si propterea, simul esse, iucundum est, quia mutuo sermone fruimur: in litteris non ego quidem tuam vocem audio, neque tu meam: sed, quæ voci subest res, eam nihilo minus, quàm vnà cùm sumus percipimus, hoc etiam maiore cum fructu, quod aliquanto scribimus accuratius quàm loquimur, quare velim ad scribendum te des: &, cum me tuæ consuetudinis vsura, ob ingenij, tui suauitatem, & sermonis elegantiam mirifice capiat, hæc, quæ in te amo quæ nunc abesse doleo, fac, si me diligis, ne omnino desiderem. debes hoc mea causa non nolle, tua verò maxime cupere. nam cùm te aliquot abhinc annis in rectam illam antiquæ eloquentiæ viam dederis, patris tui viri optimi, ac sapientissimi vocibus conciliisque commotus, patrui vero clarissimi ac præstantissimi ciuis exemplo incitatus. turpe tibi est, in mediocri laude consistere, & ad summam peruenire, sine stylo assiduaque exercitatione non licet, quid enim ille

noster,

noster, cuius tu libros nunquam de manibus deponis, quid aiebat? timere se nisi frequenter declamaret, ne quod adeptus erat in arte oratoriæ facultatis, exarescceret. Attende mi Paule, & tuam causam, à qua mea disiuncta non est, si placet, mecum considera. Ille sibi homo Romanus, latinæ orationis inopiam metuebat, cum tamen omnibus in hoc genere diuitijs abundaret: nos qui-bus latina lingua peregrina est, qui in optima scribendi aut dicendi ratione rudes, & infantes pene sumus, de summa eloquentia sine summo studio cogitabimus? & vnam omnium difficillimam rem, eandemque omnium gloriosissimam, ludibundi consequemur? Vides ne ipsum, qui quid sim, ego quidem non statuo, sed sunt, quibus non esse mihi videar, nullum pene diem intermittere, quin aliquid Latine scribam: cum tamen ex quo lapidem hunc voluo, annus iam vigesimus abierit. Est adolescens in veltra nobilitate, tibi non ignotus, mihi admodum familiaris: quem excellenti præditum ingenio, gloriæ cupiditate flagrantem, nisi à Romanæ eloquentiæ laude ad huius maternæ linguæ studium falsa quædam opinio traduxisset: erat, cur de illo sperare ea quæ summa sunt. tantam enim operam in scribendo ponit, quantam tu videlicet in legendo, sed neque illi in summa industria iudicij satis est, qui de latinæ linguæ dignitate non optime sentire videatur. neque tibi rectissime iudicanti, ad id ipsum, quod probas, obtinendum, suppetit industria. quare vellem, vt & tu illum in diligentia, & ille te imitaretur in sententia. quod vtrumque si contingeret: né ego vestræ vtriusque laudi præclare consultum putarem. Sed ille de suo consilio viderit. idcirco enim se non existimat errare. quia, quos sequatur, auctores habet eos viros, qui, quod optimum esse dicunt, in eo facile omnibus

nibus hominibus antecellunt. Te verò, qui me cum in ijsdem ædibus per triennium ferè vixisti: qui, quidquid es, de meorum consiliorum præcepto. rumque fonti fluxisti: cuius á laude meæ laus quodam modo pendet: te, inquam, mi Paule, quantum in me erit, errare non patiar: réque coactus amore, & officiis tuis hortari nunquam desinam, vt in veram ac sinceram eloquentiæ formam, cuius ego tibi excellentem pulchritudinem, duorum veterum oratorum exemplo, sæpè demonstraui, tuæ mentis oculos acriter intendas, eámque tibi a me veris, vt arbitror, lineis designatam, tu aliquando tuis scriptis, quasi coloribus conatis exprimere; graue, inquies, onus imponis, & difficilem mihi laborem mandas. Fateor ita esse aldo etiam illud, non esse nobis optandum, vt aliter sit nam, cum omnium hominum in appetenda laude par prope voluntas, similisque sensus sit: quod omnes appetunt, id si esse eiusmodi, vt consequi multi possent, quanti, obsecro, æstimares? opinor, minimi: copiam enim vilitas, & vilitatem sequitur contemptus, quare non tibi est dolendum quod de fudoribus manat gloria, lætare potius, quod, cùm eam omnes amabilem esse valdeque expetendam sentiant, plerosque tamen laboris magnitudo terret, & æmulandi studium rei difficultas imminuit. Est autem tibi ad hanc laudem, quo te voco, aditus eo facilior, atque apertior, quod, quæ duo sunt ad comparandam eloquentiam instrumenta maximè necessaria, ingenium, & memoria, vtrumque sic tenes, vt in altero excellas, in altera ijs, qui excellere putantur, non admodum concedas. Hæc tu bona si languere finis, gratiam naturæ non optimam refers: quæ non in te benigna fuit, vt suum beneficium negligeres, sed vt ad decus, ad dignitatem, ad immota-

mortalem æternámque laudem consurres. Neque verò is ego sum, qui te velim eloquentiam à philosophia seiungere, totosque dies in hoc vno exponendæ orationis studio consumere: erras si me ita sentire putas, ego philosophiam diuinum quiddam esse dico, iudicem veritatis, magistram vitæ, omnium virtutum, omniúmque laudandarum artium parentem, sed idem ita statuo, si qui optimè sciat non optime loquatur, plerumque fieri, vt id ipsum, quod sciat, nescire videatur: & vt in conuiuijs non parum interest, qua epulæ ratione condiantur: sic in sermonibus, aut scriptis magni refert, quibus animi cogitata verbis enuntientur, quod si cui ita stupidus, aut ita deprauatus est sensus, vt ornatæ, & bene structæ orationis suauitatem, & tanquam harmoniam auribus non percipiat: hunc tu, si sapis, neque consules in re tua: quia, rectè qui non intelligit, is vt rectè iudicet, sperare non licet: neque ipsum monebis quia, quibus desunt principia naturæ, iis inutilem artem esse constat. Tu, si me audies, musarum vocem ab rusticano sono distingues: & vt inanem multorum loquacitatem oderis, sic eliguem quorundam sapientiam non amabis, qua in sententia video fuisse, quos viros? Platonem & Xenophontem: quibus ego plus crederem solis nutu significantibus, quam omnibus, qui nunc vbique sunt, philosophis cum iureiurando confirmantibus. Nonne vides magnum vtrumque, & excellentem in philosophia fuisse, vtrumque tamen in hoc, quam homines inepti reprehendunt exornandæ orationis facultate ita præstitisse, vt eorum scripta cùm legimus, nihil omnino purius, nihil elegantius, nihil illustrius fieri posse iudicemus? à qua laude plurimùm abfuissent, nisi temporis industriæq; multũ in eloquentiæ studio collo-

cassem

cassent, neque verò eloquentiæ studuissent, nisi ea decoris ornamentique plurimum ad philosophiam accedere tanquam ad formosam virginem à corporis cultu iudicassent. Hos igitur ego te imitari malo, quorum nomina adhuc vigent, cum ipsi duobus abhinc annorum millibus obierint, quàm istos, si qui sunt, qui te infirmissimis rationibus à pulcherrimo consilio conantur abducere. Perge, vt facis, in disciplina philosophiæ in qua Patrem artificem habes eximium M. Antonium Genuam: eloquentiam verò, cuius vt opinor, in via me ducem non contemnis, ne dimitte, vtrumque enim & debes, si tibi magna proposita sunt: & potes, si quod me sæpe dixisse memini, diei horas apte, & cum ratione distribues. Vale & patrem tuum, & patruum quos ego plurimi sane facio, & cõmunes amicos meo nomine saluta. Ex plebe Sacij.

CHRISTOPHERO MADRVTIO Cardinali Mediolanen.

Audio te de nobis & loqui, & sentire perhonorifice: præclarum hoc est, laudari Principe viro, et ab eo Principe, qui cum fortuna virtutem itacõiunxerit, vt in vtraque pariter emineat. atque ego te semper antea, cùm nunquàm essem allocutus, nunquam vidissem, tamen vehementer colui, mouebar tuis præstantissimis actionibus, hominumque constanti sermone, omnia de te summa prædicantium, neque verò, si quis in te laudaret opes, aut nobilitatem, aut dignitatem, admirabar, cõmunia multorum hæc sunt, optabilia potius, quàm laudibilia, sed illa, quæ tua propria sunt, cùm audirem, vnum esse Christopherum Madrutium, qui virtutem ipse coleret studio singulari, in alijs ornaret præmijs amplissimis, omnesque liberales dis-

ciplinas

ciplinas (fato quodam, temporũ dicam, an ominũ iniuriis? exulantes) exciperet, amplecteretur, oueret: qui denique solidã gloriã spectaret, inania, quæ multi sequuntur, contemneret: hæc ego cùm audirẽ incitabar studio meæ singularis erga te obseruantiæ declarandæ, sed obstrepere litteris inanibus tali viro, præclaras Italiæ vrbes, multorũque populorũ fortunas non potestate magis, quã iustitia tuenti, hominis esse vel inepti nimis, vel impudenter ambitiosi existimabã: nunc autẽ cùm ad me sermones tui: mea cũ laude habiti, referantur, occasionẽ cupide complector, quã mihi tua liberalitas offert, tibiq̃ gratias quas possum quidẽ, ago, habeo autẽ certè maximas atque immortales, tum quod ornes me testimonio iudicii tui, quod apud omnes valere plurimũ intelligo: cũ vero quòd isto officio, ista tam præstanti humanitate quasi fores mihi aperueris ad amicitiã tuã, qua quidem ego me, si minus alia re licebit, perpetuo certe, ac singulari erga te studio, assiduaq̃ tuarũ vertutum prædicatione dignum præstabo. quod cum antea fecerim, iudicio meo cõmotus, faciã tamen in posterũ alacrius ac diligentius, tua humanitate incitatus: quam semper eandem in me futurã, non magis constantiæ ratio, quàm naturæ tuæ benignitas, mihi persuadet. Vale. Venetijs,

ROMVLO GERVINO
Patauium.

Quod tu persæpe queri solitus es, id mihi nunc accidit, vt epistolæ prorsus careant argumento, sed ego tamen non committã, quod tu soles, vt argumenti me inopia deterreat à scribendo, quin vide, quam diuersa ratio sit. tu cum sententiam nõ habes, valdẽ tibi ais laboriosum esse epistolam texere: ego

nunquam

nunquam facilius soleo scribere, quam cum nihil habeo, quod scribam. At inanes huiusmodi literæ sint, necesse est. Primum hoc non semper, quandoque enim accidit, vt nihil dicentes, aliquid tamen dicamus, & vt in fidibus est quædam manus aberratio sine arte, in qua tamen ipsa ars sit: sic in epistolis argumentum quandoque est sine argumento, itaque, non semper inanes huiusmodi literæ: siquidem in ijs solet aliquid nonnunquam existere, quod pondus habeat, sed fac inanes esse: quid tum? non hoc spectamus, id sequimur, vt exercitatione ducti, eò perueniamus aliquando, vbi sita laus videatur eloquentiæ, quod si nobis tantum in hoc proficere non licet: vt veteribus illis, quorum est puritissima oratio, similes esse postimus: at tententus tamen, si possumus nostris, qui inquinate loquuntur, dissimiles esse, quod vt opinor, & multum, & sæpè scribendo consequemur. At noli putare, semper in eo nobis esse elaborandum, vt philosophemur in epistolis, graues sententiæ probantur: fateor, sed nunquid hoc vna Latina lingua continetur? me quidem Cicero nonnunquam paulo minus interdum delectat, de locis cùm agit, quam de turpi & honesto cùm disputat, vtrobiq; enim sunt ornamenta: & vtrumq; sæpe necessarium est. Itaque ad vtrumque me dirigere vt idem facias, etiam atque etiam hortor, cùmque res non erit de qua scribas: tum tu, si me audis, vel leuissima quæque ex omni parte, ex omni genere arripies, & ijs pro argumento vtere, hoc autem quatenus agas, aut cum quibus agas tibi non præscribo: cuius tanta prudentia est, quantam ætas ista, qua nunc es, capere vix potest. Summa sit, vt & cum argumento & sine argumento sapissime scribas. Vale. Romæ.

FINIS

FRANCISCO GONZAga Ferrariam.

Odi penè meos oculos: etsi oculi sint, id est, omnium rerum chariſſimi: sed odi certè peius, quàm antea, hunc morbum, quo mihi nunc tuus adſpectus, tuus complexus eripitur. adiolarem enim ad te, ſi valerem: nihil me moraretur: nihil eſſet tanti; an cùm tu, magni principis filius, familiæ natus Italicarum omnium nobiliſſima, nec iam à maioribus tantum, ſed à te ipſo clarus. Mantua me, humilis hominem loci, nondum de facie notum, litteris humaniſſimis tua ſponte ſalutandum putaueris: ego, cùm Patauij, hoc eſt, prope in conſpectu meo ſcis, non accurram ad te? tacerem: ſed ſoluta voluntas non eſt: impeditur enim valetudine. ſolatio tamen hoc, in magno dolore ſuſtentor, quòd futurum breui non deſpero, vt conualeſcam. concurrunt ſimul anni tempus, aſſidua medicorum, cura, mea ſumma continentia. hæc ſi proficient, adibo ad te, nulla interpoſita mora. opto enim, quæ inter nos mutuo litterarum officio conglutinata amicitia eſt, eam paulo arctius mutuis ſermonibus, mutua conſuetudine aſtringi, ſin hærebit morbus: obſecro te, largire hoc vel meæ in te obſeruantiæ, vel humanitati tuæ, vt omnino tuis litteris ne caream: quas ego meis quam potero creberrimis dabo operam, vt eliciam. Mitto ad te librum meum de Romanis legibus, proximè rogatu multorum editum. cupio, legas, cum hoc tamen, ſi vacat. nam, auocari te a ſtudijs grauioribus mea cauſſa, nolo. cupio etiam, cùm legeris, probari tuo iudicio noſtram induſtriam. ſed hoc me cupere, rogare ne puta. volo tibi eſſe liberam in vtramque partem iudicandi facultatem. nihil mihi tribue: rem

ipsum pende suo merito, ac statue de tuo sensu. nec enim is ego sum, qui plus amicitiæ dari postulem, quàm veritati: nec tu is es, qui si postulem, facile concedas. Pergam ad reliqua, hæc si tibi, tuique similibus non improbari cognouero. Vale. Posseuino salutem, rarissimo iuueni, cuius heri epistolæ respondi. Venetijs.

ANTONIO POSSEVINO
Ferrariam.

Gratus & iucundus admodum amor is, qui te in eam mentem impulit, vt officij gratia ad me scriberes. quid enim aliud existimem? cùm argumentum res quidem ipsa tibi nullum daret. ingenium verò merificè tuum amaui, amplexatúsque quantum licuit, animo sum, quod raptim, & vt ad hominem familiarem, familiariter cùm scriberes, epistolam tamen confeceris elegantissimam, distinctam luminibus eloquentiæ, in qua non fucatus, sed verus ac tanquam naturalis Romanæ linguæ color eniteat. Macte Posseuini, fratre iam maior, iuuene eximio: vrge totus in studio litterarum: vides, quæ te manèt præmia, gloriam habes proximam, eámque penè manibus attingis. paululum si te incitaueris, apprehendis, non mehercule, quia nolis, dico: sed, vt intelligas quantum cupiam, propterea dicendum putaui, faueo enim omnibus, quia rectè sentiunt, rectéque faciunt: in te verò mea præcipua & est voluntas, & esse debet. scis quintum adhinc annum Romæ cùm te frater tuus adolescentulum adduxit ad me, quibus verbis commendauerit, amicitia iunxerit, & veluti in clientelam tradiderit. ex eo tempore, quoties adijsti ad me, quos tecum habuerim sermones, quàm studiosè, quàm amanter ad illa præclara, quæ frater tuum amabat, sim cohortatus, potes recordari. dixi sæpè, non esse tibi de fortunæ

bonis cogitandum, quæ vel improbi malis auibus quærerent, vel bonis viris rectè quæsita facilè casus eriperet. ostendi, verè & esse, & appellari diuitem posse, qui liberalium doctrinarum scientiam possideret. non neglexisti: contulisti cogitationes omnes tuas ad studium veræ laudis & in eo nunc apud Franciscum Gonzagam, nobilissimum ac virtutis amore incensum adolescentem, ita versaris, vt propemodum videaris excellere. Quare gratulor equidem fratris tui manibus, quod lætari arbitror summopere, quia talis es, & quia fore tantus videris, quanta potest esse virtus, maximo ingenio, acerrima voluntate, summo studio comparata. Nec verò, quod epistola tua significat, mea tibi sunt aut ad vllam fortunæ accessionem, aut ad dignitatem studia expectanda. à te ipso, mihi crede, omnia proficiscentur, virtutem si habes, nihil desidera: ea pro te prensabit: ea tibi omnes honores, omnes quas petieris, opes impetrabit. ô præclaram vitæ ducem, te felicem, Posseuini, qui cum hac viuis, & viuendum statuis: me miserum, qui, cùm idem sentiam, cogor tamen eam à me disiungere, victus grauitate morbi, & ijs curis, quæ inuitum aliò traducunt: quòd si me Deus aliquando respexerit, acquiescam in ijs studiis, quæ sola sunt ad naturam meam, sola tranquillitatem animis afferunt, hominémque paulatim ab homine separant, & quantum licet, cum Deo coniungunt. Vale. Venetijs.

HIERONYMO LIPPOmano Venetiæ.

Breuis epistola tua, sed habet multa suauia. primùm significas amorẽ in me tuum quo quid gratius nam, amari à nobili adolescente, propinquitatibus,

amicitijs, opibus florentissimo, optabile est: ab eo verò adolescente, cuius ad animi bona comparanda mens omnis, & cogitatio dirigatur: qui scientiam literarum ita expetat, vt inani tamen ambitione prorsus vacet, nihil ad se ipsum, ad summum Deum omnia referat: hoc verò eiusmodi est, quod qui assequitur, triumphat. itaq, ego vehementer mihi gratulor de amicitia tua: quam cupio esse perpetuam: & vt fit, omni equidem studio, omnique erga te obseruantia laborabo. quod verò ais nescio quid de beneficio in te meo: mi Hieronyme, noli tantum largiri modestiæ tuæ, vt vocabulis parum proprijs, nec satis cum re cõgruentibus vtare. quod enim tu beneficium appellas, ego verius officium, & officium eiusmodi, quod prætermitti à me sine graui culpa vix posset. rogabas, vt consulerem studijs tuis: imperasti facile. & curaui libentissimè. quod enim tribuere vni tibi videbar, id non tam tibi tribuebam, quam literis, quam virtuti, quam consuetudini, & naturæ meæ. amplector tamen istam humanitatem, quæ tibi non modò beneuolentiam conciliat, verùm etiam laudem parit. nam vt extenuare, ac dissimulare, quæ acceperis, beneficia, ieiuni animi est, & perangusti, ac sordidi: sic ea verbis augere, palámque profiteri, excelsi, atque ampla spectantis hominis est, & ad liberalitatem, id est ad decus, & ad gloriam nati. coniunge, quæso, istam mentem atque istam sententiam cum doctrina, & cum ijs studiis, ad quæ te vocat illustre domesticum exemplum Veronensis Episcopi, patrui tui: quem vides auersum penitus à studijs rerum humanarum eáque contemnentem, quæ cæteri admirantur, totum esse in vna virtute defixum. & diuinam consuetudinem, quatenus homini liceat, imitari. itaq; nunc eius sapientissimis consiliis, ac sanctissimis institutis, eximiáque doctrina magna ex parte, Romana nititur Ecclesia.

hunc

hunc tu ducem si sequeris, & in eius vestigio pedem pones: non errabis in hoc dubio vitæ cursu, non laberis in lubrica iuuentutis via. quod te facere iam lætor, facturum etiam multo in posterum diligentius confido. atque ego, quando mihi licere apud te tantum vis, languere te præclaris in studijs non patiar. hortabor litteris, dum abero, præsens sermonibus excitabo. nunc me cupidum vrbis, tuique maximè, ac paucorum tui similium, tenet tamen in his locis vxoris meæ morbus: de qua iactor variè, tanquam fluctibus, modò spe, modò metu. in vna tantum cogitatione videtur animus consistere, & quietem aliquam capere, cùm quasi secum loquitur, & commemorat ipse sibi necessitatem illam rebus omnibus impendentem, vt animata intereant, creata dissoluantur. At est dolendum, si quem viribus, ætatéque florentem immatura mors oppressit. Ita, si mortem in malis, vitam, felicitatis loco statuas. quod qui existimat, refellitur exemplis, quam multis enim diu viuere, miserrimum fuit? Hæc quam diu cogito, videor acquiescere, satisque leuiter incommodi mei grauitatem sustineo, sed certè nimis acerbè fortuna mecum egit, quæ me de meipso, vt scis, ac de mea valetudine sollicitum, alienis etiam malis implicuerit. Benacum petere statueram. non licuit, neque forsitan licebit. Asulæ quidem, oppido satis eleganti, vbi magnam pueritiæ meæ partem traduxeram, omnes mihi iucunditates, omnia gaudia tum in fratris conuictu, tum in veteri amicorum consuetudine fixeram. cecidit contrà. frater enim ægrotauit diu, neque dum firmus est: amicis autem qui possum frui, cùm vxorem, multorum dierum morbo conflictatam, nunc incerta vitæ spe animam trahentem, in oculis habeam? de me ipso, ac de meo reditu, noli expectare dum scribam, video alienis miserijs esse miserium: meam non esse

liberam, aut ſolutam voluntatem, intelligis: niſi ſi meos deſerere, id eſt, ab omni prorſus humanitate velim deſciſcere. quod profectò nunquam committam. quod ſi noſtrorum animorum ſenſus, & noſtra conſilia Deo patent, vt certè patent: amat, opinor, peccatem meam, eáque non dubito, quin mihi vel opem ab eo celeriter impetret, vel hoc ſaltem, vt, quidquid euenerit, moderatè feram. profectò enim ex vno illo fonte omnis noſtra fortitudo manat, omniſque ſapientia. alioqui facilè frangimur, & facilè aberramus à verò, inſidioſis voluptatum illecebris adducti, & rerum mutabilium fallaciſſima ſpecie decepti, quæ tu, ac multo plura, cùm audieris ſæpè de patruo tuo, qui cùm ab ineunte pueritia in iiſdem ædibus, atque in eodem penè cubiculo vixiſti: ſi quid huius generis mihi nunc, multis difficultatibus ac moleſtijs circumuento, litteris imperties: habeo à te munus aptiſſimum meo tempori, dignum amicitia noſtra, dignum verò maximè ea perſona, quam tu ſuſtines: qui te ſacris addixiſti, ſemper vt bene ageres, aut benè cogitares. Vale: & ad Epiſcopum Veronæ deſignatum, quem vidi nunquam, de fama tamen cognitum ſtudioſe colo, obſecro te cùm ſcribes, meo nomine ſalutem plurimam. Aſulæ.

EIDEM, Venetias.

Nunquam putaui fore, vt iniuriam acciperem in beneficio, præſertim à te, cuius in fronte, oculis, vultu, habitare videtur humanitas. benignè mecum, & liberaliter agere, quod eſt proprium familiæ tuæ, magnoperè te decuit: idque adeo poſtulabat amicitia noſtra: callide verò agere, & ficta veritatis imagine ficum facere, neque te dignum fuit, ad præclara laudandarum rerum ſtudia ex nobili illima

familia

familia nato, neque verò me, tui studiosissimo de tua bonitate, tuisque moribus egregiè non modò sentiente, verum etiam prædicante? astutiæ præstantibus viris nunquam placuere, apertam, simplicem, rectam in omni vita consuetudinem sequuntur, quo ego te in numero quia credidi esse, & quia vt esses, curare non mediocriter debuisti: ideò sum in fraudem facillimè inductus, & illo tuo figmento, quo nihil vnquam gustaui suauius, abstinui perinuitus: meæ tamen inscitiæ eò me pudet minus, quia sequitur timorum crudelitas, & ita vitium laude corrigitur. noli igitur me, quasi rudem quendam, & prorsus earum epularum, quæ nouo quodam artificio condiuntur, imperitum contemnere. pœnarum satis in ipsa re tuli. quam reiecti quasi noxiam, cùm esset eius generis, vt me docuit heri vesperi Sebastianus noster, vnde simul possem & alimentum capere, valetudini meæ vehementer aptum, & palatum oblectare, quantum antea fortasse nunquam. restitue nobis tuam fidem. liceat mihi meum errorem tuo beneficio corrigere. magna res non est: magnoperè tamen sum commotus, vel inscitia mea, vel malitia tua, quæ vicit omninò, vel fefellit potius opinionem meam. id si molestè fers, non longè abest mei leniendi facultas: si modò animum tuum induxeris, vt id quod potes, etiam velis. quod si secùs acciderit: prædico tibi, culpam exiguam grauiter lues: neque te mellitis placentulis, quibus me munerari solitus es, absoluam: sed ea pœna condemnabo, cuius etiam nomen cùm audieris, extimesces. interim sustineo me, neque dum muto iudicium de te meum, quia te spero rationem vtriusque nostrum habere velle. Cupio tecum coram iocari, & simul adspectu illo tuo iucundissimo frui. Vale. è cubiculo meo, ante lucem.

amorem
credulitas

EIDEM, Romam.

CVM in magnis moleſtiis hæc vna me res delectare non mediocriter ſoleat, quòd amicitias à me diligenter coli, nec vnquam officium contemni, ipſe mihi ſum conſcius: legi perinuitus eam partem literarum tuarum, in qua me, vt immemorem promiſſi appellas, atque etiam, vt oblitum humanitatis, leuiter accuſas. Ego tuæ familiæ nobilitatem, egregiáque tuorum maiorum decora, pro eo ac debui, ſemper ſuſpexi: te vero ipſum, præditum ijs bonis, quæ nobilitatem omnem vincunt, amaui prorſus, à quo die mihi cognitus es, amore ſingulari. hanc immutari in me voluntatem, ita etiam ſi te mihi caſus aliquis immutet, neque conſuetudo mea, neque natura pateretur. quod equidem antea tibi certum eſſe, atque exploratum arbitrabar, nunc quando ſubdubitare te video, ſignificandum putaui: ne poſthac vnquam ſuſpiciones iſtiuſmodi, planè meo erga te ſtudio, & mehercule etiam tua bonitate indignas, mearum epiſtolarum afferat infrequentia. quanquam, ſi tuum otium cum meis occupationibus conferatur, non intelligo, cur ego tuam in ſcribendo valde laudare diligentiam, tu meam reprehendere negligentiam debeas. ſatis, niſi fallor, ſtatum rerum tuarum habeo cognitum: tu me ſcilicet videris ignorare: nam, ſi noſſes & exigeres tamen id, quod præſtare vix poſſum, eſſes iniquior. At erat amoris noſtri, lenire literis dolorem tuum in obitu patrui, ſummi viri. ſit ita: veruntamen abs te poſtulabat idem amor, ne, officium à me illud ſine cauſſa prætermitti, animum induceres. Primum ego te, per aliquot annos domeſtica ſanctiſſimi hominis diſciplina inſtitutum, putabam humana omnia contemnere, mortem verò, quæ ſempiternæ vitæ initium eſt, etiam in bonis ducere.

Quòd

Quòd si frangimur humanis, aut commouemur saltem: certè enim è stipite, à saxo, à terrea materia longè distat hominis natura: quis tamen ab afflicto solatium exspectat? aut quis me minus tranquilla experitur omnia? quæ si tibi nota sint: profectò me liberes ab omni culpa, & cupias reuocare querelam tuam. Neque vero, si vigeat animus, & perferat aduersa: ita valemus ingenio, vt consolandi partes, quæ doctrinæ plurimum, & sapientiæ postulant, audeamus assumere. non hæc in nobis facultas est, quæras eam aliunde licet: si modò, vt significas, quod mihi tamen haud omninò persuades, in re ipsa non est, qui et acuere mentem liberalibus studiis, & augere prudentiam vsu rerum, ac præstantium virorum sermone potuisti. quæ si absint, vt abesse à me magna ex parte fateor: tamen ille ipse, qui tibi luctus caussam attulit, idem à luctu te remouet exemplo vitæ suæ, cuius abesse nullam partem à constantia, & à virtute reperies. Hunc igitur tibi vnum ante oculos cõstitue: finge ad eius imaginem quidquid agis: noli oculos ad vulgi deprauatam consuetudinem flectere, ita consules egregiè rationibus tuis: & illud rectè instituendæ vitæ consilium, quod à me requiris, nusquam esse præstantius, quam in te ipso, cognoces. Vale.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER SECVNDVS.

Francisco Vargæ Caroli V. Imperatoris, & Philippi eius filij Hispaniarum Regis, Oratori Venetias.

OFFICII mei sæpè me admonet officiorum tuorum recordatio. Officium autem, quod absens absenti præstare possum, litteræ sunt: quas misissem ad te iam antea, nisi huc aduenientem graues admodũ, & per acerbæ curæ statim excepissent; quas enim res scis esse nobis in vita omnium charissimas, omniumq; primas, in ijs me grauiter exercere fortuna cœpit, vxore, liberis, fratre, vno penè tempore in morbum coniectis: ne mihi quidem bellè satis est; animo enim affectus, valere corpore qui possum? veruntamen, quia mihi hærent in mente consilia tua, fero hæc vt humana, diuina spe, in qua tu soles omnia ponere, confirmatus. quod nisi hunc in portum, te ducem secutus, confugissem, facile me tot malorum subita tempestas obruisset. En, quàm sit incertus nostrorum consiliorũ euentus, & quàm ea, quæ nobis ipsi ad voluntatem fingimus, contrà cadant. Petiui has regiones, non sine sumptu, non sine labore, spe ductus valetudinis recuperandæ:

reliqui

reliqui vrbem pulcherrimam, mea negotia, tuam consuetudinem, in qua mihi ornamenti statuo plurimum. hæc bona, tantum abest, vt alijs bonis compensata sint, vt etiam multa succesſerint, quæ si ad sensum referantur, mala verè possim appellare. sed, cùm me sensus quandoque moueat, ratione tamen vtor sæpius. hoc ostendit, nihil esse malum, nisi quod nostra culpa contingat: ancipitem esse in rebus humanis rationem iudicandi: nihil enim semper idem esse: quin quæ nobis aduersa, exitiosa, prorsus misera videantur, ea sæpè ita conuerti, vt ex ijs ipsis multæ commoditates emanent: contrà, quæ speciem habeant felicitatis, inde fluere quæ acerbissima sunt, exilium, paupertatem, ignominiam. quę ego cùm cogito, reficior paululum, & excito me, quatenus licet, ad eam virtutem, quæ in aduersis rebus elucet: de qua cùm multa sint à philosophis tradita, vnus tamen eam suo exemplo præclare docuit nostræ salutis auctor Iesus Christus: quo magistro, quæ sit vera fortitudo, discimus, omniumq; laudandarum artium absolutam ac verè salutarem doctrinam consequimur, Atque ego te, Franciſce Varga, quod hoc studij genus omnibus & studijs, & scientijs anteponas, longè quidem hoc nomine pluris facio, quàm quod negotia Cæsaris Imperatoris ex omnium sæculorum memoria præstantissimi, Philippi Regis, omnium regum maximi, apud Venetam Rempub. orator administres. ista enim dignitate alij quoque nobiles viri claruerunt: pietate verò in Deum, & sanctitate vitæ, parem fortasse aliquem, superiorem certè habes neminem. Itaque postquam à te discessi, vix credas quàm sæpè meus ad te animus, tuorum sermonum desiderio recurrat. equidem, vel si mihi cætera hic omnia secundissima fluerent, quæ experior, vt dixi, satis aduersa: iniucundè tamen viuerem, quia procul à te absum,

absum, cuius ex humanitate, sermonibus, consilijs mirificos capiebam fructus, & documenta ad vitam rectè traducendam vtilissima. Quare iam me minus quam antea delectat, ac penè displicere totum cœpit consilium illud meum de lacu Benaco incolendo. tua me singularis doctrina, tua probitas, tua benignitas ad vrbem reuocat. Benacum, per anni tempus cùm licebit, æstate scilicet ineunte, (nam hieme regionem illam procellis, & ventorum vi totam audio agitari) si valetudo ita postulabit, inuisam. interea meam imbecillitatem ratione victus, & abstinentia tuebòr. ac fortasse fiet, quoniam à Deo cuncta pendent, vt Venetijs, intra meos parietes, in oculis, & aspectu meorum, commodissimo vitæ genere ita conualescam, vt qua postea me cœli mutandi necessitas extrudat. quod si assequar, habebis me, si me tantum ab humanitate tua speraro vis, quod profectò vis, familiarem, ac penè contubernalem: & hac equidem spe iam nunc mirificè sustentor. Vale. Venetijs.

HIERONYMO FALETO HERculis Ferrariensium duci, Oratori, Venetias.

Quod heri iniecisti in sermone, hæret in animo, & quò diligentius rem perpendo, eò magis omnia mea consilia, omnes cogitationes ad nouam societatem, quæcunque ea sit, conuerto. Vexor enim & deludor indignè ab homine teterrimo, omniúmque impurissimo: cui non satis est auertere communem rem: sed me prorsus ita despicit, vt nec dignum ducat, ad quem adeat accersitus. equidem nihil mihi adsciseo, nihil arrogo insolenter: nihil mihi habeo, neque à fortuna, neque à me ipso, quo animum extollar: veruntamen limina mearũ ædium terun-

teruntur quotidie pedibus virorum clarissimorum, ad me confluentium. tu ipse, tu, inquam, Falete, & maximi Ducis orator, & maximus ipse vir, quem grauissima distinent negotia, qui scribis historiam, qui legum scientiam veterum & recentium scriptis luculentissimis explicas, venire tamen ad me, quæ tua est humanitas, sæpè solitus es, horásque multas suauissimo sermone consumere. Malum est inquies, ab homine nequissimo contemni. Malum: sed peius etiam, expilari. quòd nisi tua prudentia medicinam huic malo affert, periit fructus omnis tuæ liberalitatis. clauam enim citius de manu Herculis possim extorquere, quam ab isto nummum. aut igitur ea mihi conseruetur vtilitas, quam tuo beneficio speraueram: aut qui nos vult perditos, perdatur ipse nobiscum, & societas communi pernitie dissoluatur. verùm, cùm in tuum ingenium, tuam auctoritatē, & singularem in me beneuolentiam intueor, traducor facilè ad optimam spem: tranquilla omnia, commoda, copiosa mihi ipse polliceor. tu restitues vnus afflictam rem: & istum postremi ordinis hominem, omnibus inquinatum vitiis, indignum prorsus non modò amicitia nostra, sed congressu etiam, ac sermone extrudemus, vt versetur posthac, & viuat cum suis similibus in sordida nequitie, seiunctus à nobis, qui humanitatem colimus, & virtutem omni lucro anteponimus. Interim lege, quam sæpè iam efflagitasti, partem libri nostri de quatuor Rebusp. quam cupio à te probari. otium si habuero, quale vt aliquando consequar, operam dabo, in Bellombra tuo, si alibi non licebit, totum volumen absoluam. Vale. Ex ædibus nostris.

Ex libro de quatuor rebusp.

Ex ijs, quæ suprà sunt commemorata, duæ viden-

dentur propositi nobis argumenti partes absolutæ. patére enim satis arbitramur, non modò quibus vitiis duæ maximæ, ac firmissimæ ciuitates, primùm Sparta, deinde Carthago, labefactatæ corruerint: verùm etiam, quibus illa vitia remediis vel sanari penitùs, vel ita saltem corrigi potuerint, ne Reipub. salutem in discrimen adducerent. Nunc vrbis Romæ quæstio succedit, qui erat tertius in diuisione locus, postremæ narrationi, conclusio futura nostri muneris, omniúmque nobilissima, & eadem difficillima tractatio, Venetiæ nostræ reseruantur.

Ac de Roma quæ nullo magis vitio, nullo grauius vnquam morbo, quam imperij magnitudine laborauit, primum illud occurrit, nulla omninò in ciuitate post homines natos, aut virtutes, & honestas actiones aliquando floruisse magis, aut æquè malas artes, & exitiosa publicis rebus consilia valuisse. Primis reip. temporibus, cùm nulli tum de plebe magistratus creabantur, summa senatus potestas, summa fuit auctoritas, vtraque cùm per aliquot annos viguisset, inclinare tum primùm cœpit, cùm tribuni pleb. creati sunt, creatos autem culpa senatus, historiæ declarant. nam, si prima repetere, & quæ cuique rei causa sit, placet animo perquirere: tribunitiam potestatem, quæ deinde senatus opes fregit, ac debilitauit maximè, ipsius vitio senatus Romæ constitutam, facile constabit. Quid igitur? an tu, dicet aliquis, senatum reprehendis, quia tribunos ple. creari passus sit, cùm plebs eum magistratum non iam vocibus poscéret, sed armis extorqueret? an amplissimum ordinem, quia permiserit, quod recusari sine Reip. præsenti iam periculo non poterat, imprudentiæ condemnas? Ego quidem minimè: habeo enim rationem necessitatis, cui parere, sapientis semper est habitum. Secesserat

armata

armata multitudo in Sacrum montem: flagrabat ira, & odium in ordinem nobilium: auaritiã, superbiam, crudelitatem senatus accusabat: se bella gerere, vrbes capere, pro patria sanguinem effundere, mortem obire clamabat: pro his meritis inopiam, & iniurias pati senatum, commodis frui, senatum honoribus abundare: plebem seruire, quæ, vt cæteri liberi essent, quotidie sua corpora hostium telis obijceret. quem non mouerent huiusmodi querelæ? quem non terrerent, cùm ij, qui hæc querebantur, alij pila, alij gladios manibus tenerent? rectè fecit senatus, tribunitiam potestatem, à plebe flagitatam, concessit, non libenter sed vt impetum sedaret, maiorem temporis, quàm suæ voluntatis rationem duxit. hæc, hæc, vt dixi, rectè, nec sine summo consilio: sapiens enim cum necessitate nõ pugnat: at illud neq; rectè, neque prudenter, quod, vt in eam necessitatem res deduceretur, siue negligentia, siue superbia cõmisit, occurri principijs oportuit, & nascentem pestem extingui. nam, cùm omnes ciuitates, quæ suo milite bella gerunt, quotidianis propè seditionibus fluctuare necesse sit: quo mala & veterum memoria, & nostra ætate florentissimas ciuitates occidisse constat, summæ difficultatis, ac diuinæ cuiusdam sapientiæ videtur esse, ita rem moderari, vt consistat: neque permittere, vt multitudini, quæ satis ipsa per se leuis est, vlla paulò iustior ad motum accedat occasio. Erant in plebe Romana quamplurimi: quibus ære alieno obstrictis, vnde soluerent, non erat. hi cùm ad tribunal consulum, qui tum, nondum creatis prætoribus, de creditis pecunijs ius dicebant, à senatoribus vocarentur, egestatẽ excusantes, & domesticas miserias ad eliciendam misericordiam commemorantes, tamen non audiebantur. magistratus nectendum fœneratori debitorem tradebat. vt quamcunque creditor vellet seruitutem, seruiret. iniqua, &

homine prorsus indigna siue consuetudo fuit, siue lex. Tu mihi libertatem lege eripias, cùm libertatis causa leges constituantur; an ego vllam legem potiorem, ea lege ducam, qua Deus, vt homo liberum animal esset, ac cæteris animantibus imperaret, æterno iure sanxit? pecuniam aufers: non relinquis, vnde viuam, vnde liberos alam: fero: relinque libertatem, vt mercenario saltem opere ipse mihi, & esurienti familiæ victum quæram. Cum his acerbè magistratus aiebat, acerbius etiam fœneratores, qui ciues Romanos, nexu vinctos, grauissimo seruili opere fatigabant, & nexorum in terga flagellis, ac verberibus sæpè sæuiebant. Hic senecus miseris ciuibus consulere, caussam libertatis suscipere & potuit, & debuit: nexos è vinculis eximere, humanitatis fuit: diem soluendi laxiorem egentibus statuere, æquitatis: vsuris modum facere, iustitiæ. hæc & facienda fuerunt. & vt fierent, cùm à patribus plebs, atque à consulibus frustra petijsset: ad extremum, vt homines desperatio præcipites agit, armata multitudo in Sacrum montem, tria millia ab vrbe passuum, secessit. tum, vt plebeiorum animi, stimulis iracundiæ perciti, continerentur: senatus, periculo territus, de creando plebeio magistratu, quia res aliter conuenire non poterat, assensit. itaque tribuni pleb. primum quinque, deinde decem, creati sunt. ab hac radice ortum quidquid inter ciues discordiæ, quidquid seditionis, quidquid bellorum fuit. per annos quingentos, id est, vsque ad exitium Reip. tribuni pleb. contra nobilium potentiam seditionis concionibus vociferari, plebem ad noui commodi spem, ad noua incitare consilia nunquam destiterunt. specie libertatem tuebantur, re vera senatum oppugnabant. primò magistratus, deinde & sacerdotia plebi communicata. ad extremum is, qui solet, exitus consecutus est. nam plebs,

vbi,

vbi, quod paucorum erat, ad se transtulit, rursus id ipsum, quod multitudinis est, in vnum confert. facit hoc inscitia, facit inopia, facit ea, quæ in magno numero semper existit, voluntatum & opinionum dissimilitudo. ita popularis administratio, quæ maximè libertatis imaginem præ se fert, occultè tamen, si spectemus exitum, tyrannis est. quoniam ex ea ferè semper exoritur tyrannis, sicuti deinde ex tyranno status optimatum generatur. Huius mutationis exemplum satis illustre Roma est. primò, regum summa potestas fuit: deinde senatus, hoc est optimatum, maior, quàm populi: tum populi maior, quàm senatus: postremò rursus vnius maxima, & singularis. populus enim C. Cæsarem extraordinarijs imperijs auxit, eoque extulit, vnde, cùm se monarchiæ proximum esse homo acutus intelligeret, priuatam conditionem despexit, altiusque maluit, vt humani mos ingenij fert, ascendere, quàm ad inferiora quæ reliquerat, descendere. Neque verò me fugit id, quod à doctissimis viris memoriæ proditum est, firmissimas illius reipvires esse, & quæ non facilè ab externis viribus debilitentur, cuius non simplex, neque vnius generis administratio est: sed ita mixta, ita temperata, vt in triplici forma vnum consilium, vnam quasi mentem significet. neque ego tum in ciuitate præclarè agi negauerim, cùm & vnus, & pauci, & multi maximas res gerunt; nec tamen aut vnus, aut pauci, aut multi præcipuè dominantur, verum, vt harum trium partium in suo quæque munere modum seruet, & ea, quam habet, potestate numquam abutatur, ego quidem hoc fieri posse non arbitror. sunt enim hi tres ordines admodum dissimiles: & inter dissimilia perpetuus æquabilitati locus esse non potest. nam, quemadmodũ in musicis, quo plu-

tes chordæ percutiuntur, eo suauior concentus efficitur; quia varius ille multarum fidium numerum, in quo summa discordia est, arte conciliatus, & ad concordiam perductus, incredibili quadam iucunditate aures, animumque permulcet; sed hæc tamen iucunditas ideo brevis est, quia de multis fidibus aliqua statim remittitur, & discrepat: sic multorum ordinum administratio videtur illa quidem esse omnium optima: quia, quo longius ab vnius imperio discedit, eo propius ad libertatem accedit: sed quia multis idem sentire difficile est, facile dissoluitur. quid autem ex dissolutione exsistat multarum ciuitatum miserrimus exitus declarat. quare, cum sit necesse, vt de tribus potestatibus, quæ pares sint, aliqua aliquando se efferat, & reliquis duabus insultet: antè prouidendum est, vt ea, vnde magis hoc imminet periculi, quæque ad temeritatem procliuior est, inferiorem locum obtineat, & reliquas duas neque dignitate, neque viribus adæquet. quæ verò de tribus ea sit, quæ facilius insaniat, & cum insanierit, cohiberi non possit, hic sine dubio populus est. qui vt inferiorem in ciuitate conditionem æquo animo ferat, ita fiet si cum eo semper iustè, numquam superbè, inter dum etiam liberaliter senatus aget: tum populus, nihil appetet, nihil molietur: nouos magistratus, nouas leges, noua imperia non desiderabit. libera seruiture libenter seruiet: putabit enim se non hominibus seruire, sed legibus: hæc si Romæ, senatus initio cauisset: quique turentis multitudinis impetus, quæq; vis esset, mature cogitasset: non, vt cum seruis agi solet, ita cum ciuibus agi passus esset: nec ti liberos homines vetuisset: vsuras, hoc est inopiæ causam, minuisset: ipsam autem inopiam publica benignitate subleuasset. quæ

quia

quia non fecit, idcirco illa, quæ dixi, consecuta sunt: ex desperatione secessio, ex secessione tribunatus, ex tribunatu ordinum contentio, ex contentione, libertatis interitus. Primis temporibus omnia potuit senatus: mediis multa senatus, multa populus; extremis omnia populus. itaque & primis temporibus, & mediis florentissima resp. fuit, extremis facilè concidit. nullum enim ius, nullam potestatem à senatu tribunorum temeritas non abstulit. Aerarij dominus per multa sæcula senatus fuerat. antiqua tamen iura tribunus pl. P. Clodius neglexit, lege lata, qua Pisoni & Gabinio Coss. simul cum prouinciis pecuniam quantam voluit, de publico dedit. Senatus lege Sempronia consulares prouincias proconsulibus decernebat. decretas tamen idem Clodius abstulit; Vatinij scilicet tribuni pl. improbitatem imitatus: qui anno proximo, C. Cæsari Galliam Cisalpinam cum Illyrico, inuito senatu, sua lege dederat. Legati etiam ex auctoritate senatus deligebantur. Vatinius immutauit, & ipse sibi sua lege legationem detulit. Ipsa comitia quodam modo senatus in potestate fuerant quia magistratum non gerebat is, qui ceperat, nisi patres auctores essent. hoc quoque abrogatum, nec fieri iam solere, Cicero significat in oratione pro Plancio. Triumphum à senatu petere imperatores è prouincia, redeuntes diu consueuerant. inuentus est, qui, cùm senatus triumphum negasset, ad populum, confugerit, & populo iubente, triumpharit. Qui poterat ea resp. consistere, & ad interitum non ruere, in qua, quod senatus improbabat, populus iubebat; quod decernebat senatus, infirmabat populus? ius enim intercedendi tribuni pl. habebant: quo iure, ne senatus consulta fierent impediebant. at impedire iussa populi, si senatus vel-

set; non erat, vt tutò posset. ilicò enim, incitantibus tribunis, erumpebat seditio, ilico vis, ilico cædes, cuius periculi metu sæpe senatus iniquissima tulit, nam vt omittam alia, quæ sunt huius generis sexcenta, regna ipsa sine senatus consulto barbaris hominibus ex tribunorū pleb. libidine esse donata scriptum est. quæ licentia cùm retineri non posset, eò progressa demum est, vt omnia perdiderit. nec dissimilis erit euentus, quacumq; in ciuitate pares cum senatu vires populus habebit: non quòd, vbi æqualitas est, ibi rectè non sit: sed quòd, vbi ad æqualitatem populus peruenit, diuturnam esse non patitur. Quarè, cùm ex duorum ordinum æqualitate statim oriatur inæqualitas; æqualitati perniciosæ tutam inæqualitatem antepono, & cum ordine præesse rebus malo, qui potestate minùs abutitur, quàm eum, cuius potestatem summa statim licentia, summa temeritas consequitur.

MARIO NIZOLIO,
Parmam.

Epistola tua, mi Nizoli. vt amici hominis, ac vehementer amandi, summa me voluptate effecit, ac meam vehementer incendit cupiditatem Parmam adeundi: non quòd vrbs, aut vrbis ornamenta, me moueant: (alij hæc mirantur, apud me vulgaria sunt) sed aueo incredibiliter patronum veterem meum, meum dico? immò verò litterarum ac studiosorum omnium, ipsumque litteris excellentem, Alexandrum Farnesium Cardinalem salutare: quem cognoui Romæ, & colui puerum adolescens, eximia iam tum indole præditum, & earum laudum principijs, quas deinde auctus ætate simul & iudicio perfecit, magna omnium expectatione florentem. quo quidem tempore vehementer vrbs ipsa

exci-

excitauit me, atque acuit in ſtudio liberalium diſciplinarum, adſpectu ipſo antiquitatis, & multiplici ac varia hominum eruditorum ſcientia: ſed vt ingenuè veréque fatear, propriè me expoliuit aula Farneſij moribus, ac litteris; cùm viuerem coniunctiſſimè ac familiariſſimè cùm duobus præſtantiſſimis viris, Marcello Ceruino, & Bernardino Mafæo: quorum alterum Pontificem maximum, alterum Cardinalem, verumque immortalitate digniſsimum, aduerſa bonis artibus iniquæ mors eripuit. Quare, quod me Parmam vocas, & multis verbis inuitas amantiſſimè, non me litteræ tuæ ſopitum excitarunt, ſed currentem potius vt aiunt, incitarunt. quod vtinam cum voluntate cætera congruerent: iam iámque vobiſcum eſſem: ſed vides anni tempus: vides itinerum difficultatem: ſcis, quàm imbecillo ſim corpore, quàm tenui, & ad incommoda, iniuriáſque cæli deferendas parum aperto. timeo etiam à militibus; à quibus otium non eſt: excurrere enim dicuntur, & prædas facere. non igitur veniam, cùm à vobis vnius diei vix abſim interuallo? veniam, opinor; quæque aduerſantur, & impediunt, contemnam omnia. volo omnino meis oculis, Farneſio videndo ſatis facere volo hanc à me ipſo gratiam inire, & ſalurationis officio expetito ſanè ac debito, perfungi. Te verò, optime, ac doctiſſime Mari, cuius conſuetudine & ſermone careo multis abhinc annis, quem mihi tamen ex animo nunquam eripuit neque tempus, neque longinquitas, quo ſtudio complectar? quantam hauriam, cùm præſens præſentem alloquar, voluptatem? dilexi equidem, à quo primùm die te cognoui, tuos mores, tuam naturæ comitatem, ac ſuauitatem: doctrinam verò, ingenium, induſtriam ſuſpexi ſemper, extuli-

que laudibus ad cælum: nec iniuria. nam si, Romanæ linguæ studiũ colere & illustrare, laus est: quis hoc te vno aut curauit studiosius ætate nostra, aut cumulatius præstitit? ego ipse, quẽ tu esse aliquid vis in hac latinè scribendi facultate, in quo vereor ne te fallat amor: nam iudicium in dubium vocare non debeo: sed, si quid sum, magna ex parte de tuo fonte fluxi. thesauros enim Ciceronis omnes, in illo præclaro tuarũ obseruationum libro congestos, reperi; & vsus sum facilè: quos colligere dispersos immensi laboris fuisset, ac temporis. Laudas igitur beneficium tuum, cum me laudas, & quodam modo præmia capis meritorum tuorum. De loco in oratione pro Sextio, disputas eruditè: nec à iudicio tuo mea discrepat opinio. quiddam tamen superest, quod me leuiter pungat. qua de re cùm erimus inter nos collocuti, vel ego tuam sententiã, vt veram, vel tu meã sequeris gratiæ faltẽ causa. Vale, & Farnesio Cardinali, simulq; Antonio Mirandulæ, Episcopo, vni omnium doctissimo, atq; humanissimo, meis verbis salutem plurimam dicito. Asulæ.

SILVIO ANTONIANO.

Ferrariam. 4

Acute admodum, mi Silui, nec minus amanter, scribis. ego autem in amore facilè possum tibi respondere, planeq; respondeo: ingenij signa, prædico tibi, ne prorsus vlla meis in litteris aspectato, non soleo fere studiosius epistolas elaborare: primum, quia, si quid scribitur ad familiares, planè familiariter agendum puto: odi illa nimis ambitiosa, constructa verbis, & sententijs exquisitis: deinde, quia ne si velim quidem in epistolis agere accuratius. relinquitur vt possim. vrgeor quotidianis amicorum salutationibus: negotijs, & rei domesticæ curã

pæne

pene opprimor: oculorum verò valetudine sic interdum vexor, vt nullam partem capiam quietis. quare malè mererearis de amico tuo, si velis ei, tam valde occupato, tam grauiter affecto, diligentiæ onus imponere. imitetur epistola sermonem. excurrat liberè, nullis adstricta legibus, & suauem quandam, perfecta non indignam amicitia, negligentiam præ se ferat. alioqui officium scribendi, sæpe inter absentes necessarium, gratum quidem semper, iniucundum & graue nimis accurata reddet industria. Quod me ornas laudibus: non efficis, vt ipse mihi placeam, aut assiniam plus quàm soleo: id assequeris, vt me tibi deuincias magis, cuius ex amore fluere ista video, nimis in me honorifica, præclara, singularia: quæ optaui equidem semper, adeptum me nunquam putaui. sed videlicet, affingite veritati vobis poetis religio non est; idque facitis libenter; ne consuetudine interim ista, quodam modo vestra iura minuantur. mè tamen, si poeticè scribis, artificium tuum; sin, vt scribis, ita sentis, error etiam delectat. hæc enim me tibi commendat opinio, & amorem augeat necesse est: fortis etiam, vt spero, fructum pariet. nam meis laudibus, tuo commoti testimonio, cùm te excellere ingenio, florere maiorum Principum gratia constet, non pauci fortasse assentientur. quod vtinam, id quod in meis consilijs erat summum, Ferrariæ mihi viuere per valetudinem licuisset. ne ego te, singulari virtute adolescentem, ita meis studijs, & officijs essem complexus, vt nemini prorsus tuorum familiarium, ne Riccio quidem ipsi, apud quem filij locum obtines, in te amando concederem. Quid inquies, si te, depulso morbo, confirmares? Vtinam id aliquando eueniat: sed id quidem sperare iam vix audeo. iaceo enim

nunc,& langueo miſerrimè: nec mihi cæli mutatio profuit: nec nouis remedijs locus eſt; quæ iam omnia fruſtra conſumpſi: vno tamen bono mea mala compenſantur, quòd etſi vires corporis magna ex parte, ingenium tamen, qualecumque eſt, vis morbi minimè debilitauit, aut fregit. itaque ſingulis noctibus aliquid ſcribo, aut legenti puero aures prębeo. ſic aſſequar fortaſſe, vt, qui me non vident, carentem publica, & communi luce, viuere tamen intelligant, atque ita viuere, ne quando cum alijs planè totum extinguar. Tu fruere, optime Silui, iſta valetudine, & iſto otio: cùm illa tibi naturæ munere ſatis firma contigerit, hoc habeas tui principis liberalitate vberrimum. Vale. Venetijs.

BARTHOLOMAEO RICCIO.

Ferrariam. 5

Vera narras, optime Ricci, atque ita narras, vt in magna tuarum litterarum prudentia facilè tamen amor interluceat, Mihi, vt ſcribis, conditiones hoc biennio delatæ ſunt multæ, omnes cum emolumento, nulla ſine dignitate. fecit tamen ſiue valetudo mea, ſiue voluntas, ſeu fati potius, quæ in rebus humanis dominatur, occulta quædam vis, vt omnes reiecerim. hanc poſtremam, delatam a ſummo Cardinali, Hippolyto Eſtenſi, vnam auidè ſum complexus, vnam omnibus antepoſui: nec eſt in meis conſilijs quidquam antiquius, quàm vt in illius aula, eximij Principis, ac viri præſtantiſſimi, conſeneſcam. itaque, quod hortaris, vt ad vos quamprimum me conferam; non efficis vt cupiam, qui cupiditate iam ardeam, dolorem potius auges; cùm intelligam, quòd maximè velo, id me conſequi, hoc quidē tempore, minimè poſſe. nam, vt omittā, quod hæc me frigoris acerrima vis & intemperies cæli

ſemel

ſemel aut iterum cubiculo egreſſum peſſimè accepit, & in eadem claustra, in eaſdem, vbi multis iam menſibus iacui, tenebras retruſit: præterea pietas me retinet. Fratres habet vxor mea duos: quos ego ambos vnicè diligo: contraq; ipſi mihi ſingularem non modo beneuolentiam, verùm etiam obſeruantiam præſtant. probi ſunt adoleſcentes, ingenio, modeſtia, virtute etiam ornati; vna re minus laudandi, quod inter ipſos parum conuenit. orta eſt inter eos poſt obitum patris de hæreditate diſſenſio: inde lis, inde odium. quod niſi ego me interpònerem; niſi vtrumq; prenſarem, rogaremque per parentis manes, per ſolitudinem matris, per exiſtimationem familiæ: conflictarentur aſſiduè turpibus iudicijs, graui iactura famæ, magno rei familiaris detrimento. hoc ego dum verſor in negotio; dum in eo ſtudium, operamque pono, vt vxoris meæ fratribus conſulam: putem mihi eſſe verendum, ne quis me ſana præditus mente, reprehendat? non puto. non igitur hoc, te iudice, pertimeſcam. hem, Ricci, qui ſacris in litteris non ambitione, vt multi, ſed ita verſatus es, vt ſcientiam, è libris petitam, vita exprimeres; quæ ſunt illa præclara, quæ nos ille bonarum actionum magiſter optimus edocuit? non hæc ſunt, egentibus ſubuenire, errantes in viam, diſſidentes ad concordiam reuocare? ama igitur me de hoc officio. non poſtulo, vt laudes. iam enim didici, vel ætate doctus, vel morbo admonitus, rectè factorum fructum à Deo potius, quàm ab hominum iudicijs, expectare, omnemque laudem non in honore verborum, ſed in ipſa re, atque in vna virtute conſtituere. Videsiam duas eſſe commorationis meæ cauſſas, vtramq; ſatis grauem. accedit tertia, ne ipſa quidem leuis, vt imprimam librum meum de legibus Romanis; quem poſcentibus multis debere iam diutius vix poſſum.

possum. eóque magis in hanc voluntatem incubui, quòd inscriptus emittetur Hippolyto Cardinali. Tu, mi Ricci, fac tibi ita persuadeas, amabiliorem mihi Ferrariam fore tua caussa. tuis enim sermonibus, tua humanitate, tuo lepore fruì, interruptam que multorum annorum consuetudinem licebit aliquando refarcire. quod vt sit maximè diuturnum, opto vehementer, &, vt tu amantissimè auguraris, etiam spero. Vale. Venetijs. 1556.

ANTONIO AVGVSTINO, Romam.

ACCEPI tuum Varronem, missum ab Octauio nostro, delatum à Læuino. quid quæris? te dignus est. quòd si operam eandem posueris in Festo; plurimum tibi Romanæ litteræ debebunt, aggredere. quid enim tibi non succedat? qui, (vt omittam illa, quę pleno iam theatro spectata sunt, ingenium, iudicium, doctrinam) quantus quantus es, totus labor, totus industria es. ac mehercule non solùm communi nomine, sed proprias etiam tibi ego agam, atque habebo gratias, nam, quem in eo libro emendando laborem suscipere cogitaueram, quem fortasse, & alijs pressus oneribus, & natura, ac valetudine imbecillus, non ferrem, eo me leuabis. Vale. Venetijs. Egregio iurisconsulto, Pyrrho Tarro, veteri mihi necessitudine coniuncto, salutem plurimam. M.D.LIIII.

EIDEM, Romam.

EGO verò & scripsi iam, nisi me fallit memoria satis apertè: & nunc, quando tibi ita placet, iterabo eadem libentissimè. Lapides, aut nummos, si quos habes, in quibus mentio fiat legum Romanarum,

sum; eos si nobis impertieris, habebo gratias, tuumque etiam beneficium ipsa fortasse, me narrante, posteritas audiet, tabulas videor mihi legisse Romæ nescio quas: sed neque tum descripsi; qui magni non facerem ea, quæ nunc quidem tanti puto, nihil vt potius mihi sit: neq; verò, quo in loco, aut apud quem eas legerim, satis nunc in memoriam reuocare possum. quare ad te confugio, vniuersæ arcam antiquitatis, arcam tamen eiusmodi, quæ pateat amicis tuis, hoc est bonis viris. quo me in numero quia esse vis, triumpho. Alexander autē tuus facilè nostrum artificio vincet. tu enim excellis: at nos quid sumus? aliquid fortasse, si cum alijs: nihil certè, si tecum Augustine comparemur. Plura nec possum, quòd eram occupatus: quanquam hoc quidem quotidianum est: nec debeo hac in re, quā tibi non solùm amicitia nostra, verùm etiam littera ipsæ, quibus tibi scio nihil esse carius, etiam me tacente, magnopere commendant. Vale, & Siluestrum Aldobrandinum, virum excellentem, meum perueterem amicum, nisi graue est, saluta meis verbis plurimum. Venetijs.

EIDEM. Romam. 8

NISI quis casus meis consilijs occurrat, editionem cogitabam eius libri, quem de legibus Romanis quinquennio ante à me conscriptum, debere diutius multis flagitantibus non possum. ad hunc librum quantum ex antiquis lapidibus accedere possit ornamenti, præclare intelligo. porro, tu is es, qui hoc in vsu, atque hoc in genere scientiæ, tum quia Romæ viuis, tum quòd in studijs totus hæres, pænè solus excellas. quanquam hoc in tuis laudibus minimum est: alia sunt in te, quę ego non desino prędicare, haud sanè paulo præstantiora, quæ non est hic commemorandi locus, ac ne significandi quidem;

ne tu me nimium esse blandum, &, quasi tuæ diffidentem humanitati, ad hoc artificium confugisse existimes. peto igitur à te, atque etiam rogo (quamquam hoc verbum amicitia nostra, tuaque maximè bonitas respuere videtur) si quid habes, quod ad leges Romanas pertineat, è libris excerptum, & veterum lapidum, aut etiam nummorum obseruatione collectum, id mihi vt impertias, bene mereberis de litteris, vel potius bene de te meritis gratiam referes: quandoquidem earum ope, ac merito tantus es: bene etiam de me ipso; cuius laudi, pro nostra necessitudine, meóque erga te studio singulari, debes velle consulere. quanquam hoc ego certè non modum specto: ambitionem enim pene habeo in extremis: prima mihi est, omnium que rerum antiquissima publica studiosorum hominum vtilitas: quò mei labores intenduntur, mea, quæcunque est, dirigitur industria. excute, si me amas, atque euolue funditus illa tua scrinia, in quibus conditi rerum antiquarum thesauri asseruantur, nemo enim, si possessio litterarum diuitiæ sunt; quod homines eleganti iudicio, sanáq; prædit mente opinantur; nemo, inquam, optime Augustine, te ditior est. nec verò de tuis copijs multum imminues, si, quod futurũ speramus, inopiæ nostræ subueneris, qui si etiam nobiscum plurima cõmunicares, multo id tamen, quod dares, minus esset, quàm quantum tibi, libris assiduè tractandis, quotidie quæritur, verùm modestè tecum agimus: petimus à te minima de maximis: itaque facilè impetrabimus. Vale. Venetijs.

EIDEM,
LEGATO PONTIFICIO.
Viennam.

QVIA

QVIA mihi honore tuo nihil est antiquius: propterea non mediocrem cepi lætitiam: tibique sum absenti gratulatus, quo primùm tempore de legatione tibi delata ad Romanorum Regem, tum ex amicorum litteris, tum ex multorum sermonibus cognoui. illud, vt verè dicam, molestiæ non nihil adsperfit, quod veritus sum, ne nostræ litteræ, quibus, in vrbe dum vtuis, tua studia splendorem, & vtilitatem addunt, te discedente, & in Austriam vsque, ad longè diuersum vitæ genus translato, iacturæ plurimũ facerent. quod si, secus esse, significaueris: (iam enim versaris in ipsa re, quæque tua futura sit in vniuerso fere munere occupatio, vsus te monere, & erudire facilè potest) cumulabis mea gaudia, & habebo gratiam ijs, quibus honestare tuam virtutem his honoris insignibus, nullo nostro, hoc est artium, doctrinarumque liberalium, detrimento, curæ fuit. Ac primùm illud, pro meo incredibili erga antiquitatem studio, etiam atque etiam à te petam, vel potius, quando pollicitus iam es, à te exigam, vt Festum Pompeium tua emendatione perpolias, atque illustres; aut, si habes ita emendatum, vt tibi, acerrimi, ac seueriſſimi iudicij viro, satisfaciat, edendum omnino cures, neque deberi nobis eam vtilitatem diutius patiare, quam, cum in illo verè aureo libro dispersam videamus, colligere tamen vix possumus, vel planè nullo modo possumus, locorum, vt scis, nè innumerabilium difficili scientia impediti. bene collocabitur industria tua: & hunc sibi comitem adiungi, ne solus ea per ora virum. Varro tuus æquo animo patietur. rogandus non es in tua laude, communi præsertim studiosorum commodo coniuncta: vt, si de illa non laboras, hoc saltem commouere te debeat. quod vtinam aut mihi cum hac mente pars aliqua doctrinæ tuæ, aut tibi mea mens

& pla-

& planè incredibilis ad communicandam virtutem animi propensio, cum ista tam exquisita, tamq; multiplici omnium pænè litterarum scientia contigisset. næ ego, quod ad me attinet, multa non fierem ignoraui, quæ scire præclarum est. quæque in tenebris, nisi tu eruas, perpetuò iacebunt. nec tamen persuadere mihi possum, te velle nobis tam iniquũ esse, vt tantam doctrinam, si quid tibi accidat humanitus, (homines enim sumus: nec ego mihi, nec tu tibi de vitæ diuturnitate præstare quidquam possumus) extingui tecum velis. Quid ea, quæ chartis iam, & voluminibus explicasti? cur diutius præmis, optime Augustine? cur ex ingenij tui fontibus expleri nostram sitim non vis? sed opinor, aliquando facies: & faueo libenter meæ spei, paulo minus, quàm tuæ gloriæ, cui scio me optimè, consulere, cum hæc ad te scribo. De me si quæris; vexamur oculorum aniuersario morbo: nec tamen labori parcimus: scribimus aliquid quotidie, aut legenti puero operam damus: aliquo fortasse valetudinis damno: sed nihil est tanti, vt à litterarum suauissima consuetudine seiungar. Onuphrius Panuinius, ille antiquitatis heluo, spectatæ iuuentis industriæ, & ingenio, vt probitate, præstans, hic est, eritque, vt video, in aliquot menses. imprimit suos Fastos cum commentarijs; & interim adornat alia, sæpe litigat obscuris de rebus cum Sigonio nostro, sed vtriusq; bonitas, mutuus amor, excellens ad cognoscendam veritatem iudicium, facit, vt inter eos facilè conueniat. Sigonium de facie non nosti: eius tamen scripta, non dubito, quin legeris. ea doctrinam, & ingenium declarant: humanitatis, & studij erga te, tuique similes testis ego sum: quem debes ipsum suo merito, præterea tuæ præconem eruditionis, diligere. Vale. Venetijs.

EIDEM,

EIDEM, Romam. 10

VBI te ad vrbem rediisse cognoui, vehementer sanè, pro meo erga bonas litteras perpetuo ac singulari studio, sum lætatus, te enim absente silere mihi prorsus Romanæ musę videbantur. Scripseram ad te superioribus diebus; easque litteras ad aulam noui Imperatoris miseram; quas acceperis, nec ne, cupio scire. appellabam te, quod iam promiseras, de Festo cum tuis correctionibus diuulgando. de quo nunc eo magis vrgeo, quia, nisi fallor, spatij plus habebi. aggressus ne sis, & quousq; opus perduxeris, ac de perpolitione quid speres, si ad me scripseris, gratissimũ facies. simul illud, quid quod ad ius Latij pertineat, aut obseruasti scriptum a veteribus, aut ingenio tuo, quo vales plurimum, consecutus es. Nam Latinos reliquis omnibus sociis antecellere satis constat: quo autem iure, quibus honoribus & commodis, adhuc quæro. & vt nonnulli ex Liuio, alij ex iure ciuili, quę rem aperire videantur, in medium afferant, nihil tamen intelligo esse ita firmum vt in eo possit cogitatio consistere. quod tu fortasse præstabis. Vale. Venetijs.

BENEDICTO RHAMBERTO, rusticanti. 11

SVADEBAM, vt exires; quòd ægrotans, quantum esset in cæli mutatione, cognouissem: nunc idẽ angor, te profecto: neque me congressus, neque sermo cuiusquam iuuat: solus, vt in litore, oberro. qui etiam, etsi scio quàm sis prudens, & in omni re moderatus; tamen, vt est amor sollicitus, offensiones in te omnes timeo. commune omnium est, vt rure, veluti quandam viuendi licentiam nacti, liberiùs agamus,

agamus. amabo te, mi Rhamberte, noli istam consuetudinem imitari; serua tuam veterem continentiam. &, quoniam mihi, vt sæpe tecum locutus sum, aduersus non dissimilem distillationem præsens auxilium fuit exercitatio: te quoq; ipsum, nisi fallor, hoc vno maximè senties alleuari; si modò hoc tenebis, vt meridianum in solem ne te committas. multo verò minus in ventum, qui sit inclementior. nam sunt auræ quædam leues, quarum spiritus non modò non hominum generi noxius, sed etiam vitalis: & ego, has sæpe vltro secutus, sensi languentes in me vires earũ quasi flabris excitari. Sed, ô Rhamberte, audi me, hoc verissimè monentem. nihil agis, nisi iucunde viuas. si vis te tibi restituere: des te ad hilaritatem oportet, & ex animo tuo dispellas, si qua tristium cogitationum residet nubecula. Hanc esse præstantissimam medicinam, vel potius vnam esse medicinam, me quidem, superioribus temporibus eodem morbo laborantem, docuit euentus. quare te rogo, vt pro eo, quanti ipse tibi es, quantique etiam nos apud te sumus, quorum salus in tua salute posita est, des operam, vt veterem morbum noua ratione cures, & aliquando istam turbam medicorum malã in crucem iubeas abire: qui te pharmacis non solùm diuersis, sed etiam contrarijs integrum iam annum lacerant, dum latentem in obscuro veritatem tuo periculo quærunt. Vale. Venetijs. 1564. Mense Septembris.

MARIO CORRADO

Brundusium 1 D

Debeo tibi, mi Corrade, totiam nominibus, prorsus vt non videam, qui soluendo esse possim scripsisti ad me sæpe. tantum me? sunt alia: humanissimè, elegantissimè: laudes in me contuliſti eas, quas si agno-

agnoſcam, ipſe me nimium videar amare, tibi tamen habeo gratias de iſta tam liberali, tamq; erga me prolixa voluntate; eamque ſi gratus, id eſt, ſi vir bonus eſſe volo, vt certe volo, puto mihi eſſe inter ſumma beneficia collocandam, itaque, cùm te numquam viderim, fero tamen in oculis &, quamquam habeas, qui te tantum diligant; quos neceſſe eſt eſſe quam plurimos; ego tamen primas in amore partes appeto; ſecundis non libenter acquieſco, non ſoleo blandus eſſe, nec auribus dare, quod negari poſſit veritati, quare velim mihi credas affirmanti, neminem me tibi Latina in oratione anteponere, conferre ad modum paucos, hoc ego ita iudico; nec tu meum iudicium in dubium reuocare debes: cùm mihi iam in epiſtolis tuis tantum in hoc genere tribueris, vnum doleo, tuam iſtam latere virtutem in extremo Italiæ angulo, neque in hac luce verſari, vbi fructum caperes eam laudem, quæ tibi debetur, iudicio, ac teſtimonio præſtantium virorum. quod ſi te cohortando poſſem adducere, vt de migratione cogitares: aggrederer, & in hanc rationem totus incumberem: verum neque mihi de ſtatu rerum tuarum conſtat; & ſi cohortatione moueri potes ipſa te res, nequaquam tibi, vt opinor, obſcura, vel me tacente debet incitare. Quod ſcire vis de meis antiquitatibus, hæc ſunt: Liber nunc imprimitur de legibus: quem, cum erit abſolutus, curabo ad te perferendum. Edidi iam commentarium in orationem pro Sextio, & proximis diebus in epiſtolas ad Brutum & ad Quinctum fratrem: quem tibi nunc vtrumque mitto, maiora vellem & forte eſſe poſſim, verum infirmitas corporis facit, vt labore debiliter: lippitudo autem, ne legere diutius liceat, aut ſcribere. magnam etiam mihi temporis partem eripiunt ſalutationes amicorum, mag-

nam domestica negotia: sexcenta præterea, quæ me à studijs auellunt, sed feramus, humana sunt, nec præcipue nostra, sed communia cum multis. tu me velim, ames, &, si par pari referre vis, amore non vulgari. Vale. Venetijs.

FABIO STELLÆ.

Brixiam.

CVM tu ad me, Fabi, quem de facie nondum nosti, adductus humanitate, epistola miseris tam elegantem, distinctam notis non amoris minus, quam ingenij: ferreus sim, nisi te, patremque tuum sic amem, vt amare solemus ea, quæ nobis in vita prima sunt, sed quid, si me ipsum etiam vestra causa plus amem? quid enim? cùm ego me à parente tuo magni nominis viro, summis virtutibus ornato, diligi videam, à te verò etiam laudari, excellentis ingenij adolescente, optimè ad virtutem animato; non ipse mihi pluris sim? non gaudeam hàberi à vobis, qualis esse semper volui, &, vt etiam, laborauì; sed voluntati exitum respondisse nunquam duxi? Equidem, cùm natura sum, tum valetudine & morbo subtristis; nec ad hilaritatem facile traducor: tuæ tamen litteræ, patrisque tui vix credas, quid animo meo iucunditatis instillarint, qua voluptate, qua lætitia perfuderint, itaque officij vestri memoria sustentor, eamque sic fruor, vt beneficiis omnibus ante ponam, quod vtinam adire ad vos, ac studio vestro satis facere liceret. nihil esset optatius; & esset iter Pastorio comite iucundius, verum nescio quo fato contingit, vt quo primum huc die peruenì, cum tota pæne familia cœperim ægrotare, vxor quidem grauissimè, nec dum valet: ego satis leuiter: sic tamen, vt iaceam; corpori enim imbecillo quæuis incommoditas vix ferenda, quamobrem,

affectus

affectus morbo, à viribus infirmus, equo me nõ auderem committere, vel placidiſſimè incedenti. lecticã inquis mittemus, hac equidem veherer commodius: ſed, mi Fabi, hoc genere deliciarum mei ordinis homines vti non ſolent: ad fortunatos pertinet, itaque differam per aliquot dies, quoad vires colligam, id eſt, quoad equo, aut etiã rheda liceat vti, equos, quidem hic quales infirmitas noſtri corporis requirit, id eſt, qui alterno greſſu crura molliter explicent, quos gradarios antiquitas appellabat, facile poſſum inuenire: ſed inſolentiam huius cæli nõ nihil metuo: rhedam autem, vereor, ne ſucceſſu lædat, omnia tamen, vt video, moderabitur humanitas veſtra. Vale, & patri tuo, præſtanti viro multam ſalutẽ meis verbis. Aſulæ.

EIDEM, *Brixiam.* 14

AGNOSCO tuis in litteris & patris tui, ſummi viri, ſingularem humanitatem, & Paſtorij noſtri, hominis integerrimi, nec eloquentia minus, quàm doctrina, præſtantis, egregiam diſciplinam. & cùm ego te propter illos diligam: (eſt enim, vt ſcis, vterq; mei, & ego item vtriuſque amantiſſimus) tum verò ad meam in illos beneuolentiam, quæ ſumma eſt, nonnihil tamen tua cauſſa videtur accedere. Pater, atque elucet in epiſtola tua pudor ille, ingenuo dignus adoleſcente, qui maxime commendat ætatem pater etiam, quod ſit pudor amabilior, plusque ſibi gratiæ conciliat, ingenium, quæ perſpexerã equidem in te, ac laudaueram, quo tempore diuerſatus Brixiæ ſum in ædibus veſtris, exceptuſq; & cultus à parentibus tuis omni genere officij. ſed nihil præſtantius, nihil admirabilius, quam laudis in adoleſcente perpetuitas, primum enim lubrica ipſa

ætas est; nec reperitur facilé qui consistat: deinde, tenduntur sæpe bonis, quibus capiantur, insidiæ: & multa sunt ad deprauandum parata, improborum consilia, æqualium exempla, voluptatum illecebræ, hæ sunt illæ Syrtes, quibus incerto cursu nauigantes absorbentur: hæc illa saxa, quo salutis cum aperto discrimine impingitur, nec verò, poetas, cùm & hac, & huius generis alia cecinerunt, simpliciter locutos, velim existimes. vtuntur similitudine rerum, quæ subiectæ sensibus sunt, vt animos erudiant, moribusque nostris, ac famæ consulant. Itaque sapientem appellarunt eum, qui maris pericula, voragines, & scopulos, & dubijs agitata ventis loca vitauisset, atque illa perdendorum hominum auida monstra, virginum facie simulata, perdulciq; cantu blandientia, contempsisset. Quæ sunt omnes, mihi crede, imagines humanæ vitæ: qua nullum est magis difficilius, & in qua, nisi rationis quasi gubernaculo regamur, quam facilè fluctuemus, quamque multa, & quam grauia rei familiaris, existimationis, ac vitæ naufragia contingant, si te propter ætatem nondum vsus docuit, disce à libris, vel disce à parente tuo, spectatæ sapientiæ viro: qui se ex hac tempestate tanquam in portum recepit sacrarum litterarum; quodq; habet à foro, quod à publicis muneribus otij, totum id in theologia libentissimè consumit, quem tu imitaris, vt audio, si minus in studio doctrinæ, at in voluntate, in moribus, vitæque instituto, contemnere te aiunt, quæ ceteris ab adolescentibus cum voluptate fiunt, abhorrere à lusu, venatione, cursu, alea: leuia ducere hæc, inania, indecora, turpia, deditum esse litteris, vel quibus ad humanitatem informamur, vel quibus ad excellentem liberalium disciplinarum cognitionem aditus aperitur: maxime vero solitum ea meditari, &

curare

curare diligenter, quibus æternæ vitæ salus comparatur, diuina sunt hæc munera, mi Fabi: non a nobis profecta, aut elaborata, nec omnibus impertita, tibi contigit, vt ita sentire, & ita velles: habe gratiam Deo, qui te tantis in tenebris, atque erroribus præcipuo quodam lumine illustrauerit, aliis non idem contingit: mirari noli, neque causſam quære. abdita sunt, nec humanis comprehensibilia mentibus arcana cæli, stet illud modo, nihil vsquam fieri, nihil euenire aut insciente, aut nolente Deo: quæque ille vult, & quæ permittit, ea nequaquam reuocare ad nostrum iudicium debemus, neque rectène fiant, an secus, interpretari. Et omnino velim te, cùm de diuinis rebus cogitas, minuere opinionem scientiæ, demittere animum, mentem, vnamque putare certissimam doctrinam, pietatem in Deum, aut, beneuolentiam, & studium erga illos, qui nobis à Deo commendantur. Quæ non dubito quin sæpe ita cogites, vt credas; nec te ita puto credere, vt re ipsa non præstes: cum te omnes ita viuere confirment, vt à tuis moribus procul absit arrogantia. Verumtamen, si tibi laudo id, quod amas, & quod amandum existimas, non à te gratiam ineo? non hæc tibi, licet parum necessaria, iucunda tamé commemoratio est? Sequitur illud: Ipse mihi satis facio, nam, quæ laudatio videtur, eadem, si attendis cohortandi etiam vim habet, quo genere, pro mea in te beneuolentia, magnopere delector. Atque etiam in huiusmodi sermones ego soleo libenter ingredi: quia, si nihil aliud, ipse mihi fructum fero, dum ea tracto quibus amore summi boni, studioque incendor. Te autem, cùm hæc legis, lætari oportet vel tua causſa, qui tuum intelligas iudicium nostra sententia comprobari; vel mea; quam sentire tecum videas, & ijsdem gradibus parare ad scensum ad ea, qua

quanta sint, ex eo conijcitur, quòd ipsa tantum spes tranquillitatem parit animis nostris, eosque non à malis modò, sed à malorum quoque metu vindicat. Macte igitur ista voluntate, & isto sensu maturè vidisti, quis esset rectus ad gloriam cursus, sequere iudicium tuum, nec tamen contemnes nos, si quando hortemur: & ipse nos vicissim, vbi languemus, hortare, sic erit mutua gratia, sic amabimus etiam magis inter nos. mutuo beneficio prouocati. Vale. Venetijs. 1558.

IOANNI BAPTISTAE PASTORIO.

Brixiam.

Ego verò te, mi Pastori, tua causa dilexi semper. habes enim, quæ tibi amorem concilient, doctrinam, & humanitatem, munera, quæ mittis, me tibi obstringunt magis, benenolentiam in te meam augere non possunt, quæ enim à virtute profecta sit, non his tanquam adminiculis nititur, sed consistit ipsa per se; eòque iam processit, vt ad summum peruenisse videatur, præsta te mihi, obsecro, qualem adhuc cognoui, amantem mei, & in amicitia constantem. munus hoc erit omnium munerum præstantissimum, quod ego, qui sim mei erga te animi ipse mihi conscius, quasi debitum exspecto. Vale Asulæ.

VINCENTIO STELLAE.

Brixiam. 14

Superioribus diebus, quo magis incitabar cupiditate veniendi ad te, visendæque vrbis, vt audio, pulcherrimæ, qui essem litteris & tuis; & filij tui, id est vtriusque tuis amantissimè inuitatus: eo me reuocabat magis pudor meus: neque tam, quid tua permittere humanitas, quàm, quatenus mihi per-

mo-

modestiam meam progredi liceret, cogitabam, ac sæpe mecum sic. An tu ad hominem, quem numquam allocutus? quem ne vidisti quidem? adde quem virum, quam nobilem, quam grauem, quàm districtum magnis rebus? ego autem quis? infirmus natura semper, nunc etiam valetudine impeditus, exquisita quadam ratione, & cura tuendus. Contendebam equidem cum animó meo: nec vici facilè: sed vici tamen aliquando, & decreui omnia ad vos primo quoque tempore me conferre, vereor enim dum valetudinis commodum exspecto, & id ago, vt, quas morbus ademit, vires colligam, in hiemem ne incidam, id est in imbres, & frigora: quorum altero viæ corrumpuntur: alterum scis esse λιπτοὶ χρωτὶ πολὺ μιώτατον. nam illud, in quo tibi fortasse, vel domesticis tuis, incommodare mea mollitie, & paulo fastidiosior in victu consuetudo potest id non specto, aut enim exiguum quiddam erit, & feretur facile: aut, si magnum, illustrabit benignitatem tuam. Statutum igitur de re: nec est, cur sententiam mutem: videndum de ratione itineris: quam tu ad meam uoluntatem, meumque consilium, quæ tua est humanitas, totam reiicis, ego autem nihil puto commodius, nihil aptius ad virium infirmitatem sustentandam, quam lecticula gestari sed habet species illa, quod ad Fabium tuum scripseram, quiddam nimis honorificum: nec ego is sum, qui, quod superat fortunam meam, eo libenter vtar, verùm ignoscetur valetudini: quam satis infirmam, atque imbecillam, concussus & vexatio facile frangerunt, rheda quidem, qua mearum bene perita curationum ancilla cum filiola & puero vehatur, opus est, hæc si habeo, vel potius cùm habeo; (vis enim me à tua liberalitate omnia exspectare) dabo me statim in viam

& ea quidem spe, vt aliquem è cæli mutatione fructum capiam, maximum quidem ex tua humanitate, quam cantari ab omnibus audio. Vale: Asulæ.

EIDEM, Brixiam. 17

Quod veritus sum, fieri video, vt imbribus madescat humus, & pulus in lutum coacta vias impediat, ac turpi fœdet adspectu, frigoris etiam acres morsus hoc triduo sentire cœpimus. quæ cùm sint iter habentibus incommoda; tum verò, maiora vt timentur, hiemis propinquitas facit: vt mihi vel maturè, nulla interposita mora, veniendum ad vos, vel totum consilium necessariò abijciendum intelligam, febricula omnino tentamur quotidiana: sed opinor, decedet, cùm primum ex hoc me domestico mœrore ereptum statuam in tuis aditus, id est in aliqua, vt spero, iucunditate, atque lætitia. iniuriias autem cæli, lectica circummuniti, possumus contemnere; quammobrem, quod tuo commodo fiat dabis negotium tuis, vt Saturni die aut, qui sequetur proximo, vehicula perducant. Lecticario mandetur, atque etiam aurigæ rhedam moderanti, ne quid approperent, nisi me iubente; & omnino rationem itineris ad meam voluntatem accommodent, hoc tu, scio, Stella, vel me non scribente, mandasses, nihil enim te præterit, ob eximiam prudentiam: nihil portò non vis amicorum tuorum caussa, ob humanitatem prudentiæ parem. Vale. Asulæ.

* 18

Ego verò, comprimi á te meam caussam librum tuum, minimè volo, quin, si ad me refers, vt edas quam primum, suadeo: rogo etiam pro eo, quantus est amor in me tuus: quem non esse mediocrem, tuæ litteræ significant, an ego ita sim bonis artibus infensus, vt industriæ tuæ impedimenta apponam, & excel-

collentis ingenij fructus, cum bene maturi sint, condi potius, ac domesticos intra parietes asseruari, quàm in publicum afferri, & communicari cum omnibus velim? illa de tuis hortis, & nostris fontibus, eleganter à te, nec sine sale prolata sunt, verùm agam tecum perliberaliter, atque hanc partem libenter dissimulabo, tibique totâ largiar, in reliquis etiam habeo rationem amicitiæ nostræ, nuper institutæ, maiorem tamen fortasse veritatis. Tua scripta, proximè edita, doctrinam habent, & accuratam antiquitatis observationem. itaque vigebũt omnibus, & laudabantur, quod si quid est, quod desiderari possit: primum id leue est; deinde, vt scis, non imminuit, sed auget; nævus informoso corpore pulchritudinem Vale. Venetijs.

EIDEM. 19

Noli officium litterarum à me requirere: numquam scripsisti, quin rescripserim, quod si contrà, quàm res est, videtur; alieno vitio fit; à me quidem prorsus abest culpa. De horologio quod iterum iam scribis, vincit pudorem meum humanitas tua, iam enim statueram oneris tibi nihil imponere, publica explanandi iuris cura occupato, quotidie aliquid scribenti, vnde ad nos vtilitas, ad te ipsum gloria permanet: negotium amico dederam: & ille curaturum promiserat: nec tamen biennio fidem soluit. quare accipio libenter, quod das, tu mihi, quod tuo commodo fiat, horologium Augustæ elaboratum; ego tibi, quantum scripseris, pecuniam statim curabo, quale velim, iam antea significaui, factum eleganter, artificio non vulgari. Audieram, quæ ducuntur egregia, minoris triginta scutatis emi non solere. Hoc quidem esset nimium: nec rei familiaris ratio ferret; cui consulere, quia copiosa non est, videor debere, porrò genus hoc ornamentorum ita

doleo cupere, vt non insaniam: cupio autem valetudinis, non libidinis caussa, cum enim mesatis tristem natura finxerit, accersenda extrinsecus iucunditas est, quam à me ipso petere non possum: eoque magis, quod plurimus in cubiculo sum, affectum iam quadriennio per totam hiemem oculorum morbo, molesto tamen potius, quàm acerbo, nolim igitur impensam esse supra decem scutatos, aut omnino quindecim, eamq; ita fieri, si horologium probetur oculis eruditis. itaque vide, cui negotium mandes. nam neque omnes intelligunt: & aliis alia probantur, ego formam, & artificium, non materiam, cupio emere. De tuis Instit, egi diligenter; hortatus sum, lucri maximi spe proposita, vbi ad pretium ventum est, audire se negarunt, itaque tibi autor sum, cum ijs transfigas, quos faciles iam habuisti, & in tuo merito, satis, vt audio, liberales. Vale. Venetiis

* 20

Volfangum VVerter, cum aliquot abhinc annis Patauii adolescens daret operam Bonam ico, dilexi multis nominibus plurimum, nam vt omittã, quod & in aspectu species quædam index nobilitatis, & in sermone, atque in moribus probitas elucebat: incensus litterarum studio colebat me, a que obseruabat diligentissime; sic, vt in magna frequentia amicorum nemo tamen mihi esset illo carior, nemo iucundior. tueor illum amorem, &, quoad viuam, tuebor, eique absenti memoriam. beneuolentiam que, quam debeo, fratribus præsentibus officia, quæ potero, accurate præstabo hoc cum mea sponte facturus essem, quantum, optime *mihi accessisse voluntatis existimas, quod eos tu, vir inter maximos summus, & in exercenda virtute semper occupatus com-

commendandos mihi tuis litteris putasti? nam, si quis est, qui de tuo ingenio, de doctrina, in primisq; de eloquentia bene & sentiat, & loquatur, is ego sum; planeque meos eò sensus libenter conferam, vt, qui tibi cari sunt, eosdem ego quoque diligam. Quare, si vis, da mihi ornandos, atq; amandos, qui ad nos veniunt, amicos tuos, officijs eos, si potero: sin minus, studio certe, & humanitate complectar, ac ne dubita futurum, vt, quo tu sis apud me pondere, cùm intellexerint, gratias tibi, quod eos tuo cõmendatione sis prosecutus, diligenter agant. Audio té quiddam pãgere in Rhetoricos Aristotelis libros: quod, quale ex specto, auguror futurũ, præclarum scilicet, ac te dignum, vrge igitur, vt & cõmuni vtilitate, & tuæ gloriæ consulas. Vale.

EIDEM, * 21

Nos hic, optime * (ordior à re tristi; quando lætæ non suppetunt) annum habemus pestilentem; & pulcherrimam ciuitatem quotidianus deformat aspectus mortuorum, fuere iam cœpit morbus & insultat in omnes palam. sine discrimine, qui antea repebat sensim, & latenter, nec fere quemquam, nisi obscuri loci, infimæque sortis, attingebat: quare diuina sunt imploranda remedia. humana quam iacebant, sæpe docuit euentus. Vobis recte istic esse audio, perpetuoque sit opto; tum ab huiusmodi morbo, qui non modo priuatas domos exhaurit, verum etiam vrbes deuastat, tum à cunctis discordijs, ac bellis & intestinis, & externis. Te verò florere omni laude, valere auctoritate, valere gratia, esse vnum, ad quem omnes confluat consilij auxilijque caussa: nisi plurimum læter, male sentiam de virtute, vnde tibi ista fluxerunt; male etiam de me ipso: quia tuam vitæ rationem probaui quidem semper

secutus

secutus autem sum, quatenus licuit: licuit enim certè multo minus quam volebam, vnum si addis, vt ingenium tuum, quo nullum vidi præstantius, languere non sinas, & otij tui rationem constare velis, hoc est. vt aggrediaris ad scribendum illa præclare, quæ te audio tuis familiaribus esse pollicitum; aut, si iam habes instituta, perpolias, nobiscumque & cum posteritate communices: ne tu,* omnium fortunam vincis, & solidam planè possides felicitatem. Equidem, quod ad me attinet, idem conor pro mea virili parte: & hæreo, quoad possum, in scribendo: sed mea ratio quàm non sit eadem, quæ tua, cognosce. Valetudine sum ea, quæ facile in morbos incurrat, imbecilla prorsus, & incommoda: itaque sæpe in cursu institutorum meorum, cum progredi maximè vellem, consistere sum coactus. Accedunt, quæ tēporis haud exiguam partem auferunt salutationes multæ multorum: in quibus videtur esse honor, & est omnino quædam species: sed valeat ambitio: odi omnia, quæ detrimentum studijs afferunt. Quid domestica? non enim tantum à me pendent ij qui meos intra parietes viuunt, vxor, liberi, familia: sed fratres quoque suas in me vno rationes habent fitas: vterque meis consilijs, alter etiam meis opibus quantulæ cumque sunt, nititur, ac sustentatur. Vides rerum mearum imaginem, vt in tabula depictam. nec tamen abrui me sino fluctibus molestiarum: sed enitor sæpe, & cōsequor interdum, vt ex omnibus curis atque occupationibus emergam, meque saltem per aliquot horas in portum recipiam litterarum, quo si frui diutius liceret, in cælo essem: quia non licet, hortor te, cui otij satis est, ingenij verò, scientiæ, iudicii multo plus, quàm mihi, vt hæc omnia studiosorum ad vtilitatem conferas, quod si facies; gloriosum tibi erit ex ipsa re, quem video præ-

stare posse maximas ceteris non modo re, verum etiam exemplo fructuosum, fortasse enim, te præeunte, alij, quoquo modo poterũt, inuitati laude subsequẽtur. Ego meas Antiquitates, etsi, vt ille ait, spissum opus est, aliquando tamen, vt spero, pertexam. Vale: Venetijs.

* 22

Gratæ mihi tuæ litteræ, gratissimus verò qui te ad scribendum animum impulit, atque ego te antea diligebam; quod ingressum esse minimè vulgarem in viam litterarum, longéque per eam processisse, intelligerem: sed auxit amorem in te meum hæc, à me nunc minus exspectata eoque iucundior, voluntatis erga me tuæ minime dubia significatio, soleo enim amare in hominibus humanitatem haud paulo plus mehercule, quam doctrinam. ac doleo factum esse antea, casu dicam, an voluntate tua? vt oriatur inter nos quibusdam ex opinionibus dissensio: ijs tamen de rebus, quæ si dilucidè pateant, quod accidere potest vtroque nostrum disputante, studiosis fortasse non nihil in eo consuletur. id quod est in meis consilijs, & fuit semper antiquissimum. Nam quòd mea quædam improbas: si rectè sentis, habeo gratiam: errare possum; & corrigi volo, sin, vbi de meo sensu iudicas, tua te fallit opinio: ego tamen, quæ à studio veritatis culpa manat, libenter ad laudem conuerto, itaque quod ad hanc partem spectat, nemo audiet me querentem: excusabo te potius, atque etiam, quoad licebit, ornabo. Quod autem, quæ meis in scriptis non improbas, ea dissimulas, & in tuos commentarios meo nomine prætermisso, quasi noua transfers: miratus sum, & requisiui paulisper in eo modestiam tuam. agam enim tecum libere, sicuti natura mea postulat, & inter bo-

nos

nos vitos æquum est. Illa de iudicijs extraordinarijs, quæ te scribis edidisse, si deleris operam, vt ad me perferantur, etsi ea discrepare significas à sententia mea, gratissima tamen erunt, & gaudeo te tam esse diligentē in meis scriptis peruolutandis, & occasionem mei admonendi, & corrigendi tam libenter quærere, sic enim intelligam: vbi corrigendi finem feceris, minium, quæ superserunt, à te omnia probari, vnum peto, fit conficio pari des mihi, vt idem liceat per te, quod licere tibi, per me volo si quid ego de tuis itidem non probauero, noli grauiùs commoueri, iudicemus pariter, ego de te, tu de me vtram in partem libet: amemus tamen inter nos, vt boni viri solent; &, si quid fortasse de iudicio, nihil tamen de benevolentia detrahat. Libros quos petis, habeo nullos, Cicerone excepto, nec eius generis nunc quidem, tibi quidquam polliceor. quæ verò ipse composuerim, paucis mensibus habebis, si valebo, commentarium in epistolas ad Quinctum fratrem, & librum de legibus Romanis: qui est antiquitatum, mearum sextus. De Sextiana oratione, si scriptā contuleris cum impressa, quæque loca varia sunt miseris, amabo te: idque vt facias, rogo, Vale. Venetijs.

HIERONYMO FVRNARINO.

Rauennam.

Vides me tibi satis facere; &, quod olim petiisti, id nunc, tuæ memorem voluntatis, re præstare? non enim, vt solebam, plebeio sermone tecum ago; sed eo, quem in quadam epistola patricium appellasti; qui quam tibi sit indelicijs, quantumque in eo studij posueris, & industriæ, facile ex ea ipsa epistola potui coniicere. verum, quod ad me attinet, non ego meas litteras eius esse generis intelligo, vt ab homine

homine patricio scriptæ videantur esse, quid enim habent, vt ita dicam, nobilitatis, quid splendoris aut in sententijs, aut in verbis? conor equidem: & huius me cupiditas laudis multos iam annos incitat: sed moratur rei difficultas, occupatio domestica, valetudinis infirmitas: scribo tamen assiduè, quantum licet & quoque modo licet. animos videlicet mihi facit, quod inter nos dictum sit, multorum inscitia: cum quibus interdum me confero non sine voluptate; sicuti contra, cùm in antiquitatem ipsam intueor, contemno me, planèque ipsa mihi displiceo. vera enim illa fuit, fuisque absoluta numeris eloquentia: nostra infantia est, mi Furnarine; tos balbi, nos elingues pænè fumus in Latina lingua. Sed quid ago? dum tecum suauissime loquor, nulla certa re proposita; paginam, verbis vndique sua sponte confluentibus, implevi. erit igitur, quo initio scribere statueram, idem clausula mearum litterarum. Mitto ad te munusculum tenue, amoris tamen significationem in te mei, commentarios, à me nuper editos, in epistolas ad Brutum, & Quinctum fratrem: quos, cupio, diligenter legas: id si assequor à te, tui similibus: honestabor, & gratia meis laboribus optima referetur. Vale. Venetijs.

LÆVINO TORRENTIO.

Leodium. 24

Mirabar, cùm in tuis verbis tanta sit humanitas, quæ tuo mehercule etiam elucet in vultu, cur deberi mihi tam diu paterere tuas litteras; quas, vbi Leodium peruenisses, missurum statim pollicitus eras, hanc admirationem, in qua molestiæ quiddam inerat, sustulit prorsus epistola tua, scripta sanè elegantissimè: in qua causam tui silentii conferis in peregrinationē, & negotia, quod si iam in otio cōfecisti,

exerco

exerce ingenium tuum preclaris in ſtudiis, non vt amicus tuus, qui nihil vnquam parit, cùm tamen parturiat ſemper; ſed vt edas aliquid, quo tuum nomen, æterna cum laude coniunctum, ab hominum obliuione, omniq́ue prorſus interitu vindices. Leodienſem Epiſcopum, de quo multi multa narrant, omnia præclara, ſummoque digna principe, ſi quid habeo artis, aut facultatis, ornabo laudibus: ſin, quod ſuſpiciã, præſtare nõ licebit; amabit ille tamẽ, vt opinor, voluntatẽ. tu me interim demeliore, vt ille inquit nota, commendabis; eiuſque in me beneuolentiam, ſi qua eſt, ea, qua apud illum vales, gratia fouebis. Vale, noſq́ue ſæpe litteris, ſi otium eſt, ſalutato. Venetijs.

SEBASTIANO LEONI CORDVBENSI. *Romam.* 25

Soles in noſtris ſermonibus, humaniſſime Leo, quod mihi maximum eſt argumentum amoris tui, monere me, atque etiam rogare, vt pro tenuitate valetudinis meæ litteris vtar moderatius? & in ſtudio virtutis, quod difficillimum eſt, temperantiam adhibeam: amabiliter tu quidem, & officioſe admodum: ſed hoc mihi perſuadere ſi vis, priùs illud perſuadeas oportet, non magnopere eſſe de gloria laborandum: inanes eſſe noſtras cogitationes: ſtulta conſilia, quæ ad eam dirigantur: ad quam cauſſam non tu quidem vmquam tantum afferes eloquentiam, vt in re tam præſtanti mihi quidem probes modum eſſe ſeruandum, quamquam, quod ad rem attinet, tu quoque mecum ſentis, vel potius ego tecum in litteris affirmas eſſe viuendum, & optandum in primis ſcientiæ cognitionem; ſed cum eo tamen, vt ſalutis ratio habeatur, obſecro te, mi Leo, quid tu exiſtimas deijs, qui diuitias immoderatè appetunt? num

num errare videntur? certe. at ipsi aliter putant, itaque persequuntur institutum, quid de ijs, qui honores sitiunt? non dubito, quin hos quoque sententias peccare, & peccant sane. timida est enim ambitio, ideoque misera, neque tamen pauci sunt, quos inficit hæc labes, ego & cum his intelligo me errare, & præterea cum multis: sed diuersa ratio est, illi eas res plus æquo appetunt, quas consecuti, meliores numquam deteriores etiam plerumque efficiuntur: ego in earum artium indagatione sum nimius, (sic enim ipse existimas) quarum cognitio euellit exanimis vitia, inserit virtutes, itaque vides errorem aliorum cum turpitudine esse coniunctum, meum non modo non turpem, verũ etiã laudabilem. At morbis sæpe tentamur. Primum, hoc quidem non est præter naturam: ars enim præstare non potest, vt rectè semper valeamus: nam si posset, ij, qui scientiam medicinæ tenent, ipsi numquam ægrotarent. deinde, est præclarum in maximis laborare: & qua cumque re virtutem emas, paruo emas. non posse autem nos ad ea, quæ summa sunt, sine sudore peruenire, indicat illud, quod poetæ næ Herculi quidem, Ioue nato, nisi maximis exantlatis laboribus, cælum dederunt. Te ipsum rogo, qui me mones; quem ego studia doctrinæ video numquam intermittere, vllam ne voluptatem ea cum voluptate putas esse comparandam, qua legentes, aut scribentes afficimur? potest esse tanta suauitas qua non maior ea sit, quæ perfundit animos nostros, earum rerum intelligentia fruentes, quæ sunt ad bene beateque viuendum necessariæ? quod si quis doctrinam contemnit, haud scio, quid iste curet. neglegit animum; quo nihil potest esse præstantius: se ipse ignorat; quo nihil turpius: corpori seruit, ignauiæ deditus, quod est il i

commune cum belluis, quibus id præcipuum, vt alantur, ventrique indulgeant, á natura tributum. itaq; sequar meum institutum, neque te, nisi Leo, neq; alios audiam, studiosissimè monentes: quorũ equidem amo voluntatem, iudicium tamen cogor paululum requirere, &, vt ipse quoque erga vos amici partes, vestro exemplo, suscipiã, finite meam vocem in aures vestras influere, quæ vobis artium studia optimarum assiduè canat; quæ vestra vobis bona cõmemorat, eáq; vt agnoscatis, & quantum licet, exerceatis, hortatur. cui si parebitis; fructũ capietis eum, quem ipsi mihi, cùm meam reprehenditis in colenda virtute constantiam, studetis eripere. Vale. Ex ædibus nostris.

MARCO ANTONIO LOMBARDINO, Patauium. 26

SCIS, optime Lombardine, benignitatem à philosophis, magis etiam á Christianis hominibus laudari: rectè id quidem: nihil enim est, quod hominem æquè cum Deo coniungat, sed illa cautio requiritur, vt adsit cum voluntate prudentia, thesauros pleriumque videas in aliquem conferri ab ijs qui dominantur. quære causam: laudabilem nullam reperies, quis igitur beneficium illud prædicabit, in quo neque meritum accipientis, neque iudicium dantis agnoscitur? Equidem pro magnis opibus existimo hesternam illam animi tui significationem. quod enim ad me munus misisti, tum est ipsum per se gratum, quia pertinet ad ea commoda, sine quibus, imbecilli valetudine qui sunt, ægrè sustentantur: tum verò multò gratius, quia iudicij tui laude commendatur. nisi enim tibi meæ vitæ ratio, nisi ea, in quibus assiduè versor, studia probarentur: me tu certè, qui probitatem colis,

colis, qui doctrina ingenióque excellis, beneficio non officeres quando igitur ex ista tua in me liberali voluntate, quid de meis moribus, quid de litteris sentias, facilè possum conijcere: contemno Principum diuitias, beatus esse possum in tua beneuolentia: vnde honor, & decus, vnde præclara virtutis argumenta, vnde etiam commoda manabunt. quare cõserua mihi, si vis me felicem esse, tuum amorem quem certè intelligas mihi deberi, si tibi, mea quæ sint erga te studia, sicut intueri. Illa verò, quę à tua benignitate pronciscuntur, persuade tibi, hoc potissimum nomine, quia sunt amoris argumenta, mihi esse cariſsima: neque ego te vmquam ex beneficio, sed beneficium semper ex te ipso pendam. Librum de Magistratibus, quem petieras, hactenus equidem absolutum, nondum tamen edendum: itaq; cõprimetur, vsq; dum accuratè perpoliam. proœmium degustabis: quod ad te cum hac nocturna epistola statui mittere. Vale. Ex ædibus nostris, ante lucem.

PROOEMIVM LIBRI DE Magistratibus Romanis. 26

QVOD in priuata domo paterfamilias, idem in ciuitate præstat lex. ille præcipit illijs, quid agant, & qua ratione agant: hæc iura ciuibus mandat, & ad pietatem, ad rectum spe præmiorum inuitat; à delicto, proposita pœna, deterret. quemadmodum autem rei priuatæ non hoc vno consulitur, si sit qui imperet: verum illud præterea requiritur, vt imperanti domestici omnes pareant: sic in ciuitate, nisi legem aliquis tueatur & vt ei ciues, quasi parenti optimo filij, audientes sint, potestate imperióq; perficiat: non est in ipsa lege præsidij satis optimeque ac laudabiliter viuendi præscripta norma negligitur. quo fit vt tam legi necessarius videatur

esse magistratus, quàm lex ipsa ciuitati. Ac mihi, hoc de genere consideranti, longe videtur optabilius esse, vt iniquæ legi præsit optimus magistratus quàm vt improbus æquissimæ, si summam potestatem cum optima mente coniungas: vir bonus in re dicendo, præter æquabilitatem & iustitiam, nihil spectabit: si quid erit in lege vitiosum, pro sua sapientia corriget: si quid ambiguum in eam partem interpretabitur, quæ ad pietatem, ad communem ciuium vtilitatem, ad reip. salutem propensior esse videatur: sin autem, qui non optimè sunt à mente constituti, ijs potestatem addas, & voluntatem viribus confirmes: legis vocem magistratus non exaudiet, quid maiores voluerint, fecerint, seruarint, non attendet, ad suum arbitrium, suamque libidinem omnia reuocabit, quod cum faciet, reip. quæ tota à iure, & æquitate pendet, non solùm facto, sed multo etiam magis exemplo nocebit, nam, quia præeuntem sequi non difficile est: propterea, qui imitentur, quam qui inueniant, plures non modo in rep. administranda, verum etiam in omni arte reperias. malè C. Cæsar: qui libertate vi, & armis oppressa, ea, quæ omnium erant, possedit vnus: sed longe improbior, ac nequior L. Sylla, qui, vt auderet sperare Cæsar ea, quæ consecutus est, exemplo suo perfecit. quod si, qui legibus præfuerunt, tales fuissent, quales eos, qui leges ipsas condiderant, fuisse legimus: stetisset in suo gradu resp. quæque artes in ciuitate libertatem auxerant, eædem facilè conseruassent, verùm, in hominibus, non in legibus, vitium fuit. primi omnium duo fratres è Sempronia familia. Tiberius & Caius Gracchi, malo publico eloquentes, & ingeniosi serere inter ciues discordias cœperunt, infirmæque plebis animos nouorum commodo-

rum

cum in spem turbulentis concionibus excitare, qui etsi decreto senatus iusta vi oppressi, debitas eorum audaciæ pœnas exsoluerunt: tamen exitiosæ consuetudinis initium attulit ille dies, qui ciuili sanguine, gladios primus infecit, quod enim non modo iustum, sed nec vsitatum antea fuerat, id postea ne nouum videretur, effectum est, itaque, cùm aliquot post annis P. Sulpitius primum, vt visus est, non pessime animatus; deinde siue ambitione inductus, siue iracundia concitatus, ab optima caussa desciuisset, eademque fere, quæ duo Gracchi, intribunatu pl. aut certè non dissimilia moliretur: facile ad vim & ad cædes prolapsa res est: neque prius arma quieuerunt, quam ciuium magna parte trucidata, aut eiecta, vnius libido antiquis legibus par, atque etiam superior esse cœpit, quod neque tunc, neque postea contigisset; si, quam sapientes in scribendis legibus maiores fuerant, tam in creandis magistratibus cauti posteri fuissent nam, ét si non recte geretur publica res, nisi præstantibus viris, acrique ac magno animo prædictis committatur: tamen periculosa in primis hæc est, & lubrica sanè deliberatio: propterea quod non languentibus in animis, sed in erectis mentibus maximis ingenijs dominandi cupiditas exoritur. honorum spe, fateor, ad labores, ad industriam, ad subeunda etiam pericula homines excitantur: sed in libera ciuitate est, quatenus cuique credatur, & in danda potestate, si modus retinebitur, modus item in gerenda seruabitur. legitimis enim potestatibus, & moderatis imperijs aliter libertas: neque facile quisquam vult, quod se posse desperat: & qui tantum potest, quantum si consequatur, ceteri nihil possent, hic si malus est potestate fit deterior; sin ita moribus exploratis, vt antea nihil

neque fecerit indignum bono viro, neque voluerit, interdum tamen, vt humana mutantur, à rectis cogitantibus ad iniquas libidines traducitur, & peccat eo ipso, quia peccare permittitur, vt possit. Quocirca patriam meam singulari sapientia institutam, ac diuino quodam consilio temperatam licet existimare: in qua neque magistratus ijdem cõtinuantur, quod est seruandæ ac diutissime retinendę reip. vinculum firmissimum: neque cuiquam tãtum vni committitur, vt extraordinario iure elatus, libertati, communique otio moliri periculum possit. qua moderatione factum est, vt post annos 1524. (tot enim ab vrbe condita numerantur) non modò resp. sit, verùm etiam ita sit, vt omnibus rebuspublicis, quæ nunc sunt, magnitudine opum: ijs autem, quæ fuerunt, imperij diuturnitate antecellat. quę quib. institutis ac magistratibus vsa, ab humili, tenuique principio ad tantam dignitatem, atque amplitudinem peruenerit: neque est hic narrandi locus, & hoc argumentum viri sapientissimi ita non modò copiosè, verum etiam perite ornateque tractarunt, vt, si quid velis adiungere, idem sit, ac si in Apellis aliqua perfectissima imagine, puta in Venere illa Coa, elabores. Nobis Romana ciuitas proposita est quæ quàm multas habuerit partes ad imitandum præclaras, ex eo patet, quòd ita bello ac pace viguit, vt illius vim & potentiam omnes reges populique extimescerent, æquitatem & abstinentiam subiectæ vrbes nationesque diligerent. Formam senatus, quòd in ea publicum consilium fuit: ordinem comitiorum, iura legum tribus libris exposuimus. Nunc de magistratibus eorúmque potestate disputabimus: tum, quia locus ipse admonet, (hoc enim legibus adiunctum, & tanquam aduexum videtur) tum etiam, quia Ciceronem,

cui

cui video in ijs libris, quos de legibus conscripsit hunc ipsum ordinē placuisse, libenter imitamur.

CÆSARI FERANTIO.

Patauium. 27

EGO verò istum erga me animum, istam, quæ significatur in epistola tua, beneuolentiam amplector libentissimè, & amo prorsus amore singulari, nam, vt omittam, quod ita postulat humanitas: tui te præterea mores, tua modestia, & maior iam ætate virtus egregiè commendat, quæ cùm ipsa me monent: tum vero affinem tuum, Episcopum Suessanum, studium eiusmodi meum est multis abhinc annis ex incredibili eius humanitate, doctrinaque susceptum, vt eos etiam, qui modò aliqua illum necessitudine attingunt, quòsque ille caros habet, complectatur, quo tu in numero vt esses, affinitate primùm; id est naturæ quodam quasi munere, tibi contigerat: postea verò cum natura voluntatem, & cum voluntate studia coniunxisti, excolendis artibus ijs vnde fluxit honor, ac dignitas affinis tui, & vnde eadem ad te manabunt, si te illi, immo verò si te ipse tibi quam simillimum præbueris. quis enim tantos processus tam adolescens in philosophia fecit, quantas illa tua in aula perillustri Cardinalis Estensis celeberrima disputatio, multis præsentibus, ostendit? Qua tamen de laude ita te sentire volo, vt maximam esse putes, si cum ætate tua conferatur: sin res ipsa sectetur, longe statuas maiorem esse posse, quodque viæ confeceris, id quidem esse multum, nec tamen tantum quantum adhuc spacij superfit, sed mihi crede, omnis in eo tuorum studiorum sita perfectio est, si quemadmodum nunc id cogitas, & id opinor, agis vnum; vt intelligas, humanæ res quantū

alijs aliæ præstent, ita, quantum infra diuinas humanæ prorsus cunctæ sint, aliquando simul cogitabis. næ tu Cæsar, si te ad hanc, quam ignorari à plerisque video, præclarum disciplinam contuleris, magistros habebis haud paulo meliores, quam quibus, nunc vteris, aut etiam per omnem vitã vti potes, exstat sanctissimorum virorum multis libris expressa doctrina, qua instruimus, & erudimus ad æternæ vitæ salutem, habes præterea domesti cum exemplum affinis tui summi viri: cuius in vitam si inspexeris: excitaberis ad omnem laudem: coles autem præcipuè, veritatem; quam ille tuetur acerrimè habuitque semper antiquissimam, neque vero impedio, quo minus, vt cœpisti, Marco Antonio Gènuæ, & si cui præterea velis, operam des: eloquentiam quoque si adiunxeris, vt res graues & obscuras ornatè ac splendide tractare possis, minimè improbabo; sed illa præstantiora sunt, quo te hortor vt aliquam omnino transferas industriæ tuæ partem. Delibris ad te missis, habeo gratiam humanissimo, & in primis erudito iuueni Sebastiano Leoni, vtriusque nostrum æquè familiari: qui mihi hanc instituendæ tecum amicitiæ occationem obtulit; quam auidè arripui. iam enim incenderat me studio tui, cùm de ingenio, de studijs, denique de tua ad optimas res propensa voluntate multa prædicasset, quòd si quid acciderit, in quo tibi opera mea vsui possit esse. id si ipse intelligere potuero mea sponte suscipiam: sin secus, à tè admonitus efficiam, vt esse tuam apud me plurimi voluntatẽ intelligas. Vale Venetijs.

VIDO LOLGIO

Placentiam. 28

PAVLO antè dederam ad te litteras: quas cõiectura

iectura dierum, putabam tibi iam esse redditas: hæ nunc alteræ consequentur. Scripsi, te absente me cessare in litteris, & omnino tuam operam, tuamque illam meis rebus officiosissimam sedulitatem vehementer requirere; sed meum cõsilium esse, te istinc ne prius commoueres, quam ego alicubi consedissem. id ego volebam scilicet inuitus, qui te socium & administrum meorum studiorum summè desidero: sed volebam tamen tui commodi caussa: primùm, quod hanc equitandi iactationem, quæ me quidem delectat, tibi otij cupido suspicabar non placere: deinde, quòd, si accidisset, vt istas regiones peteremus, quod post balnea facturi videbamur; intelligebam fore, vt adire commodius ad me posses interuallo minore, nunc audi, cur sententiam mutauerim. Cardinali nostro, cui nimium sæpe calculus molestus est; multis iam remedijs frustra tentatis, accedere nunc ad aquas Lucenses valetudinis causa deliberatum est, nòsque, vt scis, idem cogitamus ijs aquis qui vti volunt, id maximè spectant, vs sicco tempore vtantur, hæc est quasi methodus quædã, quam seruantibus salubres dicuntur esse: permistæ cum imbribus putrescunt, graui periculo bibentiũ, nos porro, ô Lolgi, quid idicimus à philosophis, bonam valetudinem expetere, sapientis esse; valde in hac quidem parte sapimus, & , vt optimè valemus, accuratè, quæcumque vires tuentur, aut augent, persequimur; quæ posse videntur infirmare, ac minuere, declinamus, itaque ad balneorum medicinam priùs non accedemus, quam id & tutò, & salutariter fieri posse intelligamus, nunc quidem alienum tempus est, vides, quæ pluuiæ, quam pænè hiemales dies, hæc dum ita se habent, nos opportunitatem exspectãtes, in his oppidis, & villulis iucunde satis oberrabimus, quod quoniam quàm diuturnum sit futurum,

turum, diuinare difficile est, & ego, dum te careo, multis commoditatibus vnà careo; tuque vt ternis iam literis significare videris: non abes à me sine molestia: mea caussa rogo, tua hortor, vt quamquam nondum consedimus, mature tamen, nisi quid grauius impedit, reuertas. &, vt scias, quo me loco conuenire possis, Pisis ad idus Iunias, & vltra, vt opinor, aliquanto, sed ad idus Iunias certe commorabimus. Vale. Pisis.

HANNIBALI CARO.

Rauennam. 29

FOROLIVIENSIBVS malè sit, qui te longius à me abstrahunt, sed istorum motus præfecti prudentia sedabit, tuque, vt scribis, Rauennam breui recurres, ibi velim ne quid caussæ sit, quo minus ad me quamprimum, ego volebam ad te, sed impediunt multa, maximè Ciceronis editio, cuius tempus aduentat, vel potius iam adest. itaque occupationum onere valde premor, sed mihi nulla res esse potest tanti, vt ab hoc scribendi officio diuellar. Nunc est, quod à te velim. Qui tibi has litteras attulit, est & mihi, & fratribus meis valde familiaris. eius opera multis in rebus vsi sumus egregiè fideli. cum Rauennam venturus esset, quiddam vt exigeret, quod ibi habet in omnibus petijt à me, vt, si tibi commendarem, dixi, cum caussam optimam haberet commendatione eum non egere; tamen me esse facturum. Si quid me amas, Care, vel potius quantum me amas, tantum hunc hominem adiuua, his temporibus, cum fides vbique sit angustior, vereor, quid debent, ne non facile dissoluant, si res in iudicium venerit, noli pati, virum bonum, amicum meum, exhauriri longi temporis impensa: beneficium non conferes in ingratum, memorem enim

enim cognoui. sed tu eum ne spectes: me vide, qui à te peto, mihi enim gratius facere nihil potes. nam, etsi, quod ad nos attinet, ipsi quidem inter nos magis, quàm amamus, amare non possumus: tamen valde laboro, in quo me ambitio quædam monet, vt homines nostram coniunctionem, tuámque in me beneuolentiam perspiciant: quarum alteram vitæ æqualem fore, alteram eiusmodi iam esse confido, vt nihil addi posse videatur. Vale. Venetijs.

EIDEM, Rauennam. 30

VIRVM te duco, qui compedes illos frangere, & aliquando te in libertatem vindicare potueris. id quod ego, qui neruos ingenij tui bene cognitos haberem, prorsus ita fore sperabam. vt autem etiam cum Guidiccione, id est, cum homine doctissimo, & ad tuam naturam aptissimo, tibi viuere liceret; hoc verò ne optare quidem vnquam sum ausus. quod quando accidit; beneuolentiæ in te meæ est, gratulari, quòd euenerit; prudentiæ autem tuæ non committere, vt frustra euenisse videatur. Herum habes, Care: herum autem dico? cuius ea suauitas est, is in te amor, vt potius æqualis, potius germani fratris loco tibi sit: sed, quoquo nomine appelletur, eum certe habes, qualem vis. Quare, quod mihi, aliorum arbitratu cùm viuebas, promittere solitus eras; id ego nunc, quando tui iuris es, non à te petam, sed exigam, vt operas Musis, iam diu à te, non sanè tua culpa, tamen prætermissas, eo, quicumque es, permittente, atq; etiam cohortante, reddas, sed ita procul dubio te esse facturum, vel potius iam facere existimo. itaque hoc ne mouendus quidē es; illud autem etiam rogandus, vt ad

nos

nos quam primum venias; vt possim vrbanitat's tuæ sales ex interuallo regustare, pedibus, puto fore cõmodius: nam mari præ frigore obtorpueris: ô dulcẽ congressum in quem ego; vix credas, quam multa reseruent, quæ, litteris commissa, eandem suauitatẽ non habent. Vale.

EIDEM. Rauennam. 21

FESTIVVM Molsæ nostri poema libenter legi, explanationem vero tuam libentissimé: & sum admiratus acumen ingenij tui summo iudicio coniunctum: quorum alterutrum non ita multis contingit, vtrumq; vero paucissimis. Quod scire vis, quid alij sentiant; idem, quod ego nihil esse in illo genere perfectius, quo magis te hortor, vt hanc facultatem ad grauiora studia transferas, & aliquando te, ab istis occupationibus vindicatum, in litteras totum abdas, quod si maturè feceris; cerno iam animo, quantæ tibi hoc consilium laudi, quantæ nobis, qui te amamus, lætitiæ sit futurum, memini, quid tu mihi te facturum esse dixeris: neque te arbitror oblitum, quid ego tibi in eam sententiam responderim. Mi Care, induc animum, nullos præstantiores esse fructus, quàm qui è virtute colliguntur, &, cùm hoc feceris, quod & facis, & fecisti semper, tum illud tecum existimato, ac pro certo habeto, incredibilem esse expectationem, quam de te apud homines concitasti: quam si sustinere, ac tueri vis; contende, dum integrum est, omni studio, vt ex hoc vitæ genere, in quod olim te non tuum iudicium, sed vis quædam temporum, tanquam in aliquod pistrinum, detrusit, quamprimum te eripias. quod quia tibi deliberatũ esse, mihi sæpe ostendisti; non ero longior in te cohortando: tantum hæc attigi amore impulsus; vt

in

intelligere, in summis meis occupationibus, me tamen de tua laude cogitare. De Ardinghello nescio quid atrocius est allatum: quod ego sane quam pro eo ac debui molestè tuli: hominem enim eruditum, & cum tibi amicissimum, tum a nobis, vt visus est, non alienum cognoui, velim, tu id ad me planius quid fuerit, & vnde fuerit, perscribas. Vale.

EIDEM, Rauennam. 32

LITTERIS tuis quas tu idibus Quinct. dederas, ego nonis accepi: rescripseram, quo modo mihi tunc occupatissimo licuit: postea, cum eas per otium in manus sumpsissem, accuratiusque perlegerem sensi me quasdam partes, quibus nunc ex interuallo respondeo, imprudentè omisisse, quod etiã si ita non fuisset; ego tamen aliquam scribendi sententiam alicunde arripuissem: non solum, vt quasi tecum loquerer: quo nihil facio libentius: sed etiam vt tuas elicerem, quarum sermo & purus in primis est, atque ornatus, & humanitatis, ac beneuolentiæ notis maximè insignis, vel quas mense proximo dedisti, quam amabiles, quanti consilij, quàm multi officij? quod munus, quæ partes in ijs à te sunt hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermissæ? quam accuratè, quàm distinctè, quam perite tuam de meis typis sententiam explicasti? quibus quidem typis, spero fore, vt emendatissimis vtar, quando ad te & ad Thomam nostrum missi sunt quorum alterum in labore patientissimum, alterum in iudicio elegantissimum cognoui. Quod autem ita scribis, homines hoc animo esse, vt nihil á me nisi perfectum, absolutumque exspectent, facis tu quidem officiose, & per amanter, qui ad me excitandum aliorum quoque opiniones, & iudicia colli-

gas

gas: sed hoc ipsum genus, quod perpoliri à me vis, vt perficiatur, in te est. Quare quoniam ita casus tulit, vt vnus fere hoc tempore tantùm mea caussa posses, quantum ego tua semper volui: etsi mei cõmodi, atque etiam honoris ratio postulare videtur, vt in rogando pluribus verbis vtar, tamen id non faciam, ne maiorem desiderij mei, quam humanitatis tuæ, rationem videar habuisse. De artifice autem confirmando, quoniam in hoc vides esse omnia, & me longinquum nihil posse intelligas, omnẽ curam tu suscipias oportet: qui vt idem nobis sit, qui antea fuit, facilè cum prudentia, tum commoditas illa tua præstabit. quamquam non dubito, quin ipse per se, vel sine vllo artificio tuo, ad id, quod reliquum est, persequendum ita, vt volumus, animatus sit, profectò enim constantiæ rationem sibi habendam ducet. sed tamen, quoniam gloriæ magis studio, quam emolumenti cupiditate, incensus, ad opus est aggressus; subijcies tu quoque identidem in sermone quasi igniculos, vt vehementius inflammetur. Ficus tuas quòd ais te in apertum referre velle, vt aliquando venales, circumferantur, quæ quotidie ab omnibus, te insciente, degustantur: ego verò, vt id facias, magnopere suadeo. Quod autem meorum typorum exspectationem nimis longam esse dicis; mihi quoque ita videtur. idq; cum mea caussa, tum tua non mediocriter doleo. Figurarum opus, quod te hortante sum exorsus, texitur illud quidem diligenter: sed vereor ne plus oneris susceperimus, quàm quantum nostra imbecillitas sustinere possit. quod fiet, si erit; accurres, vt parte aliqua nobis detracta, & in te translata, releuemur. Sed, amabo, quid tibi vult, quod in tuarum literarum clausula posuisti? si quæ essent inter nos ad significandum notæ, quiddam occultius fuisse scriptum

turum, equidem etsi, quale sit, videor mihi iam intelligere; tu tamen vt apertius declares, valde velim. De mandatis meis, ea, quod tuo commodo fieri possit; si exhauries; per mihi gratum, perque iucundum fuerit; sed illud primo quoque tempore, de quo se Martellus tuus curaturum recepit: qui si stetit promissis, reliqua ego à te exigo. sin autem, quod pollicitus fuerat, nondum exsoluit; eum tu litteris appella: nam de ceteris non ita valde vrgeo: ages cum licebit, vel dicam etiam, cum libebit, in hoc autem nisi mihi quamprimum satisfacis; prædico tibi, flagitatorem habebis acrem, & molestum. Vale, & amicis communibus salutem à me plurimã. Venetijs.

OCTAVIANO MAGIO.

Romam. 33

PROFECTO nihil tam accidit contra voluntatem, quod aliqua demum iucunditas non temperet; sic sunt humana. angebar animi, (quid enim dissimulem?) tuis factum occupationibus, ne te complecterer discedentem: nunc idem gaudeo, euenisse quod nolebam: quando tu arrepta inde tui purgandi occasione, litteras ad me misisti, officto primùm refertas, & humanitate singulari, deinde Latinè loquentes egregiè, sic, vt eius vrbis. in quam te cum Aloysio Mocenico, præstanti viro, Venetæ Reip. legato, contulisti, veterem eloquentiam redolere videantur. Quare cùm animo sum lætatus erga me tuo, fuitq; voluntatis ad me amandũ propensæ grauissima significatio: tum verõ ex ista, quam adolescens admodũ consecutus es, Latinæ linguæ facultate, istoque quò te video florere, ingenio, tantum accessit ad lætitiã, quantum ne conabor quidem

verbis

verbis explicare, sensu ipso vix, atque mente comprehendo. Atque equidem tibi eo etiam gratulabor magis, si tua bona noueris, id est, si & quæ habes iam, studio tueberis, & quæ ostenduntur, ac deferuntur à fortuna magni facies; quantumque in te erit, nunquam dimittes: non enim, mihi credas tanti esse tibi Roma debet, quia Roma est, quæ præstantes olim viros tulit, imperij terminos cum Oceano coniunxit; quanti ob vnius hominis consuetudinẽ, cuius est humanitas doctrinæ par, doctrina verò, quæ potest esse maxima, is est Octauius meus: qui vrbem, à qua ceteri honestantur, sua ipse virtute nobilitat. Hunc tu virum nactus, cole, si sapis; & pete tuam gloriam ex illius consilijs; vtere, quantum licet; &, vt liceat plurimum, exopta, ipse te, si vacabit, numquam à suo conspectu, numquam à sermone excludet, commendaticijs ad eum litteris minimè opus est; nec fert hominis humanitas: & tu illi, quod epistola tua significat, satis iam notus, fortasse etiam familiaris. Quod reliquum est, non te fugit illud. Magistratus virum indicat, itidem hæc legatio, qui sis, qui futurus aliquando; patefaciet. quamobrem incumbe ad laudem: amplectere virtutem; illa reiice, quæ bonis artibus, ac moribus aduersãtur: quæ te sæpe in ista ætate: eorum commodorum tuæque tanquam hostes gloriæ, circumuenient, nec facilè, nisi prudentiam summam adhibueris, depellentur. Vale, & salutem dic meo nomine exquisitæ eloquentiæ viro, Iulio Pogiano, cuius tibi amicitiam, & consuetudinẽ valde gratulor. Venetijs.

EPISTO-

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER TERTIVS.

HIPPOLYTO ESTENSI CARDINALI, Ferrariam. 1

VALDE me leuauit, in hac mea satis grauiter affecta valetudine, oratoris vestri, Hieronymi Faleti, viri præstantis, oratio: qui cum sermonem mihi, Ferrariæ tecum habitum, exposuisset, multaque, vt solet, de ingenio tuo singulari, de summa grauitate, ac sapientia, nonnulla etiam de tua nequaquam à me, vt audieram, aliena voluntate, narrasset; cæpi lætitiam, quantam aliquis ex insperata, exoptataque re capere maximam possit; meásque statim esse partes duxi, vt ad te scriberem, agerémque gratias, quòd in eo loco, vnde me depellere fortuna conaretur, tua me retineret humanitas. quo sanè mihi nihil optatius, nihil hoc tempore, cùm infirmus langueo, ad animum meum sustentandum opportunius potuit accidere. atque equidem ita statuo, actum esse mecum misere prorsus, acque infeliciter, quòd meam ad te veniendi cupiditatem incredibilem pestilen-

tia primùm, deinde morbus impedierit; & in eo magnum ſtudia mea, meaſque res adijſſe damnum: quibus à te, pro tuo inſtituto, veterique conſuetudine, conſultum iri optimè, pro certo exiſtimabam. quod quando ita accidit; & quando meà tuo conuictu non mea voluntas, non iudicium, aut vlla mentis inconſtantia, ſed corporis imbecillitas, atque hæc anniuerſarij, ac pænè iam perpetui morbi vis importuna ſeiungit; peto à te, Princeps humaniſſime, id ſaltem, quod in tua, non in fortunæ manu ſitum eſt, tribuas, & largiare, vt beneuolentia mihi tua, & quæ fuit antea, & quæ ſi ad te iuiſſem, futura erat, eadem conſeruetur. hoc ſi aſſequor; beatus hac vna re ſum; cetera paruipendo. ea porrò mihi vt conſeruetur, ita poſtulo, ſi me, qualis in aula tua fuiſſem, talem eſſe abſentem intellexeris, id eſt, obſeruantem tui, tuáque in laude omni ſtudio & cogitatione defixum. Quod ſi quibuſdam litteris animus à me tuus eſt offenſus: quòd in ijs dicar minùs fortaſſe, quàm decuit, de te, aut de tuis modeſtè locutus; quod certè ſecus eſt: ſed ſi me tunc à mea conſuetudine impetus quidam abduxiſſet iracundiæ: noſti pro tua ſapientia ingenium humanum. magna vis doloris eſt: impellimur ſæpe longiùs, quàm ratio concedat; &, facta quæ ſunt, paulo poſt infecta fruſtra cupimus. te tamen ita decet ignoſcere dolori meo, ſi ex iuſta, vt ego arbitror, cauſſa ſuſceptus eſt: ſin aliter tibi videtur, ignoſcere tamen debes, vt eluceat magis in culpa humanitas; quæ ſi omni digna Principe virtus eſt, te videtur Principe digniſſima, quem ad omnem laudem natura genuit, diſciplina erudiuit, multorum annorum conſuetudo aſſuefecit. Vale. Venetijs.

FRAN-

FRANCISCO MOLINO.

Patauium. 2

QVOD meas epistolas descripseris, valde te amo: & custodi à te malo, quàm ad me mitti, Quod autem, non esse tibi scriptionem illam infructuosam, significas, prorsus nō abnuo: veruntamen, quod tibi hoc in genere multo & plura, & meliora domi quotidie nascantur, hoc equidem nomine haud paulo magis tibi gratulor, quam tu, si sapis, agnosce & opta diuturnam occasionem. viuis cum excellente viro, adolescens, præstanti ingenio, optima valetudine: viuis Patauij, id est, in vrbe scientiarū laude celeberrima: quo, tanquam ad mercatum, virtutis cupiditate ita omnes confluunt, vt inanes redire turpissimum ducant. Plura non debeo. noui enim, ad quem: & hæc ipsa minimè necessaria videbam: sed obsequendum amori fuit in te meo: qui me tacitus, vt tecum de tua laude loquerer, hortabatur. Patri verò tuo, & optimè de me merito, & ijs virtutibus, quæ nobilem virum decent, in primis ornato, quid est, quod à me deberi non intelligam? Exstabit igitur in te, si qua re potero, studium meum: illum autem colam sensibus intimis in omni vita studiosissimè. Vale, &, vt Mureti cōtubernio, ac disciplina dignum te præstes, quanti tuam laudem facis, quæ mihi maximæ curæ est, tantum nitere. Venetijs.

MARCO ANTONIO MVRETO,

Patauium. 3

BEASTI me tuo iudicio: si modò plus est à te veritati, quàm amicitiæ, tributum. quod ego, qui faueo meæ laudi, facilè mihi patiar persuaderi, sed, amabo te, vis ne mihi legem illam diutiùs deberi? nescis,

nescis, quàm sim studiosus huius generis mor umentorum? describe aliquando: aut, si, stantem in media via describere, minus honestum videtur, nec pudor tuus fortasse fert; da negotium homini diligenti; quando Achilles noster vel negat, vel certè prorsus agit eo modo, vt negare videatur. salutabis tamen eum meis verbis: cui certè fortunam opto, qualem si magister eius haberet, omnia bona, merenti pessimè, contingerent. Siquid peperit ingenium tuum, dignum pænè dixi vtroque nostrum, sed si quid te ipso dignum; mitte: vt constes humanitati tuæ, atque etiam constantiæ. es enim pollicitus. Quid Molinus meus, flos omnium leporum, omniumque virtutum? vt valet? iube eum saluere quàm potes humanissimè. Charta me deserit, vt vides, tecum suauissimè loquentem. Vale.

EIDEM, Patauium. 4

VNAM tragœdiam duobus ipsis diebus, cum assiduè scripserim, absoluere non potui. meorum oculorum, vt video, res non est, ac ne digitorum quidem. quid? ego habeo tuos articulos? hui, quantum inter est! reliqua igitur ad te reijcio, vinces me facilè celeritate; æquabis in diligentia, si volueris, finge, operam te dare, cùm describes, homini litterarum & prorsus ignaro, & prorsus cupido. finge, amico singulari: quem explere officijs, si liceat, optabile sit. quamquam hoc non finges, nam, cùm à domesticis dilecti, nihil habeo te carius, veruntamen, hæc si tibi proposueris; de quo rogandus non es; monere tantum volui; nihil quidquam omittes in describendo. habes, quam ego in me desidero, mentis constantiam, pectoris firmitatem, hæc mihi morbi diuturnitas eripuit:

quæ

quæ video esse in te, vtinamque diu videam, ὡ τῇ ἀκμῇ. habes oculos in legendo, manum in scribendo exercitatam: vacui verò temporis quantum vis: & vis in rebus meis plurimum; qui te sæpe dixeris, professusque sis ad meum arbitrium tua studia conferre! nam, quod ad gymnasij curam attinet; nec dies instat publici muneris, &, si instaret, opera hæc bidui tota est, bidui inquam, tibi nihilo longior: mea verò & diuturni temporis, & laboris esset non ferendi. ad hæc si accesserit voluntas, quæ mihi non venit in dubium, & inductio illa animi, quæ magnas res facilè conficit: negotium habeo absolutum. serua, mi Murete, quod in te est, amicum tuum integellum: parce valetudini: nostram imbecillitatem, tuorum officiorum ope sustenta. scis, ἰμῷ φιλοπόθῳ, quo amore, quo consilio, quo etiam præsidio fortunæ tuæ nitautur. ὅπως ἰμῷ ζῶντος: nosti reliqua. Hæc aliena manu scripsi, cùm paululum languerem, tota enim fere nocte, nescio quo casu, somnum oculis non vidi meis, aut vidi tristium imaginum turba permistum. Tuum Euripidem remitto, vnaque meum; quem cupio similem esse tui. Ex ædibus nostris.

EIDEM, Patauinum.

MONSTRI simile, Muretus non respondet: immemor ne nostri? nefas credere: & hanc suspicionem longè animus respuit. at occupatus? hoc fortasse: verùm vlla ne cursum amoris interrumpit occupatio? omitto iocum. Mi Murete, garrit sæpe amor: at tu siles: cùm tamen, vt opinor, ita me ames, vt fortasse nemo magis: quod certè facis mutuò. quòd si, quia legem illam describere per tua negotia non licet, ideo non scribis: rogo te, abijce istam

curam. abrogentur potius omnes leges, quàm tuarum litterarum fructu diutiùs caream. nec tamen, detrahi multum de otio tuo mea caussa, volo. scio, tẽpus quàm vtiliter ponas. Illa satis erunt: Mi Mànuti, valemus, & valere te, valde cupimus. τὰ ἠθικὰ sunt in manibus. cum Molino tuo, cum Sofiano sæpe sum planè viuo. Hac sententia, sed alijs verbis, id est elegantissimis, quibus ipse abundas, si scripseris. satis planè cupiditati meæ, (quid enim dicam voluntati?) satis etiam officio tuo feceris. Video te exspectare aliquid de meo discessu. dies appropinquat, vel potius iam adest. iam, vt ille ait, sarcinulæ collectæ sunt omnes: nec fere, quod agam, superest. itaq; nonis Septem. cogitamus. Cum illo, qui mihi nunquam placuit, impuro homine, si quid aduersus me, suscipe, vt ego in tuis iniurijs soleo, & sustine prœlia: neruos enim habes. ille, nostram vicem, vlciscetur sua malefacta. nam inuidia rumpitur: & habet. quod intimis eum sensibus dies noctésque excruciet. nos laudabilia cogitemus, & ad præclara illa studia incumbamus: de illo ne meminerimus quidem, qui bonos omnes, hoc est, sui dissimiles, odit iniquissimè. Vale, & amicis nostris (sunt enim ferè communes) plurimam salutem. Venetijs.

SCRIPTIS litteris, & iam obsignatis, hesternæ tuæ sunt allatæ, Græcè loquentes non minùs argutè, quàm eleganter. qui possum paria paribus? si pergis, clamabo me circumueniri. mehercule non tam aquis vlli fontes, quàm ingenium tuum scatet Græcis & sententijs, & dictis. macte: extra iocum, amo te quotidie magis, quia tu scilicet ad perfectam virtutem quotidie accedis propius. Sed pauca de re. Vides ne, quàm facile tum abrogentur leges? Vbi sunt, qui tribuniciam potestatem accusant? Illa quidem,

dem, cum bona mente coniuncta, salutaris. Sed hæc ne nimium curemus. vtere fortuna tua. ego alias regiones specto, inuitus nostri discidij caussa: sed coniungemur animis, corporibus disiuncti. id est maximum, in maximo dolore, solatium. De Philopono, quia comes futurus est itineris mei, velim meas rationem, si eum hic reliquisti, vt ad me quamprimum. colligo omnia, ne quid me moretur in discessu non enim id agitur vnum, vt voluntati meæ, sed illud simul, vt fidei satisfiat.

EIDEM, *Patauium.* 6

TV vide, cui committas, ego enim binas tantum accepi, prioribus respondi nudius tertius, meamque tibi de Bononiensi re non modò sententiam, verùm etiam voluntatem ostendi. his alteris, quæ mihi redditæ sunt heri vesperi, si rem spectes, rescribere nihil est necesse: sunt enim eiusdem argumenti: sin tuam voluntatem, quæ quanta sit, ex tuis litteris apparet: sunt eadem iteranda sic igitur faciam. Affirmo tibi, Sigonium nostrum, si Bononiam ierit, præsensque contenderit, certum futurum. habet auctoritatem, ex huius loci dignitate partam, mire suis amplificatam scriptis, præsertim his postremis, insigni doctrina iudicio, ingenio, diligentia refertis. studia Bononiensium ciuium facile cogitet. ciuitas enim est ad humanitatem nulla propensior. Accedit, quod aut petet solus, aut cum ijs, quos neque nominis fama, neque verò, vt à nonnullis accepi, litterarum scientia magnopere commendat. Bargeus enim, ὁ τυχὸν ἀνὴρ, condicionem illam certè non spectat. qui enim Pisis dominetur, & sua virtute. quam nouimus excellentem, & Principis gratia, cuius in ditione natus est; quo consilio ad res nouas animum adijciat? Ergo, si Bononiæ Sigonius;

vides, quid sequatur. dijs hominibusque approbantibus in eius locum ascendes. quo mihi nihil esset optatius. nam speciem habet Bononiensis condicio maiorem, vt in Gymnasio Italiæ celeberrimo: emolumenti certè haud paulo plus hic video futurum. atque etiam de dignitate videro. tractantur omnino litteræ splendidius in publicis gymnasijs: & docetur de loco superiore virtus maiore cum gloria: sed clarissimum Venetiarum nomen quasi luminibus obstrinit Italicarum omnium ciuitatum; & hic ortum decus facilè manat, ac diffunditur per omnes gentes. propter huius vrbis communionem & quasi societatem cum orbe terrarum vniuerso. Hic venit in mentem: cur tu igitur migras? alia ratio est, ego vrbem linquo, non cum vrbe emolumentum. quin hoc augeo vehementer: illam prorsus amittere non videor, quia Romam specto. Habes meam sententiam: quod quidem ad te attinet. De Sigonio autem, quia nihil est tam amplum, quod eius virtus non æquet, meam, vt opinor, diuinationem exitus nonfallet nisi si quid attulerit casus; qualia fert hominum vita. De Molini nostri valetudine, cùm rescribes, adde verbum, si me amas. Vale. Venetijs, nonis Sept. quo me die discedere cogitantem noua res detinuit.

EIDEM, Patauium. 7

QVID homini non timendum? cùm te, tam validum: istis lateribus, ista ætate, nihil tale merentem animus reliquerit. valde me percussisti tam graui nuncio, eoque magis, quòd ignorare te caussam scribis. nam tuendi tui quam rationem inibis, si te morbus inuasit imprudentem? tuam continentiam narras. equidem ita credo. vnde igitur fluxit vitium?

tium? parce tibi in studijs, mi Manete, pro eo quanti ipse te tibi es: aut, si te ipse non diligis, quem omnes pænè diligunt, pro eo quanti ipse apud te sum: quem tu nisi magni facis, egregium simulandi tenes artificium. nescis modum esse retinendum in omni re? nescis, virtutem nimis appetere, virtutem non esse? agè igitur: iam te respice, si minùs antea: tibi consule, & eam quære gloriam, quæ te viuentem oblecter, non quæ discedentem è vita prosequatur. ita diu iucundè viuam, vt acerbè nunc viuo, quia sollicitus de te sum. medicos habes doctrina singulari, quorum consilio vti possis: cælo vteris clementissimo: in rebus tuis nihil, opinor, est incommodè. genus enim vitæ non honestum minùs, quàm vtile delegisti. etsi te scio de re & lucro minimum laborasse, illa verò habuisse prima, quę nec mihi postrema vmquam fuerunt, decus, & amicitias nobilium virorũ. Hæc cùm ita sunt: modò paulo minùs mentem, & paulo magis corpus exerceas, rectissimè tibi erit: nosque, tui peramãtes, afficies maxima lætitia. quod auguror futurum: &, vt meam spem, quantum in te est, exitu confirmes. te ipsum tua, nec minùs mea, caussa rogo. Kalendis Aprilis, omnino te, sin id minùs, Catullum tuum exspecto. diem vnum prorogari, è re mea non est. Vale.

EIDEM, Patauium. 8

PLANE non assequeris, vt videō, quorsum illa de Momo scripta sint à me. non enim id spectaui tuam vt remorarer industriam, sed vt acuerem potius, atque incitatem. tu autem ita commotus es, ita mecum vehementer, ac pænè iracundè agis in epistola tua, vt vix tibi temperes, ac ne satis quidem, cùm velles, temperare potueris, quin aculeos etiam

in

in me nonnullos emitteres. deinde quasi blanditijs in extremo, verbis vtens amantissimis, atque honorificentissimis: cùm ea mihi tribuis, quæ si respuerem, ipse me non amarem. tanti enim mihi sum, quanti ab ijs, quibus ego plurimum tribuo, fieri me sentio. Ac putabam, mi Murete, meos tibi sensus bene cognitos omnes esse: quòd si paululum à mente quandoque aberraret oratio, non esse facturum, vt eò mea verba detorqueres, quò neque meum iudicium, neque nostra iam pænè fraterna necessitudo ferret. quod quando secus video contingere; aberit posthac à meis litteris omnis ironia, aberit iocatio, quidquid denique eius esse generis intelligam, vt in vtramque partem flecti possit. de illo ne meminero quidem. si potero: hominem enim contemno: silentium quidem, quod potero, ipse mihi imponam. De Plauto, videor tibi scilicet, quod aiunt, in alienam messem. sic enim illud interpretor, *Ame, vt scu efflagitabatur.* Tu verò, me perlubente, rem suscipies: si modò, quod contra mihi videbare, animum induxisti, vt efflagitantibus breui satisfacias. verùm, si præclaros de Finibus commentarios ad exitum iam perductos, paucorum dierum studio perpolire non vis, & magno litterarum damno pateris iacere: qui sperem te aut velle hoc tempore nouj aliquid ordiri, ne si ordiaris, posse pertexere? magni negotij est, quantum otij res exigat, tuis occupationibus eripere: non minoris, à te ipso, vt velis impetrare. facio tamen æquissimo animo, vt in te reijciam, ac transferam hoc, quidquid oneris, aut laudis est consulatur modò publicæ vtilitati. id, non modò à te, quem fero in oculis, sed si vel ab ijs, quos & de facie, & de nomine prorsus ignoro, præstabitur, æquè lætabor. Quare non solùm per me licet, verùm etiam, si pateris, precibus tecum ago, vt ad emendandas,

das, illustrandásque Plautinas comœdias tuam excellentem industriam conferas. vereor tamen, ne, quod summè cupio, id frustra rogem, atque exspectem. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 9

REM tenes. optimè tres poetę coniungentur, ille M. ANTONII MVRETI COMMENTARIO ILLVSTRATVS: reliqui duo, si rem suscipis; quod ita liberaliter, ac benignè polliceris, vt à me non minorem verbis, quam re gratiam ineas, AB EODEM EMENDATI. quòd si, vt significas, ad emendationes aliqua præterea fiet accessio: næ ego tunc, verè mutuam inter nos esse beneuolentiam intelligam, ac velle te mecum officijs certare: in quo antea (dicendum est enim) potuit esse illustrior amor tuus. Confugies videlicet ad occupationes: ego ad illud: Nulla potest esse occupatio tanta, quæ amoris, & officij cursum debeat interrumpere. me ipso quemquam ne tu magis impeditum à negotijs, districtum à curis vnquam nosti? quis tamen amicorum (amicorum autem? immò verò etiam alienorum) negotia curat libentius? tua sane caussa noctis etiam partem cogitando sæpe consumpsi, cùm tamen corpusculi tenuitas maximè quietem postularet. Sarcies igitur, si quid omissum: vel, si nihil, auge superiora: quod certè potes, & si meum in te animum spectas, etiam debes. Vale.

EIDEM, Patauium. 10

REMITTO scholia, vt habeas corrigendi facultatem

tatem, quanquam est, cur addas potiùs, quàm mutes. quid enim? totus ne quartus liber ita mendosus aut obscurus est, nihil vt assequare, nihil scriptione dignum excogites? mihi non probabis, nec omnino cuiquam, tuum in Catullum præstantem commentarium qui legerit. confice igitur, quantum quidem per te licet, licet autem tibi, quod, vt ego sentio, quàm paucissimis. nos opus nostrum intermisimus tua caussa, tuum ipse opus nostra caussa vt vrgeas, atque absoluas. nec dubito, quin, si adniti volueris, & quasi cum ipsa re contendere, quod ego interdum soleo; magna ex parte præstes id, quod præter opinionem meam, vt aliquid ἐκ τῶν ἀδυνάτων, abiecisti. De rebus tuis, quæ mihi mehercule magnæ curæ sunt, concilium dies afferet: animus certè meus fluctuat: ita multa in vtramque partem occurrunt. placet constantia; ita, sed si cum vtilitate coniungatur. vtilitatem porrò non lucro magis, quàm dignitate, metiamur. quod tu quoque videris significare in illo loco, vellem hîc paulo ἐπιμώτερον viuere liceret. Verumtamen mi Murete, si quid agimus minùs interdum splendidè, contrà quam nos præclara liberalium disciplinarum studia docent, excusamur temporum iniquitate, & multorum exemplo; qui cùm affluant ijs rebus, quæ sæpè à nobis, fortunæ potiùs culpa, quàm nostra, desiderantur, quotidie tamen aliquid vltrà, appetunt: quam meus magister Egnatius, si audires verba, summam stultitiam: si vitæ rationem spectares, planè singularem sapientiam iudicabat. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 11

QVINTILIS Kalendæ, quem tibi ego diem

definieram, preteriereiam, vt vides. itaque, si quàm ex meis litteris de perpoliendo Catullo tuo curam susceperas, ea te libero, temporis enim coactus angustijs, mandaui meis, vt alia quædam prælo subijcerent. mensem, quod ad me attinet, vel integrum, eóque amplius, licet interponas. interim ad Terentium omnem tuam industriam, suadeo, conferas. noui omnino te laudis in studio nunquam languentem: sed in hoc libro, qui maximè omnium versatur inter manus, ipse te debes incitare, & eo magis, quòd erit, qui editum statim arripiat, syllabatimque omnia dimetiatur. admodum enim seuere, ac studiosè iudicat aliena; sua verò premit, exire non patitur, diu licet euigilata, acerbus etiam in se ipsum, minimèque indulgens. Ego accingor ad Plautum, nec desperarem aliquid à me, si minùs ingenio, saltem diligentia, posse præstari: sed interpellant salutatores a mane ad vesperam; honesti illi quidem, cupidi virtutis, officio, & amore erga me, vt videntur, incensi; tamen interpellant. scis illa Ciceronis nostri, ad Sebosi, Arrijque aduentum ingemescentis. Hui, vnum ne ego Sebosum, vnum habeo Arrium? videlicet: sexcentos: quibus, velim nolim, horæ dandæ sunt omnes. ex quo quantum molestiæ, quantum hauriam acerbitatis, ipse, qui meam consuetudinem, ac meos planè sensus tenes, facilè potes conijcere. nam rem familiarem, etsi minimè abundo, iacere tamen æquo animo patior: studia verò mea negligese nullo modo possum. De tuo aduentu spem nonnullam mieceras: eam tursus extenuant postremæ tuæ litteræ. ego illud scilicet primùm, vt habeas rationem valetudinis; secundo loco, quod tuo commodo fieri possit, vt te nobis restituas, exopto. Quid Molinus noster, quid agit? quid autem ego hoc quæro? nimirum ille totos dies tecum, id

est

est in virtute totus est; nec tuam complexus doctrinam dimittit, iudicio adductus tuo, meo consilio confirmatus. Vale. Hæc ante lucem, cubans in lectulo, amanuensi meo, & iam meorum studiorum socio, dictaui, nobili adolescenti Cyprio, Herculi Podocathoro; qui cras Patauium cogitat, téque meo nomine salutabit, illa superiora familiari meo, Sebastiano Leoni, qui se forte obtulerat, dictaueram in ambulans, quòd eram paulo crudior: nec fere mea manu libenter vti soleo.

EIDEM, *Patauium.* 12

Qvi mihi tuas attulit litteras, ei ego meam omnem operam, si qua in re vellet vti, atque omnino quidquid valeo, tua causa detuli. visus est meam amicitiam plurimi facere, & à me, præter eam, nihil expetere, quod illi facillimum fuit impetrare. nam cùm omnibus natura pateo: tum verò, qui à te diliguntur, amore meo nunquam excludentur. Catulli quod apud te reliquum est, biduo si miseris, satis opportune facies. deinde mihi orna duos comites eius, vtrumque dignum, vbi neruulos ingenij tui contendas. etiam illud mihi tribuis petenti: quod ante omnia, & vnum fortasse, spectare te puto. cras, ad summum perendie tria Catulli folia mittam. Filiolum meum Hieronymum, nondum quinquennem, Aldo parem ingenio, valetudine firmiorem, mandare Epidaurum ad hominem eruditum, meique peramantem, Paulum Bosium, cogitabam. ibi moribus, & primis litteris imbuetur. nam ego me ad hæc humilia demittere nullo modo possim. Quid præterea? nihil scilicet: immò aliquid Scribe, amabo te, mi Murete, vt instituisti, quàm sæpissime. me hercule,

è

è summis, atque assiduis non modo negotijs, verum etiam animi curis, tantùm in tuarum epistolarum elegantia, & suauitate conquiesco. atque etiam, dum ipse ad te scribo, quia te mihi præsentem statuo, mutuumque inter nos sermonem fingo, incredibili voluptate perfundor. Vale, Venetijs. Hercules meus, qui festus hodiernus dies est, abest. ideo hæc mea manu, decies interpellatus, exaraui.

EIDEM, *Patauium.* 13

AIS ne? Iannottus ita suasit? vix adducor vt credam. tibi tamen cur non credam? ego mehercule, quod Iannottus probare videtur, id non solum probo, verùm etiam mirifice cupio, quid enim mihi suauius tua consuetudine? qua nihil iucundius. tuo verò sermone quid vtilius? qui solet esse tum eruditus, ingenijque notis adspersus, tum etiam beneuolentia refertus in me singulari. At, Ferrariensem condicionem vt acciperes, auctor fui. Id quidem (tu scis: facile enim potuisti conijcere) valde contra meam voluntatem, cui nihil potest esse molestius, quàm à te diuelli. Sed quid? an ego paterer tuam fidem in dubium vocari, qua maxime probitatis nititur opinio? Dixeras de Turulone, præstanti viro, non solum animi; verùm etiam fortunæ bonis ornato: cuius mihi fuit, item vt esse debet, auctoritas grauissima: nec ausus sum repugnare: dedi manus ἰτέον, conclusi. quòd si Iannottus, quem noui rerum agendarum vsu peritissimum, antiqui hominem officij, pollicetur sese impetraturum: suscipio, quod abieceram, consilium; nec iam amplius ἰτέον, sed hîc, hîc nimirnm φιλοσοφητέον, idque nobiscum, summa cum animi voluptate clamo. Ergo, quod iam in-

instituerам, obseruabo omnia, omni enitar studio, omnibus inseruiam. volo te bene sperare, me agente, bonis fauentibus, inuidis & obtrectatoribus imbecillis. Molino, parum abest, quin vehementer inuideam. quidni? artem memoriæ tenenti, veruntamen impendit amor, à quo abesse solet inuidia: etiam ea spes, quòd ille, quo eum bono alienus homo impertiuit, ciui suo, homini amantissimo, fortasse etiam bene merito, certè nunquam denegabit. esset enim sui dissimilimus, id est humanitatis expers. sin recusat: allegabo ad illum, quem? quem putas? te scilicet, cui debet omnia: si modò in virtute omnia posita sunt, quam ille discit te magistro. καὶ σὺν τε δὺ ἐρχομένω, quid non impetremus? Vale.

EIDEM, Patauium. 14

PROFECTO nihil est vberius amore in me tuo: nec amori cedit ingenium: itaque mea caussa & vis omnia, & idem facilè præstas. quod cùm ita sit; nimis tamen facerem imprudenter, atque adeò neque ipse te amarem, nec amore tuo dignus essem, si plus tibi oneris imponerem, quam occupationes patiantur tuæ. Scholijs, quæ polliceris, contentus ero; quandoquidem video te commentariolo non vacare. tu modò, qui Catullum expolieris da operam, vt in Tibullo, & Propertio, qui locum illi proximũ in elegantia verborum, atque in sententiarum concinnitate obtinent, quam simillimum tui te præbeas: ita tres pulcherrimi poetæ, & sine dubio inter Latinos in illo festiuo genere principes, veterem suum splendorem, ereptum vetustate, atque hominum inscitia tuo maximè studio recuperabunt. ego autem ipse mihi gratulabor, & quodam modo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitauerim

rim, nec desinam eadem ratione de litteris; quando per humanitatem tuam licet, bene mereri: cum eo tamen, vt tibi, homini occupatissimo, studiosorum vtilitatem, id est tuam laudem, verecunde commendem. Molino meo salutem, & simul age gratias de scriptis meis. Vale.

EIDEM, Patauium. 15

BINIS iam litteris de Martello: nec tamen à te verbum. valde te distentum esse oportet, qui tam longis diebus, tam ponè tuas ædes habitantem alloqui non possis. at quia de re? primum mea, deinde ea, qua non vltra sex aut septem verba sermonem continuare sit necesse quare, si te nimis vrsi, velim ignoscas: tum, si per tuas occupationes licet, frustra ne vrserim, efficias. quid? Molino nostro negotium dederis: non recusabit, nostra vtriusque causa in quo danda opera est, vt omnino responsum ab illo aliquod exprimatur. nam ex hominis diuturno silentio adductus sum in suspicionem, ne parum sincere mecum agat, & exactum neget, quod iam in vsum suum erogauerit. quod equidem cupio esse falsum, & me de amico peruetere sceleste suspicari. Nunc audi, quod tua magis interest. quamquam nihil ad te pertinet, quod me quoque ipsum non attingat: nec te puto aliter esse animatum erga me, veruntamen audi, quod certè non expectas. Quænam ei deberi à te putes euangelia, qui librum inueniret antiquum, & illam aperuerit latebram, vbi, Caluier, illud sit aliquando deprehensum? equidè inceli omnibus lætitijs, vt ait ille sedabuntur enim illæ turbæ, & comprimetur quidquid erat sermonis aduersus te dissipatum. quod e-

go & tua, & eorũ quos dilexi semper, cauſſa vehementer cupio. verum primum quidque explicemus. nunc Tibullus inſtat, denuo prælo ſubiectus. is, & qui ſequitur, Propertius, abſoluendi tibi ſunt, deinde ad Terentium accingere. interim da operam vt Bembi libro vti poſſis: cuius ope quin maculas eluas bene multas. & ſuos veriſibus numeros, aliena culpa perturbatos, reſtituas, etſi non dubito, tamen hortor vt adhibeas diligentiam. cupio enim de te omnes bene ſentire: cupio comprimi os paulo liberius loquentium; qui non modò te, verùm me quoque videntur ignorare; non ſine cauſſa ea, quæ ſoleo, de tuo ingenio, ac iudicio, prædicantem. Vale. Venetijs.

EIDEM, Pataauium. 16

PAVLVLVM nunc quidem ego exorior. poſtea quàm mihi amanuenſis meus, quem abduxerant aliena conſilia, optans optanti reſtitutus eſt: cuius opera, & officio meis oculis, vel planè totius corporis valetudini conſulitur egregiè. iam me labefactabat, iam mutare cogebat labor: ſtomachúmque deijcere quotidiani vel operis, vel officij ſcriptio neceſſaria cœperat, & is, quem Bononia expectabam, differebat aduentum, vſq; eo, vt, venturus eſſet, necne, valde iam ſuſpicarer atque ſubdiffiderem. qui ſi venerit, erit omnino aliquid; ſed vt arbitror, nihil ad Herculem: quem ſcis meam non modò orthographiam, totámque interpungendi, & diſtinguendi rationem tenere, verùm ita manum quoque, cùm velit, imitari, vt te ipſum, pertiſſimum litterarum mearum cognitorem, aliquando fefellerit. Scribe, inquis, vbi tantum neceſſe eſt:

ita

ita scribes raro. Non ita est: possem studia mea quæque habeo instituta, quæ multa sunt, abijcere, litteris verò salutantium amicorum, aut aliquid à me postulantium quaternis in die minimum, sæpe octonis, & denis, non respondere qui possum? vt omnino aut amittenda valetudo, aut humanitas deserenda videatur. Quare locum habes gratulandi. debes enim meis perinde commodis gaudere, ac tuis, magis etiam fortasse; quòd ego minus, quàm tu, possum in commoda sustinere. De Tibullo, cessator esse noli, etiam si tibi ego cessandi facultatem prolixè detulerim. est enim, vt scripsi antea, vnius præli opera, ne tibi crebra appellatione molesti essemus, intermissa. Verum istos ego quotidie poetas, quos in manibus habes, amo vehementius. caussam quæris? quia tuas, amantissimè ac disertissime loquentes, eliciunt epistolas; quarum non modò suauitate, verùm etiam fructu aliquo, occasione sublata, carerem. quod cùm ita sit cupio tamen, atque etiam si pateris, rogo, rationem habeas rerum mearum: quibus quo longior, eo grauius procrastinatio damnum inferet. Vale. Ante solis ortum, albescente die Venetijs.

EIDEM. *Patauium.* 17

Tv vide, cui credideris. nam ad me nulla dum perlata sunt Catulli follia. quæ si periere: damni factum est eo plus, quòd nec ad illa, quæ sunt apud te, licet trāsilire. quandoquidem ordo foliorū non seruatur: nec pagina paginæ, nec versus versui respondet. itaque magnā vtriusque nostrū caussā sustineo molestiam; vereórq; ne, quod aliena culpa

contractum est, nimis ego id grauiter luam. tota enim typographiæ ratio mutetur necesse est, nisi hæc, quæ ne funditus interierint, magnopere timeo, hodie folia recuperantur. quod vtinam ex hac difficultate, in quam aliena vel socordia, vel perfidia coniectus sum, tuæ me litteræ eripiant: quas ad mea hesternas cras expecto, & ad has omnino perendie, Vale. Venetijs.

EIDEM, *Patauium.* 18

SEDATA iam tempestas omnis est, & nauigamus in portu. reddita mihi sunt hac ipsa hora, quæ tu tribus antè diebus miseras, quinque Catulli folia, delata priùs ad eum, qui libros in Asulana tractat officina: hodie tantum, vt ipse asseuerat, an, vt ex litteris tuis oportuit, nudius tertius, diuinare non possum. hoc certè video: per communes tabellarios non esse missa: quorum fides in reddendo desiderari non solet. sed profectò fortuita multa, quibus perturbari, & fluctuare vitam hominum, necesse est: quæ cauere consilio, aut ratione si liceat; bene cum multis ageretur. penderet enim à prudentia felicitas. nunc æque omnibus occurrunt incommoda: vsque quaque casus, & fortuna dominantur. De filiolo meo: amabo te, quemadmodum animo, sic lingua faueas, primùm amoris nostri, deinde ominis etiam caussa. auferet ille quidem omnem iucunditatem, & planè diuellar à meipso, sed hoc tamen antepono, nisi fallor, salutare consilium: &, vt ei consulatur animum vinco. Quòd iterum iam ad me Molini manu, gratulor, pænè etiam subinuideo. meus enim à me, nec, vt puto, rediturus, Tito discessit: quo consilio, de ipso cognos-

cognoſces. cùm ad me retuliſſet: neque ſuaſi, neque diſſuaſi. ne diſſentirem in hoc ab ipſius patruo, in illo autem à me ipſo. ſuaſi etiam potius. contra voluntatem, inquies, & iudicium? ſic ſum auertere à me volui, quę poterat exoriri, ſuſpicionem vtilitatis, & commodi mei, Clauſula ſit, quod initium epiſtolæ fuit. Reſtitutus mihi videor, inuentis Catulli folijs. tu quoque redi ad tuam tranquillitatem, nec inſtitutum omitte. Vale.

EIDEM, Tatianum. 19

QVID? tu me putas hoc in genere acutiſſimum? fuit, cum ipſe quoque mihi planè ita perſuaderem: nunc nihil minus. nam hoc toto biennio prorſus nihil vidi: &, vt omittam cetera, meum illud tantarum vigiliarum munus, non tibi venit in mentem, quàm miſerè perierit? itaque, qui mihi ipſe tam malè conſuluerim, inuitus adducor vt alteri conſilium dem. vides iacere bonas artes; illa ſordere, quæ præclara ducebantur. cuius maxime vitij culpam ſuſtinet eorum inſcitia, qui putant ſcilicet in opibus eſſe omnia, & fortunæ pediſequam eſſe virtutem: ſtultè: nam illi & viuentes audiunt peſſime, veriſſimiſque maledictis proſcinduntur; & vbi è vita diceſſerint, æterno ſilentio damnati, apud omnem poſteritatem ignorabuntur. nos autem nunc quidem fruimur ſuauiſſima omnium, & iucundiſſima voluptate, quæ manat ex honeſtis cogitationibus, ac ſtudijs: nec erit, opinor, vlla, quæ noſtræ vitæ curſum deſiniat. dies. non in omni ætate decus, ac dignitatem pariet ea, quæ nunc auri, argentique vis. ſuus cuique aliquando, pro, animi, ingenique præſtantia, perſoluetur honos.

interim viuamus nobis, ac litteris, seiuncti ab ijs, quos nutu appello, id est ab ipsa planè barbarie; ne quam ex eorum conuictu labē contrahamus. Munusculum tuum non video cui deferas, inania tibi nostra, mihi nec peregrina solida videtur: si quidem ipse, quod iam significaui, diu peregrinatus oleū & operā. Nobilitatē, & virtutē si quæris est Bononiæ Camillus Paleottus, Mediolani Bartholomæus Capra, duo quauis laude, vt ego sentio, excellentes viri. Capram numquam vidi, sed, hominum sermone, tanti facio, quanti si ille sciat studio me, non dubito, quin mediocri complectatur, & in amicitiam planè intimam recipiat. Pale otto, quæ est hominis humanitas; vsus sum, quàm diu Bononiæ fui, familiarissimè. omnes in eo disciplinę sunt nobili viro dignæ: morum autem elegantia comitate, officio summus est. hi sunt nobis ornādi, & diligendi. Crassos quosdam, ac Midas numquam omnino nostra meliores laudatione faciemus. quin ita desipiunt, ita ipsi se ignorant, & ignorari ab omnibus putant, vt in sinu sibi gratulētur quasi sint quos esse fingimus; cùm, nos ea ipsa, quæ desideramus in illis, ad cohortandum, non ad laudandū colligamus. Habes meā sententiā, quos vites ques deligas. nominare præterea multos possē sed incerta ratio est: & illi duo excellent. Occurrit illud ad ignotos nō facillima ὑποθέσις: alijs, fateor: te quidem ab hac difficultate vindicat vbertas ingenij tui. Alterum est ambitionis, aut etiam leuitatis cauenda suspicio. Locus omnino aliquis calumniæ dabitur: sed omnia ne curanda? nimis misera condicio, valeant iniqui: rectè sentiēntes probabunt; nec nos ij sumus, qui à multitudinis depraua to iudicio pendere debeamus. Vale.

EIDEM.

EIDEM, Patauium. 20

MIHI verò, ita viuam, etiam atque etiam probatur. &, cùm in quouis genere magnus omnino sis, in hoc maximè videris excellere. planè (vt omittam reliqua) ingenij tui quasi quandã ἀξίωσιν sum admiratus. ita concinnè, ita apte, facili quodam sententiarum nexu, rem ducis, donec ad ipsum peruenias: in quo te, vbi scis hærere multos, citra omnem adulandi suspicionem, summa explicas cũ dignitate. Gratulor tibi de ista facultate, & eo magis, quód, si locis impertiur glotia, nouum decus accedet ad Italiam nostram: in qua sedem, auctore atque auspice me vno, ita locasti, vt cogitare nihil prorsus de migratione videaris. nec verò secus debes. valde enim ad litterarum elegantiam, planéque ad omnem humanitatem tibi profuit hoc cælum, è quo iam per quadriennium spiritum hauris. itaque noster eris perpetuò, mi Murete, si gratus esse vis: quod profecto vis: soles enim hanc virtutem præter ceteros efferre. Tibulli principium mitte, vt cum epistola coniungatur. Scholia, non dubito te operam daturum, vt tua videantur, id est lita luminibus ingenij, &, quantum res patitur erudita. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 21

GRAECOS typos, meúmq; de Syriano edendo consilium probari tibi non mediocriter, significas. sic putaram: & in vtroque nunc mea tum opinio, tum voluntas, te approbante, qui mihi multorum instar es, magis magísque confirmatur. De Catulli

clausula, parum commodè: sed nihil, Mureto petente, recusandum. Video te Propertium negligere, cùm ego me illis verbis, quæ sunt in prima Catulli pagina, quasi prædibus obstrinxerim, AB EODEM CORRECTI, SCHOLIISQVE ILLVSTRATI: itaque nec integrum iam est: &, si sit, cur te poetam elegantem maximéque omnium Latinorum fabellarum, varietate, hoc est verè poetica eruditione florentem, abijcias? etiam illud: oblitus ne es, ei te commentarium publicè esse pollicitum? scholia saltem, si commentario non vacas: & vtrumque Torquato: aut, si vni vtrumque non vis, Propertium cui videbitur: inops enim ab amicis non es: sed malim vtrumque Torquato: qui nobilitatem à patre, virtutem habet à seipso. Dices, tibi otium deesse. si hoc impedit: faciam, vt abundes. inibo enim rationem eiusmodi, vt operæ meæ, quarum tibi molesta nunc celeritas est, gradu testudineo pergere videantur. Germano tuo cupio mehercule satisfacere: sed aduersantur multa, maximè peregrinitas, haud satis apta nostris moribus, & ignoratio sermonis Italici. meum tamen illi studium nullo loco deerit, si monuerit: sin ipse aliquid videro, in quo liceat eius rationibus consulere, aggrediar, &, quantum in me erit, perficiam. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 22

VEHEMENTER mihi arrisere tua scholia, sic inquam, vt fere se commentario æquare videantur. perges igitur, dijs bene iuuantibus. Cupio tuum Plinium: quem dare poteris amanuensi meo: cui redditum patruus, nuper è Cypro aduectus, multis à

me

me verbis impetrauit. Expecto reliqua; quod tuo tamen commodo fieri possit. nam, vt tuis consuleretur studijs, & commodis; cessare de duobus prælis vnum maluimus, quàm te nimis vrgeri. attamen rogo, des operam, ne longiùs ducatur. Vale.

EIDEM, *Patauium.* 23

O mi Murete, quot me premunt onera! quibus angor curis? accedit imbecillitas valetudinis, quando equidem operam, vt omnino tuear, ac sustentem: sed vacillare interdum necesse est: ità multa incurrunt in nos: quæ nec vitare licet; nec sumus ad sustinendum pares. tu me, tuus amor, tua virtus multum leuat. quod spero perpetuum, nec, vt ait noster constantiæ causa, sed voluntatis, ac studij. In erratis cur numeras Mæror, & Flamma? quorum alterum vetustas vniuersa, alterum consuetudo probat. etiam, Secula, tum scribebant. nam Varro in Etymologijs Varro non videtur. itaque & à Quinctiliano meritò ridetur. Exspecto Tibulli folia, quæ supersunt, & scholia. Vale.

EIDEM, *Patauium.* 24

MOLINO dixeram, quæ tibi si narrauit, iteranda non sunt: sin omisit, committenda litteris non videntur. nec tamen te diutius celabo; interim hoc vnum; quo fortasse contentus eris: ad alios potius quàm ad te, pertinere, nec vllam omnino tuæ dignitatis, & existimationis partem attingere. Hic sermo increbuit, ex quadam tua, vt audio, ad Lambinum epistola, captum tibi iam esse de Ferrariensi condicione consilium. quod si ita est, magnopere gaudeo, ac tibi Deum ea, quæ cogitas, vehementer

cupio

cupio fortunare. sin autem hæc inania sunt, ac temerè iactata: æquè lætor; teque hortor, pro mea in te beneuolentia singulari, vt habeas rationem in primis non modò tranquillitatis, verùm etiam constantiæ tuæ, veliſq; Patauinam commorationē eſſe quàm longiſſimam. ego tamen, quidquid egeris, meam non modò voluntatem, verùm etiam ſententiam cum tua coniungam: ſed vereor, quod minimè velim, ne quis, in te non rectè animatus, ſermonis materiam nactus, leuitatem obijciat. iam enim quiddam inaudiui. In Tibulli quartum, aueo ſcire, cur nihil velueris. nam poſſe te, certum eſt. nos opus intermiſimus, donec à te plurima colligantur. ſcis conſuetudinem præli. vrgebit te quo tempore minùs expectabis, & opprimet nec opinantem. quare cum otio noſtro tuum negotium metiri non debes, ſed, cùm iacere nos videmur, ipſe nihilo minùs ad induſtriam excitari. Amicus ille tuus, cuius ingenium, vt in adoleſcente, laudabamus, detulit quædam ad*: quæ ſi ille vera putaſſet, incenderetur aduerſus me, & inſtitutam amicitiam, quam ſpero fore diuturnam, abrumperet. te vnum teſtor, quid ego de illius doctrina, atque ingenio & ſententiam, & ſæpe prædicarim. ille tamen ſimiolus longè aliter; vel quòd eſt, vt multi, infenſus Italico nomini; vel quòd natura improbus, qui fingat ea de me, quæ repugnant penitus iudicio meo. atque etiam naturæ; cumque ornatus à me ſit, detrahere tamen de mea laude conetur. nec tamen eſt nihil, quod ad te ipſum pertineat. quæ, quia ſunt iniuſta, contemnes; vt ego, quæ ſunt falſa. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 25

CVM antea, multis mihi declaratam argumentis,

tis tuam prudentiam valde probaui; tum verò, lectis tuis litteris, laudaui te, vt hominem consilio præditum excellenti, atque etiam, vt virum bonũ, qui nihil anteferat honesto; suæque maximè fidei, vel cum rei familiaris ingenti iactura, sibi esse habendam rationem existimat. Optima tibi deferebatur, admodum que honorifica conditio, auidè à multis, & ambitiosè petita. nihil occurrebat contrà, quin accipienda videretur. tu tamen reijcis: & facis, meo iudicio, sapienter: primùm, quia tueris officium, qui Cardinali Estensi iam promiseris: deinde, quia ne sic quidem tuam vtilitatem deseris. quis enim illo ad liberalitatem propensior? quis paratior a fortunæ bonis? habes igitur in eodem cum voluntate rem. nec tu is es, in quem aliquid indignè conferetur. atque etiam, quo maior, ac præstantior adesse, ac se tibi offerre videtur occasio, cùm summo Principi, singulari viro, tuam opetam dices; eo tuam acues, atque excitabis industriam diligentiús: vt ipse te vincas. & beneuolentiam Cardinalis eximij omni tibi ratione concilies. in qua vna si tuæ vitæ quasi tabernaculum constitues, & ita perpetuó senties: ô te felicem, Murete, nec iam amplius á Fortuna pendentem, quæ tui similes sæpe iactat arbitrio suo. Nunc ego quidem à te fructus tuorum studiorum vberrimos, de quibus me sæpe, prædicantem audiêre multi, non solúm expectabo, verúm etiam exigam. quamquam tu mea certè monita non exspectabis: noui enim tuos sensus hac in re cum meis optime congruentes, vt enim denique esse vitam ducas, quæ viuitur in studijs, cetera inania, speciosa multa, plerumque tamen falsa, Interim fruere tecum ipse. & (quod aiunt) in sinu gaude tantæ felicitatis exspectatione, quam æqualem video

fore

fore vitæ tuæ, ipso viuente, qui te exspectat: quem debes, vel si tibi Cræsi opes ostendantur, vnum sequi, & vnum ornare tuis studijs, vel potius ex ipso tui ornandi, atque illustrandi capere argumentum. Vale. Venetijs.

EIDEM, Pataauium. 26

LABORABAM vehementer de amico nostro: nunc animum meum constituit, aliquo interdum, vt verè dicam, metu fluctuantem, epistola tua. atque ad metum accedebat indignatio. quid? virtutine deerit ornamentum? aut etiam locus, vbi consistat? tanta ne est temporum iniquitas, & hominum in suis bonis ignoratio? hæc ego quandoque mecum: nunc vacuus cura iam sum, & ex eo, quod significas, vt in exoptata fortuna triumpho. velim igitur ei meo nomine gratuleris. Tuos versus, tua fretus humanitate, iam promiseram. eos exspectabo, minima, si fieri potest, interposita mora. nec tu velim me diuturna exspectatione ducas. Illa ad illos, qui te nunquam amarunt, quos malè scis audire suo merito, cur non transferas ad alios? equidem suadeo. quòd si tenerem ὑπόθεσιν, facilè dicerem, ad quem, me à lusibus, καὶ ὅπου πάντων τῶν ἐρωτικῶν planè reuocat non solum natura mea, sed ætas etiam, senectuti propior, quàm adolescentiæ, itaque, si quid ad me scribes, remoue, amabo te, omnia, quæ tamen dilexisse Plato videtur ἀφροδίσια. Intelligis, opinor, quid significem: &, quod significo, petere me, vel cupere etiam, si me putas ingenium tuum nosce, existimabis. De beneuolentia tua, etsi nunquam dubitaui, ex te tamen ipso ea, quæ opto, libentissimè audio. quãquam a[u]dium in te meum nihil

nihil ſtudij tui addit commemoratio. non enim te amare cœpi, vt ipſe me amares, ſed quòd amabilem ipſum eſſe duxi multis nominibus, quæ tibi ipſi ne exponam, non modò meus, verùm etiam tuus pudor impedit. Iactura te mouet rei familiaris in diſceſſu repentino. noli laborare: lucrum erit in damno, ſi ſpectes eum, qui te excipiet præſtantem virũ, erga tui ſimiles optimè animatũ, cuius egregiam voluntatem non diſſimilis fortuna comitatur. ſarciet igitur ille, ſi quid ob ſubitam migrationem damni facies; &, vt ſpero, tuum te conſilium quotidie magis oblectabit. Polam video te abieciſſe, & lætor mehercule tua cauſſa verumtamen, ſi quando opus erit, ſeceſſum illum non contemnes: vt habeas tu quoque, exemplo Africani, & Lælij, tuum Lucrinum cuius in litore, neglectis regum theſauris omni prorſus ambitione ſolutus, aut conchas legere, aut fluctus numerare poſſis; eoq; lætiùs, ſi me tibi tantæ comitem voluptatis Deus obtulerit. Verùm hæc, vt quidem noſtræ nunc vtriuſq; res habent, inania quæ tamẽ, ſi perfectè ſaperemus: omnium fortaſſe prima. Sed vides me tecum garrire? captum voluptate ſermonis, dum te quaſi præſentem alloquor & vtor manu eius adoleſcentis, quem iure latij donatum, Cretenſibus adẽptum, affirmo tibi dignũ aliquando fore noſtro contubernio. quod quidem ſtudioſe agit, tuo maximè exemplo incitatus. etſi non te noſtra domus, ſed tua te induſtria, tuum nobilitauit ingenium. Libri aliquando exierunt, quos ad te mitto, iuuenis optimi, & inſigniter eruditi, Onuphrij Panuinij non dubito, cũ legeris, quin meũ de illius præſtanti virtute teſtimonium confirmes. habet alia in manibus, vnde fructũ ſtudioſi capere vel maximum poſſint, quæ vt edat maturiùs, otium illi exoptare qui rerum nobilium ſcientiam appetunt, omnes debent. Vale. Venetijs.

EIDEM,

EIDEM, Ferrariam. 27

Vix credas, quàm non facilè mea manu litteras conficiam, & quàm facilè, cùm vtor amanuensi, fluat oratio, itaque scripsi ad Seuerum laboriosè, quod inambulans, vt antea solebam, minimo negotio dictassem. discessus ille meus, magnorum index malorum, vt ab amicis tunc falsa coniectura ductis, putabatur; familiares meos, quorum vti opera cõsueueram, Podocatharum, Fasinardum, postremo etiam Nicolaum Cretensem mihi ademit; filium habeo, sed puerum adhuc, & imbecillo corpore, & occupatum satis domestica cura. itaque post hac, nisi quid occurrat grauius, perquam raró, & quàm breuissimè scribam. venio ad litteras tuas. Reuersus è Foro Iulij, quó exieram nõ tam negotij, quàm valetudinis caussa, reperi librum tuum variarum lectionum, quem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem virum reliqueras. noli exspectare iudicium meum. malo enim te ab alijs, quid de tuis studijs, quid de ingenio existimem, quàm à me ipso, cognoscere, vnum tamen illud non minús verè, quàm libenter dicam; nihil me adhuc in hoc genere legisse ornatius, nihil eruditius. Quód autem quibusdam in locis, & à me dissentis, & egregijs idem laudibus me ad cælum tollis: non magis amorem in me tuum, quàm doctrinam amo. ago etiam gratias, quód publicam vtilitatem rebus omnibus anteponas: quam ego antea consuetudinem, acceptam à patre, seruaui mea sponte, & seruabo posthac, tuo inuitatus exemplo, diligentiús. De nummis, cùm lubebis, atque adeo vt lubebit. vrgeri enim eum, quicum tibi vsus intercedat, ne si quidem ipse velis, facilè permitterem. Dionysius

paulo

paulo ſeriùs, quàm putaueram, abſoluetur. moram iniecit commiſſa inter operas rixa, abſente me. neque tamen hac ſatis leui, ſed alijs adductus cauſſis, quæ ponderis longè plus habebant, pænè totum conſilium abieceram. Nunc, te hortante, ac monente etiam vt celeriter, quid agam? quid autem, niſi quod ipſe cupis? quod certè mea cauſſa cupis. vrgebo igitur pro virili, nec impenſæ parcetur, aut labori. De Gallorum Rege, dolui ſane grauiter dolorem veſtrum; ſed humana quæ ſunt, humaniter ferenda. nec vobis doctrinæ remedia, nec ea, quæ ſumuntur à rerum vſu, deeſſe poſſunt: & tu mihi miranda narraſti de Cardinalis pietate in Deum: quo ille ſe vóſque omnes præſidio aduerſus iniquitatem fortunæ præclare tuebatur. Vale. Venetijs.

IOANNI BAPTISTÆ RHAMNVSIO K. VIRVM CONSILII A SECRETIS *Venetias.*

CVM à nobilibus viris, in hæc loca vel animi, vel negotij cauſſa confluentibus, dignitatem illam quæ maxima eſt in noſtra ciuitate, vt arcanis præeſſes præſtantiſſimi X virum Conſilij, ſummo omnium conſenſu tibi eſſe delatam accepiſſem: magnopereſum lætatus, tum pro ea, quæ olim inter te ac parentem meum mutua ſemper fuit beneuolentia, tum pro mea in te vetere obſeruantia, orta primùm à meo de tuis virtutibus iudicio, deinde à te multis, ac varijs, vt tempora tulerunt, erga me, meóſque officijs vehementer aucta. atque ego meam tibi pænè incredibilem lætitiam, ex honore tuo ſuſcepram, ſtatim litteris declaraſſem niſi,

nisi, autumno iam exeunte, breui futurum sperasses vt, in vrbem reuersus, præsens præsenti gratularer, neque solum ex oratione, sed ex vultu, & oculis, qui sunt indices animi, de meo in te studio, intimoque sensu iudicares, hac ego me non multorum dierum exspectatione cùm sustinerem, ecce tibi amicorum litteræ, ecce nuncij, proximis comitijs tulisse te fructum anteactæ vitæ omnis, tot peregrinationum, quas in Galliam, ad Heluetios, Romam, etiam ad hostes armis infestos reip. caussa suscepisti, tot consiliorum quæ à te fluxerunt ad augendam, quantum in te fuit, patriæ dignitatem. cùm enim longo post interuallo in eum locum redijsses, vnde magistratuum designatorum nomina recitantur, consurrexit senatus vniuersus, ex tuo conspectu mirifica voluptate perfusus. quæ tum animorum omnium perspicua significatio ita te commouit, vt illico magna vis lacrumarum exciderit, intuenti beneuolentiam tuorum ciuium, quos in omni ætate dilexeras, quibus iam inde à prima adolescentia, parentis tui, summi viri, exemplo, omnibus officijs inseruieras, nulla tibi, præterquam amoris, præmiorũ spe proposita. Fuit igitur eo die mutuum, & æquale gaudium, senatus: primùm, vbi tuam sibi vocem claram pariter, & suauem, in pronunciandis magistratibus vidit esse restitutam, quam post obitum magni Cancellarij Franciſci nimium sæpe desideraueràt; deinde tum, cùm illa tibi cum incredibili gaudio, ac pænè cum clamoribus vniuersa consurrectio, quid de te tui ciues existimarent, quo te studio, qua caritate complecterentur, ostendit. Enimuero lætari te puto, quod quidem iure facis, summo dignitatis gradu, quò te tua virtus extulit, vt arcana illa tractare, quæ ad reip. salutem, & huius magnitudinem imperij pertinent. verùm hoc sæpe vidimus

alijs

alijs quoque contingere, optimè scilicet de patria meritis : nec enim honor in quemquam, qui sese magnis in rebus non sæpe probauerit, confertur: studia verò tanta, testimonium tam illustre, consensum eiusmodi quando vlla omnino in re, vel in quemquam omnino hominem vidimus, aut audiuimus? Itaque cùm ad meam priorem lætitiam nihil addi posse existimassem, nunc tamen accessionem haud mediocrem noui gaudij factam esse confiteor: vt eam testari litteris, ac tibi, quoquo modo licet, indicare sim coactus. video enim te vno die, atque vna planè hora mercedem cepisse non modò meritorum tuorum, quorum habes testem vniuersam ciuitatem, verùm etiam perpetuæ tuæ modestiæ, cùm amore, ac iudicio patriæ contentus, nulla vnquam commoda, nullum honorem tibi esse petendum statueris; vti admiratio simul & dolor propinquos, ac familiares tuos fere omnes afficeret, quòd ista dignitate, quæ tibi nunc incredibili omnium studio delata est, ornari antea noluisses, quorum te denique, ac simul omnium ciuium, voluntas, atque cohortatio vicit, & ad honorem exoptatus, atque accersitus accessisti nulla vsus prensatione, nullis precibus, tua virtute commendatus, quæ tibi omnia omnium suffragia facilè impetrauit, quando igitur, honore accipiendo, patriæ satisfecisti; dabis eidem optanti, atque petenti, vt ad tuendam ac sustentandam senectutem tuam quidquid curæ, quidquid potes in industriæ conferas: vt &. tu mirifico illius in te studio, & illa tuo excellenti consilio, tua rerum omnium publicarum scientia frui quàm diutissimè possit. idem te priuatim rogant necessarij tui; propriè verò filius adolescens, in quo videtur tua virtus efflorescere, tua iam probitas, tuæ ad optimas res propensio

voluntatis agnoſcitur. Ego autem, cùm nemini in te amando, colendóque concedam, ijſdem vtor precibus, ne tuam ætatem, confectam iam annis, & laboribus pro rep. ſuſceptis, rebus agendis nimium vexes. vereor enim (vt omittam publici muneris curam) ne plus officij amicorum cauſſa, quàm ſuſtinere fortaſſe poſſis, tua tibi imponat humanitas. quòd ſi deſidiam odiſti: &, quæ alijs quies videtur, laborumque, ac moleſtiarum quaſi portus experitur, eam tu ignauiam appellas, nec homini quidquam vitandum magis exiſtimas: habes in quo te exerceas: duo ſuperſunt, aliquot iam annis inſtituta, de itinerum & nauigationum diuturno ac perdifficili curſu præclara volumina: quæ ſi ad primum, quod omnes libenter, nec ſine tua ſumma laude, legunt, aliquando adiunxeris: egregiam, & maioribus noſtris, multíſque ante ſæculis reconditam doctrinam, præclaris imaginibus expreſſam, orbi terrarum patefacies, tuoque nomini gloriam paries haud paulo maiorem, quàm quæ tibi à cunctis honoribus & magiſtratibus, vel magnificentiſſime geſtis, manare vmquam poſſit: eoque magis in hoc ſtudium debes incumbere, quód omnem amœnitatem, quæ ſolet ad ſcribendum inuitare, tua tibi Rhamnuſia villa abunde ſuppeditat. itaque frueris eodem tempore Marſangi Muſis, delitijs, ac amoribus tuis: & nobis, poſteríſque, maxime veró Paulo conſules filio tuo: cuius omnes egregiam indolem amamus, & exórientem virtutem admiramur: quem à te, niſi graue ſit, etiam atque etiam meo nomine cupio ſalutari. vale. Ex plebe Sacci, pridie idus oct.

M. AN-

MANTONIO NATTÆ.

Mantuam. 29

GRAVI ac diuturna oculorum valetudine impeditus, feci tamen, vt litteris tuis humanissime atque elegantissime scriptis, quam primum responderem. Ego te, Natta, ex illo tuo præclaro libro, quem de Pulchro inscripsisti, tam pridem cœpi colere, mea tibi voluntas non patuit: ceteris, quid de te sentirem, sæpe in sermonibus declaraui. Nec verò mirari satis possum, qui potueris tantos processus in philosophia facere, homo versatus, assidueque occupatus in tractando iure ciuili, in quo ipso te excellere, & audio de multis, & res indicat: quando quidem certatim viri Principes te accersunt, summisque muneribus præficiunt. Equidem, vt beneuolentiam tibi meam præsens præsenti patefaciam, cupio Mantuam excurrere: sed me deterret valetudinis infirmitas, tametsi affirmabat is, qui mihi tuam epistolam reddidit, posse me à meis laribus Mantuam vsque non incommode nauigare. itaque audebo fortasse. igniculum enim desiderij vix iam fero: &, si quid est in itinere difficultatis, homini præsertim imbecillo, vincet amor in te meus. De tuo libro, quid iam expectas vt rescribam? vides ne me in ære tuo totum esse? impera mihi quod vis: & vtere me, quantū vis: subibo omnia, & perferā tua causa. Meū librū de legibus ad te mitto. ijsdem typis, si tibi placuerit, vtemur in tuo libro. sumptus omnino maior erit, quàm si littera minor esset: verū hoc tui consilij, ac voluntatis est. statue arbitratu tuo: perpende magnitudinem libri: deinde significa, quid velis. mitto etiam aliud characteris genus vt alterutrum deligas. vtrumque enim in folij,

quod aiunt, formam aptè conuenit, tametsi dignitas maior est in maiore. De ratione sumptus, si numerum paginarum tui libri significaueris, & simul versuum in vnaquaque pagina, & litterarum in quolibet versu; facilè summa fiet, & ad te scribetur. Num quid præterea? hoc. de meo libro quid sentias, cupio significes. vix enim credas, quàm à iudicio tuo pendeam. Vale.

EIDEM, Mantuam. 30

PRAECLARE Hector ille apud Neuium, Laudari abs te pater cupio, laudato viro. possum ego nunc idem vsurpare. Video me laudari, à quo viro? à M. Antonio Natta, in quo sunt ingenij, sunt animi ac virtutis ornamenta plurima. ego porrò aliquid fortasse, si cum alijs conferar, videri possim: cùm verò ad te vnum cogitationem conuerto, vix credas, quàm mihi ipse displiceam. Quare permitte mihi, vt eas laudes, quas in me contulisti, reijciam; aut ipse maiores in te transferam. nam mihi, vtrumque nostrum æquo lance pendere, magni negotij non est. vt vt est, amo voluntatem tuam, ea mihi est, eritque semper, vt debet antiquissima. De aduentu meo muto consilium in horas singulas. tu me allicis, vel attrahis, potius. reuocat, & retinet valetudo. cùm ad te specto, nauim conscendo, vehor, appello Mantuam, tecum sum, sic est amor, & illæ, quæ fluunt ex amore, voluntates. rursus, cùm ad me conuertor, & meam imbecillitatem intueor; qua macie sim, quam tenui cure, quàm natura mollis, & procliuis ad morbos: relanguesco paululum, & quasi nauim incitatam leuiter inhibeo. vides adhuc, & sentis fortasse, tentari corpora frigore, levi quidem, sed tentari tamen: vides perflari cælum

ventis

ventis; rationem esse temporis prorsus incertam, & inconstantem quæ firmiores non timent; ego valetudinarius nisi timeam, parum videar me nosse, parum vitæ consulere; quod nec humanitatis est, nec satis pium; cùm nos iusserit ille summus imperator quasi suos milites in hac statione, donec ipse reuocauerit, permanere. Calores, vt spero, quæ mea solet esse anniuersaria medicina, me mihi restituent. itaque Iunio ineunte, aut eo certè mense, te, vt spero, complectar. sin videbo sine meo periculo fieri non posse, vt in viam me dem, docebo te litteris quid consilij ceperim. Tuum librum tractabo qua licebit diligentia, animo certè erga te singulari: Vale. Venetijs.

EIDEM, *Mantuam.* 31

ADEONE erraui, & lapsus sum in subducenda ratione, vt de solis quinquaginta coniecerim, quæ nunc octuaginta fore video? pudet indiligentiæ meæ. verùm, vt vt est, commodo meo rem suscipere non possum, nec audeo recusare; ne mea fides in dubium apud te veniat. itaque peto à te, vt cum tua ratione meam quoque ducas, nec exigas à me plus, quàm res & fortunæ meæ patiantur. Nam, quod ais, redituram ad me pecuniam cum fenore, libro vendito: videlicet communi quadam, non propria me regula metiris. non enim ego, vt alij, qui libros imprimunt, habebo statim certos homines, qui eos diuendant, & longinquas in vrbes, regionesque disseminent. vendûtur hic statim à meis omnes ita peruo pretio, vt lucri quidem minimum, sed minimo simul labore minima molestia fiat. Meum ergo librum itidem, inquis, vendes. De doctrina libri tui, de elegantia possum ego facile iudicare: de venditione

tionequis præstat? an nescis libros Latinos, optimos, veteres, i tanunciacere, vt pænè sordium in genere putentur; vix iam Ciceronem ipsum, Cæsarim, Salustium legi, à multis etiam ne legi quidem, planeque contemni? quare noli mirari me tam esse diligentem in ijs rebus, quas me docuit vsus pænè quotidianus, & in quibus non licet esse sine magna mercede negligenti. De tempore quod vrges: facultatem imprimendi non concedunt, libro non inspecto, atque vtinam, inspecto, concedant, quod si dixi eos me faciles habere: non significaui, posse me, libris non lectis, impetrare ius imprimendi, sed consequi, statim vt legantur: quod ita multis non contigit, sæpe enim vidi nonnullorum scripta, apud eos, quorum potestatis hæc tota ratio est, per multos menses custodita, neque legi, neque reddi. Mittas igitur librum oportet vniuersum: mecum autem amice ages, pro ea, quam tu doces quotidie præclaris exemplis, æquitate: ita, si erraui, non luam grauius, quam debeo: sin error à me non est, à te vero aucti libri magnitudo tota pendet; ius tuebere pro tuo instituto, & amico simul consules. Vales.

EIDEM. *Mantuam.* 32

VT concludatu paucis; quando nec mihi ad scribendum, nec tibi ad legendum otii satis est; si librum miseris, imprimetur: nolo enim meam apud te fidem in dubium vocari, nihil est tanti. de tempore incertum est, pendet, vt sæpe iam scripsi, hæc tota res ab aliena voluntate crediderim tamen intra mensem confici & expedire rem posse, tum studio nostro, tum intercedentibus amicis, nobilibus viris, & gratia florentibus, libro non inspecto, facul-

tas

tas imprimendi numquam dabitur. scio nullũ in eo labem esse, quæ legentium animos possit inficere; noui tuos sensus, mores, probitatem, quæ ego pluris etiã in te æstimo, quã eã doctrinã; qua parẽ fortasse aliquẽ, superiorem certè habes neminem, verum mos est gerendus consuetudini, communis hæc est, nõ tuæ præcipua conditio. Ad mea autem quod attinet, voluntati tuæ, in qua vim esse cupiditatis intelligo, nulla interiecta mora satisfiet. Vale Venetijs

EIDEM Mantuam. 33

HODIE, tribus medicis adhibitis, accuratè disputatũ est de meo exeundi consilio, rem probant, sed illud addunt, totam æstatem dandã esse otio, iucunditati, exercitationibus modicis; nec redeundum in vrbem ante mensem Octobrem itaque vehementer animi pendeo: nec, quid consilij capiam, satis habeo exploratum, in hac dubitatione venit in mentem de tuo libro: quem si exeo, video, fore vt serius fortasse, quam tua voluntas ferret imprimatur, quare monendum te litteris existimaui, vt aut statim eum mitteres, aut imprimendi consilium differres. Ego hic vel tua vnius causa cõmorabor dum liber absoluatur quod, si statuis de subita impressione: qua velis forma, quo charactere, quo numero, significa. Suaderem omnino, vt aliorum opera, me absente, vtereris: sed timeo mendas & sordes; quibus inquinari, & corrumpi tua scripta per operarum incuriam, nolim: quod tu iam sensisti in libro de Pulchro; qui tractari non potuit indecentius. His litteris cupio à te primo quoque tempore responderi: vt, quod ad me ipsum attinet, certi aliquid possim statuere, meam enim voluntatem ad tuam accommodabo. Vale.

EIDEM, Mantuam. 34

LITTERIS tuis perlectis, aggressus sum legere tuum libellum: legeram iam antea Venetiis, allatum ad me à Carretto tuo. mirifice semper placuit. genus enim scribendi non minùs elegans, quàm eruditum, complexus es. Quod ad typos attinet, video paululum detritos esse vetustate: itaque specie illa, quam recentes habere solent, prorsùs carent. & compactum nimis atramentum videtur: ex quo fit obscurum quiddam, quod legentium oculos offendat. Menda quædam deprehendi nimis fœda nec eiusmodi, vt dissimulari possint. cuius incommodi causſam puto tibi non latere. sæpe enim hic, dum imprimitur, vel emendationi nemo præest, vel præesse solet homo mercenarius, & parũ litteris instructus, & is, cui pecunia, quã fama, sit antiquior. nos tamen, & quia de existimatione laboramus, & quód te, nimiú diligimus ob tuã probitatẽ, nimiúmq; colimus ob eruditionem, emitemur, & contendemus quantum feret acies oculorum nostrorum, vt satis in hoc genere fiat tuæ voluntati. ad quam tu me diligentiam tacitè vocas in tuis litteris. laudas enim, & Aldi filium agnoscere te dicis. quàm sunt hæc acuta, quàm me pungunt, atque excitant ad omnem laudem, non modó hanc proptiam typographiæ, puę iam in nostra familia inueterauit, &, quasi debita, postulatur. Sed heus: adhuc ne tibi meus liber est in manibus? atqui abiectum iam à te, & latere in angulis, obductum puluere, existimabam, nec tu is es cui bonas horas malè liceat perdere, homo assiduis curis, maximisque negotijs districtus, itaque peto à te, hoc mihi des, ne tuum otium à summis rebus

bus ad meas ineptias conferas. satis iam obseruantiæ in te meæ satis humanitati tuæ dedisti. hoc si plus cupiam, non agam satis modestè: nec te nosse, nec me ipse videar. Verbum optabam in epistola tua de Carretti valetudine, optimi viri, vt visus sum coniicere, tui certè studiosissimi nam affectum pessime, ac pæne desperatum dixeras, cum essem Mantuæ. Mecum actum est in hac peregrinatione prorsus infeliciter, incidit in morbos tota pæne domus: sed vxor cum periculo vitæ integrum iam mensem miserrime iacuit: nec dum video quid sperem. cùm iactetur acerbissima febre, nec habeat spatium vllum sese colligendi. ego, cum non optime valuerim corpore, neque nunc valeam, quo fuerim animo, quo nunc sim, vel me tacente, potes existimare. fortitudinem laudo: sed eam in me ipso nunc requiro. vincor enim aduersis, nec possum plane, quod tu potes, á philosophia illa vera, quam Aristoteles ignorauit, præsidium petere. Sed longiùs progredior. tuas litteras exspecto. solatium fortasse aliquod in malis afferent. Vale. Asulæ.

EIDEM, Mantuam. 35

MEVM in reditu consilium hoc fuit, vt Mantuæ conscenderem, idque maxime tui salutandi caussa; tum, vt, quod antea de tuo libro imprimendo inter nos conuenerat, id comprobaremus. non licuit ob viarum difficultatem, & frigora. scis enim, quam tenui cure sim, quàm imbecillo corpore. Caneti igitur, & meo, meorum consilio, tranquilla tempestate, conscendi: Mantuamque præteruectus, viginti, opinor, milliariorum interuallo, Clodiam triduo incolumis appuli. hîc me amici, & propinqui lætitia incredibili exceperunt, qui de reditu meo, sæuiente

iam

iam hieme pænè desperassent, negotia nunc repetimus: quæ cùm neque pauca sint, neque ponderis exigui, nullum tamen habeo prius, nullum antiquius eo; quod ad te pertinet, vide igitur, ipse quid statuas, nam, si perstas in sententia; mittendus liber est ante medium Ianuarium: quo spatium habeamus eos alloquendi, ac rogandi, quorum iniussu nemo imprimit impune. vrget etiam Philippi Regis orator de libro edendo, quem ei, misit, homo, vt aiunt, Græcè Latineque bene sciens, arcanorum ipsius Regis particeps, Gonzalus Perez: cui roganti per litteras, vt omnino suus liber meis typis exeat impressus, & in eo sitam ac locatam suæ Laudis aliquam partem existimanti, deesse non possum, pollicitusque sum, & persoluam fidem. sed cupio tuum librum antiisse, si tu vis: sin commodius videtur, in aliud tempus differri; quamprimum litteris significa, ego id vnum specto, tibi vt satis faciam. Vale.

EIDEM, Mantuam. 36

NONDVM redditus liber est: nec mea tamen in ea re diligentia defuit, deuorandum est hoc vtrique nostrum, quidquid est molestiæ, nam me quoque mora longior incipit ita grauiter afficere, vix vt feram: fero tamen, quia Nattæ negotium est, alioqui hastas mehercule, vt ille inquit, abijcerem, sed obduremus paucos præterea dies, si res ducetur, librum repetam, & cum pecunia tibi remittam. Ama me; & tibi persuade, te mihi esse in animo assiduum in oculis, in ore. Vale.

EIDEN, Mantuam 37

NEQVE nihil respondebo, neque tamen id, quod tu

tu exoptas vehementer, ego autem sic, vt tecum in cupiditate contendam. Librum habet in manibus homo eruditus egregiè sacris litteris, & philosophiæ scientia excellens, Sixtus Medices: cuius omnia iudicio, propter doctrinam; fidei verò, ob integritatem, rectè committantur, is legit accurate, perscrutatur omnia: examinat, & pendit acerrime. nihil adhuc vt sæpe iam mihi significauit, alienum à recta sententia deprehendit; tuamque mirè laudat perpetuam tam longo in opere eloquentiam, singulari doctrinæ coniunctam, is, quid tuo delibro sentiat suo testimonio ac iureiurando cùm ostenderit, aggrediemur: quod abesse iam longè vix potest. Te interim rogo, optime Natta, ne quid alienæ culpæ in me transferas, nec me curare parum grauiter existimes ea, quæ ad te pertinent: quibus afficior in vtramque partem, non equidem æquè ac tu, sed, vno te excepto, grauiùs certè quàm ceteri. Vale. Venetijs.

EIDEM, Mantuam. 38

ALIQVANDO is, qui tuum librum accuratè legit, absoluit epistolam eam, quam tuis litteris respondet; de re tu iudicabis: de homine, sic habeto, virum esse bonum, præstanti humanitate, singulari doctrina, præconem verò laudum tuarum. quare est sanè cur ei gratias agas, quòd te ornet efferatque laudibus: quod à me iam, qui te vnicè diligo, tuo nomine factum est, quam primum autem cupio à te responderi; vt, si quis remanet scrupulus, auferatur, & exeat tuus liber bono publico, tua non mediocri gloria: quod vtrumque fore confido. Bonanimus neq; dum venit; nec venturus ne sit, aut quando sit,

ex

ex eius ad me scriptis proximè litteris licet coniicere tu cognosces: eique ad me fasciculum dabis epistolarum mearum: quas tamen, tu quoque, opinor mecum sentis, comprimendas potius, quàm diuulgandas: sed efflagitantibus, præsertim amicis, negari iam diutius non possunt. Vale.

EIDEM, Mantuam. 39

PLVRIBVS tecum verbis agere non licet: ita multis distrahor curis. vnum hoc. is, qui tuum librū legit, idem tuis litteris, diserti ssimè scriptis, respondebit, quod vt celerrimè faciat, operam do, quantum in me est. tuam causſam certè, vt mihi videtur, prædarè tueris: &, quantum tibi ex optima mente tantum ex ingenio, & doctrina laudis accedit. Vale. Venetijs.

EIDEM, Mantuam. 40

PLACERE tibi argumentum de republica, & eius libri partem, epistolis meis insertam, abs te, tali viro, tantopere laudari, vehementer gaudeo. tua verò cohortatio, vt absoluam institutum, animos illa quidem addit: sed, ô mi Natta, si vides quibus premimur & curis, & laboribus, fortasse, si modò vis me viuere, aliter sentis. incitamur voluntate, consiliis, & hortatib. amicorum, gloriæ nonnulla cupiditate: nec omnino diffidimus ingenio; verùm illa, qua tu excellis, quæ in tuis & dictis & factis elucet prudentia, dissuadet. me natura pertenui finxit corpore: studiorum accessit non mediocris labor: ex quo imbecillitas, & morbi. quid res domestica? quæ, quo est anguſtior, eo tuenda diligentius est. quid typographia? quam ita mihi tractandam intelligo, non vt omnia ad vtilitatem, sicut multi, sed pleraque ad meam

meam existimationem referam, ac dignitatem. quo propositio nihil est operæ, nihil studij recusandum: ac sæpè, vt ait poeta ille tuus, sudamus, & algemus. Amicis etiam vel salutantibus horæ dandæ sunt, vel aliquid petentibus officia tribuenda. qui si excludantur, aut reijciantur; sanè consuleturotio meo, rebus meis, valetudini meæ; sed vbi humanitas? quæ quàm sit hominis propria, nomen ipsum iudicat. Iacent igitur inchoata, planè rudia, temerè vel dissipata, vel confusa, mea scripta; quæ nonnunquam, sicuti mater languentem filium, cum dolore tacitus adspicio; opem ferre, quam videntur postulare, non queo. Quare, si quid apud te hominis tui amantissimi salus est, non debes me ad scriptionem vocare, tot assiduè, tam varijs, tanti momenti occupationibus distentum. adiuua me potius consilio, si potes: aut minue molestiam consolando: opta saltem, (& hoc ipsum significa) vt hæc nunc sustineo, perferam; & is, quem volumus, principijs exitus respondeat. id quod, nisi fauente, qui fons est omnium bonorum, Deo, sperare non licet. Consultationes tuas, si quæ nondum editæ sunt, mirè aueo legere. nam, cùm in ijs, quæ iam sunt editæ, præstare te omnibus, qui memoria nostra ius ciuile litteris mandarunt, cùm scientia rei, tum sermonis elegantia, mihi persuadeam. intelligo posthac tua scripta longè fore meliora. non ago tecum blandè: metior veritatem ipsa re, &, vt sentio, planè loquor. valde, mi Natta, hoc biennio in Latina lingua profecisti: quotidieque, vt ex epistolis tuis facilè conijcio, ad veterem illam eloquentiam propiùs accedis. itaque videre mihi videor, ac prorsus video, quantus in iure ciuili explicando, si studium adhibueris, esse possis: quod vt facias, auctor tibi magnopere; si modò tu in tua laude quemquam præ-

ter

ter te ipsum, auctorem, hortatoremque exspectas. Vale.

EIDEM. Mantuam. 41

LITERÆ tuæ, quas idem binas tabellarius attulit facile tuam edendi libri, quem efflagitari iam à multis audio, non mediocrem cupiditatem declarant: nec me tamen studio tibi concedere velim existimes. nam & συμπάθειαν quandam commouitiam in sensibus meis virtus tua: & res ipsa, de qua tantopere laboras, commendationem habet à se ipsa, nec tuum officium apud me, aut omnino apud quemquam bona mente præditum, desiderat. Vnde igitur, inquies, tot dierum prolatio? Equidem culpa vaco: nec in officio præstando Sixti nobis humanitas defuit: sed ab eius voluntate pendemus, cui tota demandata facultas est. is cùm Sixti primum, deinde etiam nostro se acquiescere testimonio confirmasset, Sixtum etiam, vt optime de Christiana doctrina sentientem, sacrarumque litterarum disciplina perfectum, laudibus extulisset; illud adiunxit; sibi tamen esse concedendum, cui ratio temporum paulo seueriorem quàm ipsius voluntas ferret personam imponeret, vt librum leniter attingeret; quod esse perpaucorum dierum negotium pollicebatur. negandum non fuit, egimus etiam gratias quod ita blande peteret. vt suum obliuisci potestatem, humanitatis causa, videretur. Nunc tibi, mi Natta, deuoranda est hæc non multorum, vt spero, dierum mora, vides, hominum recentiorum libri, quicumque de sacris rebus loquantur, quam diligenti hodie trutina perpendantur: vides quam multi, nullo personarum discrimine, in iudicium vocentur, quam pauci mox elabantur,

labantur tolle, obsecro te, festinationem in re tanta: & habe rationem temporis: & vtriusque nostrum otio, (nam mea quoque res agitur) breui interposita mora, consule. Nam, quod iecisti de tua laude, opinor vt quasi dormientem excitares, id mihi nouam diligentiam non attulit, potius admirationem quandam, cur ea quæ ad tuum decus pertinent, curari à me frigidè suspiceris. Etiam appellas me ob testimonia epistolarum mearum. quasi verò ego te diligam constantiæ caussa, non iudicij. quòd si te non esse dissimilem tui putaueris; cuius etiam probitatem, doctrinam, eloquentiam assidua studia vehementer augent me quoque, qui aliquando in te fui, eundem fore semper, hoc est, amore incensum, atque cupidissimum gloriæ, debebis existimare. Commentarios meos quòd euoluis libenter amicè, facis. si verò etiam, vt scribis, aliquid ad tuam vtilitatem excerpis; magni facio industriam meam: quam tu, vir ingenio & eruditione summus, modò non improbares, satis habebam: fructum vt ex ea caperes, vix vmquam speraui. Itaque scribam posthac paulo fidentius, iudicio tuo confirmatus: & auctoritatem tuam, si quis contrà senserit, pro sexcentis rationibus opponam. Litteris tuis caue putes non esse à me responsum, quia neglexerim: obstitit occupatio quæ diem quandoque totum eripit à mane ad vesperam. quod etiam si non scriberem, tamen opinari, tuæ prudentiæ, & humanitatis esset. Vale.

EIDEM, *Mantuam.* 42

AD oculorum dolores, quos diuturna consuetudine satis iam modicè fero, accessit molesta febricula: periculi tamè expers, vt medicus affirmat. itaq; cogor

cogor breui respondere litteris tuis, elegantissimè & humanissimè scriptis. Liber statim traditus est viro optimo, atque eruditissimo, communi amico, Sixto Medici.is, licet occupationibus districtus, tamen & mea & tua causa pollicitus est, operam se daturum diligenter vt eam partem, quam tu addidisti ac mutasti, quam citissimè legat: quod cum fecerit; rursus ex eius testimonio ius erit imperandum libri diuulgandi. Scis enim quàm seuera hodie sit librorum omnium examinatio; quàm sint, vbi quid scribimus, ambigua cauenda: ne qua omnino secus interpretandi, trahendique in deteriorem partem occasio præbeatur. Sixtus me diligit, meaque causa valde cupit: de te autem honorificè & sentit, & loquitur. itaque, quod ad ipsum attinet, nauigamus in portu. Academia tuum officium amplectitur, ac laudat; sua verò á te, singulari viro, probari & magni fieri instituta, mirabiliter gaudet. Plura volebam, ductus suauitate sermonis cuius imaginem habet epistola: sed interdictum est, non modó ne quid scribam mea manu, verùm etiam ne multa, nisi necessariò, dictem. Vale.

EIDEM, Mantuam. 43

HABEO, quod petieram, sedasti animum meum consolatione, concilio iuuisti. nihil sapientius, nihil humanius epistola tua. & cum multa sunt á te grauissime, atque ingeniosissimè commemorata: tum verò mirificè sum exemplo tuo commotus, quem statuo imitari, quantum in me est, licet meæ probè quidem conscius infirmitatis: cui si Deus aderit, quod equidem spero, vincemus humana omnia & triumphabimus in aduersis. Adferet ad te tabellarius cum his litteris indicem, quem petis,

petis, missum ab Academia, tui studiosissima. tradidi enim legendam epistolam tuam: nec improbauit quisquam. quid? nemo non extulit amplissimis laudibus. ego autem & qua sim ex eorum iudicio affectus lætitia, & quid ipse de tuis existimem scriptis, quia te puto illud, vel me tacente, pro amore nostro suspicari, hoc autem ex meis superioribus litteris cognouisse: non exponam hic pluribus verbis. tantùm agam gratias de ista tam in me propensa voluntate, excellentique industria: quarum alteram longitudo litterarum tuarum, alteram elegantia declarat. Vale.

EIDEM, *Mantuam.* 44

BIDVVM hic futurus sum: nec enim diutius licet per valetudinem: nec venissem leuibus caussis. Liber tuus propediē prælo committetur, & diligenter emendabitur. Angor equidē, quòd abesse cogar. quod accidit profecto non minùs contra voluntatem quàm præter opinionem: sed hæc in manu nostra non sunt. ducimur enim, vel trahimur potius, fatorum vi. itaque humana omnia ferenda. quamquam non hæc tibi, quem religio probum, doctrina prudentem facit, sed mihi ipsi, ab ijs præsidijs, quæ te muniunt, parum instructo, tanquam intus cano. De rebus meis, de valetudine de studijs, exigit omnino amicitia nostra, vt aliquid significem: sed neque nunc satis otij suppetit: neque, vt verè dicam, libenter scribo, quæ tu non libenter legas. meliora tamen omnia paucis diebus fore videbantur: itaque vberiores à me litteras expectato. Hæc dictaui properè, multis districtus negotijs, animo curis impedito. Vale.

EIDEM, Mantuam. 45

LIBRI, quas remisisti, epistolas meas, & correxi leuiter, vt homini licet occupato. de editione, quod hortaris, vt omnes potiùs, quam, vt ego statueram, vnam, aut alteram: ita faciam; non spe laudis, (scriptæ sunt enim, quod res ipsa indicat, indiligenter, ac raptim) sed quia notam esse æquis & iniquis nostram amicitiam volo: quæ me ornat iudicij tui testimonio: cùm tam in ad iudicium singularis accedat humanitas. Vale. Venetijs.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER QVARTVS.

ILLVSTRI COMITI, MICHAELI TVRRIANO, CENETENSI EPISCOPO Cenetam. 1

ANGEBAR animi, nec fieri quidquam posse me vno miserius opinabar: ita multa hoc anno præter expectationem, prorsus aduersa meis rationibus, obtigerant: fratris primum amantissimi, deinde filioli suauissimi, interitus, vxoris morbus, inualetudo mea, rei familiaris incommoda. quàm facile, nullo pæne strepitu, rerum mearum conuersus orbis est. de fratre,

ire, & filio iam fero moderatius. vel quod, vt solet, medetur dies: vel quia, quod æterna lege Deus constituit, id rabogare velle, non solùm iniustitiæ, verum etiam imprudentiæ videtur esse. vxor conualuit: ego satis firmus. domestica vero damna, quæ sacriri vix vmquam arbitrabor posse, facilè compensat amor in me tuus: cuius mihi recordatio molesties omnes diluit; quando quidem vime ad omnes casus (recordor enim tua verba) subsidium in tua benignitate maximum consistere. itaque leuatus à te grauissimis curis, premi iam onere officij me sentio: in quo sustinendo viribus enitar iunctis & animi, & ingenij: tantumne? immò etiam ijs, quas beneuolentia erga te nostra, & singularis addet obseruantia. quid porro tam difficile, aut tam amplum est, quod incitata studio voluntas nõ assequatur? verũtamẽ in hac re setio esse haud paullo difficilius mihi satis facere, quàm tibi, te enim nihil in conferendo beneficio spectare præter ipsam virtutem, quæ suis gaudet ac fruitur bonis, nihil extrinsecus assumit, satis mihi multo antea persua sum est. præterea nulla te indigere, non gloria, qua iampridem abundas, non diuitijs, quas & possides iam, & contemnis. Ego vero qui & ante annos sex, quo te primum die sum allocutus, eo ipso die benignitatis tuæ præstantiam non vulgari munere sum expertus: & nunc ab eadem benignitate multo etiam maiora, te iubente, cogor expectare; prorsus anciptij cura distrahor, qui neque gratiam tibi vmquam referre, neque nuda voluntate contentus esse possum. Succurrunt enim multa, quæ libenter cogitem: primùm humanitas tua, qua me semper complexus es; deinde liberalitas, qua subleuasti: postremó consolatio illa, Christianæ pietatis, & sapiẽ-

tiæ pleniſſima, qua me quidem proximo Quinctili menſe, cum ad te honoris cauſſa Cenetam acceſſiſſem, afflictum erexiſti, atque hæc quibus meis erga te officijs? nullis omnino, ſalutatione excepta, quæ ipſa mihi tum vtilis ex prudentia, atque eruditione tua, tum etiam ex dignitate perhonorifica fuit. Quæ cum omnia colligo: eximiam illam planeque diuinam beneficentiam, inſitam tibi, vel potius ingeneratam à natura, auctam doctrina, vſu confirmatam, atque perfectam, ſatis admirari non poſſum. Et ſimul ad quoſdam, opibus affluentes, multis imperantes nationibus, cogitationem conuertens, doleo vicem bonarum artium, quæ deſerantur abiis, quorum patrocinio ſi vterentur, fructum retribuerent eum, qui eſt omnibus imperijs anteponendus: quid enim eſt immortalitate præſtantius? quis autem eam, niſi beneficio litterarum, conſequitur? laterent in tenebris, obruti vetuſtate, Cæſares, Alexandri, planè omnis antiquitas, niſi rerum præclariſſimè geſtarum, quas cum audimus, imitandi cupiditate accendimur, teſtem haberemus hiſtoriam. Quo magis tibi gratulor, antiſtes, & idem princeps egregie, qui hanc veræ laudis pænè vacuam hodie poſſeſſionem tam libenter occupes: veteremque maiorum tuorum de omnibus bene merendi conſuetudinem, nulla prorſus tuarum fortunarum ratione habita, conſtantiſſime retineas: Quod vero iſtam virtutē multis præterea virtutibus, vſu rerum maximarū, prudentia doctrina, eloquentia, maxime verò humanitate cumulas, atque exornas: idcirco & antea Romæ, atque in tuis legationibus, Eccleſiæ cauſſa ſuſceptis, magnificentiſſime geſtis, & nunc in vrbe tua, quam diuino ſimul, & humano iure temperas, concurſus ad te quotidie fiunt optimorum virorum,

& eorum maxime, qui aut ipsi ingenio litterisque præstant aut saltem de ingeniorum, litterarumque præstantia iudicare possunt. in quo sæpe fortunam accuso, quæ mihi facultaem veniendi ad te, quod eram hac æstate pollicitus, & cupio vehementer, adhuc quidem eripiat, quod cùm licebit, accurram, quid enim ista amænitate iucundius, isto cælo salubrius? quid porro ad beate viuendum deesse potest ei qui tecum viuat? cuius in ædibus primum oritur ex tua disciplina virtus, deinde excipit virtutem liberalitas. Hoc igitur, cùm per negotia licebit: & vtinã mature liceat interim memoria tui fruar; tèque, licet hoc terrarum spatio disiunctum, colã vt præsentem, nec vllum erga te, quod ab homine tui studiosissimo possit expectari, aut officij genus, aut studij prætermittam. Vale. Venetijs.

ANTONIO VERANTIO, EPISCOPO AGRIENSI 2

CVM*, tui studiosissimus, præclaræ non solum indolis sed iam etiam virtutis adolescens, proxime reuersus è Pannonia, tuo me nomine salutasset; atque hoc officium iis verbis, quæ facile tuum de me iudicium declarabant, subsecutus esset: cepi sane voluptatem incredibilem, nec medioces habui gratias Deo Opt. Max. cui soleo, si quid optatabile contigit, acceptum referre, & à quo, si quid contra, sperare meliora, nec verò rua mihi quidquã amicitia vel ad meam laudem illustrius, vel omnino amplius possum existimare; cuius audio fortunam ã multis ita laudari, atque extolli, vt nemo tamen sit, qui in fortunæ virtutem anteponat, atque ego te cùm ante aliquot annos, commotus fama laudum tuarum, diligere, & obseruare cæ-

pissem; animumque in eum probare tibi litteris vehementer vellem: pudor venit, non omnino fortasse improbandus, mèque ab hoc deterrere consilio, & quasi reprehendere natura mea maximè semper est visa. quid? tu ne talem virum, grauissimarum rerum onera sustinentem, deditum studiis præstantissimarũ artium, inani scriptorum genere appelles reuocabat ratio, & habendam mihi tum dignitatis tuæ, tum modestiæ meæ rationem intelligebam. Sed profecto à rectis mentibus non ambitione, sed officio incensis, diuina numquam benignitas abest, qualim enim ego certè vix vmquam sperare ausus essem, ea mihi nunc à te ipso oblata facultas est: cui de mittendo ad me emblemate, elegantissime, &, in quo summam laudem statuo, admodum piè conscripto, venerit in mentem, quo sum duplicitar affectus officio: lætitia primùm ex ipsa re: debit enim iucunda vehementer esse amoris, ac iudicii à tali præsertim viro profecto, significatio, deinde molestia quadam, quod qui humanitate vinci non facilè patiar, nunc quidem à te captus, atque oppressus, tantum in hac virtute, qua nulla magis hominem decet, tibi, concedam necesse est, quantum in aliis, quibus te Deus ornauit, & industria tua, minime paucis: quarum fama non Germani, aut Pannoniæ, continentium regionum, ambitu terminatur, sed Europam, quanta est, ac, pænè terrarum orbẽ in iam pertulitat vniuersum, veruntamen, si tibi, magnis locorum spatiis disiuncto, singularem animi mei ad te amandum, colendumque propensionem ostendere minùs possim: apud eos saltem, qui meam vocem audiunt, meisque sæpe sermonibus interfunt, tuam doctrinam, eloquentiam, in primis verò puram ab omni labe religionem assiduè prædicando

cando, profecto ipse mihi aliqua ex parte satisfaciam. Nec tamen ita sterilem cognoumus industriam nostram, licet mihi laudem ingenij nullam adsciscо, quin ea fructum aliquem, qui ad tuum decus pertineat, nec sine tua gloria pernulgetur, aliquando ferre possit. quod aggrediar ita libenter, & ita studiose curabo, vt euentus futuri lætitiam auidè præripiam: déque eo, quod nondum præstiti, iam nunc, perinde ac si præstiterim, ipse mihi gratuler. & huius quidem veluti prædem promissi, meæ testem voluntatis, hanc ad te mittendam epistolam putaui. Vale. Venetijs.

ANDREÆ ZEBRIDOVIO
Episcopo Cracouiensi. 5

VIDE, quæ sit vis etiam apud alienos ignotósque homines veræ solidæque virtutis. Aliquot abhinc annis, cùm egregios viros, qui te non de facie solùm, verùm etiam è sermone assiduáque consuetudine optimè nouerant, omnia de te summa prædicantes audirem, studio tui sum incensus incredibili. nec meam deinde obseruantiam dies extinxit, aut imminuit, sed auxit potius, ad summumque perduxit, atque equidem nihil habui antiquius, nihil expectaui magis, aut obseruaui diligentiùs, quam vt hæc ad te amandum, colendúmque animi mei propensio aliquo tibi non vulgari pateret officio; sed meam expectationem fefellit euentus, nec vlla vnquam satis opportuna voluntati respondit occasio. nunc igitur, quod mihi à fortuna denegatur, statui à me ipso impetrare. Præclarum aliquid præstare, dignum videlicet ea, quam tu sustines, persona, di-

gnum tua virtute, cupiebam: non licuit: quod licet, demus operam, vt id consequamur, licet enim certè studij erga te mei significationem quandam, non expressam omnino sed quasi leuiter adumbratam, ostendere & è quercu etiam quandoque exculpatum placet, non modo ex ebore, simulacrum. Effigiem domi habeo, parentis mei quem tibi vnum, cum familiari olim tuo, & in ore, & in amore esse, homo insigni eruditione, moribusque sanctissimis, Andreas Patricius non semel affirmauit, eius exemplar venienti ad te Patricio dedi, Putabis igitur, cùm patrem meum quasi præsentem adspicies, agere tecum, vt aditus mihi, & quasi fores aperiantur ad amicitiam tuam, quod si assequor; additū ad fortunas mea ornamenti, commodique plurimum existimabo, quid enim speciosius, quid ad laudem præstantius, omninoue vtilius, quàm principum, hoc est, rui similium virorum, frui benevolentia? atque hoc video totum esse positum in humanitate tua, quam Patricius ferebat in cælum, nam ego quidem, nullis planè meritis, animo tamen adhuc te colui: sed, vt spero, merita quòque accedent, conferam enim ingenium ad tuam laudem: & apparebit in tuo nomine, approbante Deo, quo nihil abnuente perficitur, opus aliquod industriæ nostræ, eiusmodi fortasse, (certe hoc enitemur) quod posteritas haud omnino contemnat, Vale. Venetijs.

PETRO MISCOVIO SARMATA-rum Regis Consiliario. 4

AMo valde probitatem, & secundum eam eloquentiam, non quæ verba tantum colligit, & inani vocum sonitu auribus obstrepit, sed quæ maxime rem

rem continet seque ipsa non minus gravitate sententiarum, quam elegantia verborum & splendore commendat, hæc te audio simul expetere, Petre Miscoui: expetere, autem? immo iam esse consecutum. quibus ornamentis magnum te esse, atque illustrem apud homines verè sapientes existima: sic inquam, vt illa quæ plerique, quasi sola bona, specie decepti, admirantur, quæ ipsa quoque in te non mediocria sunt, opes, auctoritas, amicitia clarorum virorum, addo etiam gratiam apud regem omnium potentissimum, nullo pacto conferenda videatur. nam hæc licet aliquando virtutem consequantur, vt in te ipso contigit, minimè tamen ipsa virtutem indicant: neque semper ad laudabilia studia, tanquam ad causas euenta, referuntur. Qui verò pietatem, qui iusticiam colit, qui & ingenio valet, &, qua valet, ad res egregias, maximeque ad instructam præclaris doctrinis eloquentiam totus incumbit: hunc vere se ipsum, quod esse difficillimum constat, ac sua bona nosse, hunc optime exercere instrumenta illa, quibus homines brutis animantibus præstant, mentem, atque rationem: hunc denique gloria dignum immortali, dignum qui feratur in oculis, ornetur laudibus, nemo omnium hominum, nisi qui hominis nomine indignus habere velit, vnquam negabit, quod ego cùm á prima pueritia, domestico patris instituto, natura etiam quasi suadente sensissem confirmatum postea magnopere sum clarorum virorum exemplo. nec venit vnquam in mentem, quod ita senserim, pœnitere lætatus etiam valde, ac lætor equidem nunc eo magis, quod accedit ad meam sententiam, iudicium tuum, in ijsdem enim studijs elaboras: eædem tibi artes curæ sunt: quæq; hinc emanant laudes, eas esse veras laudes, & earum ita semper florere gloriam existimas.

vt

vt nunquam exarescat idem putamus, & idem vterque sequimur, optime Miscoui: sed tua clarior industria hominis in excelso dignitatis gradu constituti, fortasse etiam felicior, quia secunda ingenium fortuna excitat, aduersa debilitat. quàm multa enim nobis obstant: quàm sæpe recta mens, optimorum consiliorum in cursu impedita. cogitur consistere; tibi vero, qui propensam vehementer ad laudabilia quæque voluntatem in te laudant, iidem fluere ex voluntate omnia confirmant, nullum aduersari, nullum pugnare tecum ex iis rebus, quæ sunt inimicæ virtuti. versari te assiduum in aula Regis, ipsi Regi carum, summis & infimis iucundum, apud exteras etiam gentes illustrem, ac perhoneratum. quæ tibi esse perpetua, maximeque propria, non solùm cupio, communi studiorum causa, quorum decus tua dignitas auget; sed facilè etiam adducor, vt sperem. Quidquid enim es, à te ipso es, & ideo tantus, quia talis: nec tu desines vnquam esse, qui fuisti: nec ea, quæ virtus constituit, casus euertet, tantum igitur, quod & facis, & facere minimo negotio potes, retine consuetudinem tuam. intuere te ipsum: vitam anteactam imitare. sic augebis quotidie tua merita; & idem quotidie meritorum præmia tuorum sumes à te ipso, eritque virtuti merces virtutis vsus, quo nihil esse iucundius, profecto iam sensisti: nihil autè ad memoriæ perpetuitatem vtilius, docemur exemplis eorum, de quibus post tot secula litteræ loquuntur. Et quoniam sequitur, atque comitatur, vt vmbra corpus, gloria virtutem, nec te latet, præceptis imbutum antiquæ doctrinæ, improbari eas ab excellentibus in philosophia viris, qui, præter sua commoda, nihil spectent, seque sibi tantum ipsis esse natos arbitrentur: non dubito quin statuas, quantum cumque vel habes iam facultatis ad bene meren-

merendum, vel in omni tua vita præclara tibi animi tui bona pepererint, non ad rei domesticæ fructum; aut ad angustæ benignitatis vsum illud esse reuocandum, sed esse totum ad alienas vtilitates, maximeque ad artium liberalium ornamenta quàm lætissimè porrigendum, atque explicandum. quod si fiat, simul illud fieri necesse est, vt quam plurimis in tua laude consentientibus, par beneficentiæ celebritas nominis, & fama consequatur. Atque ego te ita sentire, proque tuis opibus iam præstare, non inani aliqua coniectura ductus existimo, aut ideo ad te scribo, vt in tuam gratiam blandæ orationis artificio mihi licear irrepere: sed credidi hominum honestissimorum ac prudentissimorum, istinc ad nos vel studiorum caussa, vel cognoscendæ Italiæ studio commeantium, testimoniis; maxime verò familiari meo nihil temerè affirmanti, Andreæ Patricio: cuius eo pluris iudicium facio, quód egregiam eius doctrinam, id quod perquam rarè contigit, adæquat integritas. Addebam etiam, quo sum vnicè delectatus, quodque mihi, vt verè dicam, huius epistolæ caussam attulit, studiosum te esse scriptorum meorum, & mihi aliquid atque adeo tantum tribuere in latina lingua, quantum optaui equidem semper, assecutum me esse nunquam duxi, nunc, si tu, ista vir auctoritate, isto pondere, ita de me sentis; in dubium pæne reuoco iudicium meum; nec me prorsus audeo contemnere, ne à te dissentiam; enitarque multo etiam, quam antea, diligentius, vt accedam proxime, si vllâ ratione potero, quo tu me peruenisse iam existimas; vt aliquãdo veritati iure des, quod fortasse nunc humanitati magna ex parte largiris fateor enim, iudicii de me tui famã mihi esse periucundã; quid oneris tamẽ eadem imponat quoq; redigat necessitatis, intelligo

latere

latere nullo modo poteſt, quem clari viri teſtimonium indicat: nec me iam ad vigilantiam, omnium ſcientiarum parentem, laudis cupiditas magis, quàm infamiæ metus impellit, quæ licet perdifficilis, admodumque dura videatur eſſe conditio, tamen, quia gratus, hoc eſt vir bonus, eſſe volo, amplector libenter officium tuum, ab excelſo quodam animo liberaliſque profectum, quod ſi compenſare meis officijs non potero, memoria tuebor, & proſequar etiam laudibus, quàm diu vita fruar: vt ex optima ſaltem voluntate, qua boni & ſapientes viri metiri beneficia conſueuerunt, aliquam tibi relatam eſſe gratiam exiſtimes. Vale.

IO. VINCENTIO. PINELLO.

Patauium. 5

MAGNA fuit, atque etiam nunc inter homines eſt de genere vitæ controuerſia: cum alios ita doctrinarum cognitio delecte, vt ab agendis rebus abhorreant; alij, non ſibi tantum, verùm & amicis, & patriæ, planeque omnibus hominibus, homines eſſe natos exiſtiment, ex quo ſequitur, vt ſcientiarum ſtudijs vſum rerum antiponant. hoc diſcrimen in quo valde pro ſenſu partium dubia veritas fluctuat. tu quidem, quod ad te attinet, optime Pinelle, optimiſque & eruditis viris meritò cariſſime, egregia quadam, vulgo non ſatis cognita ratione ſuſtuliſti, ſimul enim vtrumque ſtudium complexus es, tum earum diſciplinarum, quibus exculta mens vberrimos in omni fortuna ferre fructus ſolet, tum iuris ciuilis, quod alienos ad vſus maxime porrigitur, ardua res, & operoſa: quod exemplorum declarat inopia: ſed ingenio tuo nihil difficile: &, vt ſe præbent initia, futurum nemo dubitat, vt inſtituta per-

perficias, consiliisque tuis breui respondeat euentus, in philosophia quidem processus tuos admiramur: qui tanti sunt, vt euolare potius quam excurrere videaris, quamquam cur miremur? ingenio si quis valet, in studio fere languet, qui vtrumq; coniunxit, optimam quandoque disciplinam, & rectam studiorum viam ignorat. fas in vno tamen hæc inesse omnia; quid assequetur aduersante fortuna, subsidijs destitutus ijs, quæ cum adsunt, fertur animus procliui cursu ad egregias res, sin absint, hæret in salebra, nec facilè progreditur? Quæ igitur singula tanti sunt, quemuis vt possint à sperata litterarum gloria penitus auertere; hæc tibi cùm suppetãt vniuersa, iure istam, quam alij vix tuentur, Spartã quotidie magis illustras; neque tam nobis hoc, æqualibus tuis quod sis virtute maior, quam illud, si te ipso minor esse admirandum videretur. In philosophia quidem cum operam studiosè des M. Antonio Genuæ, cui veterum doctrinarum arcana patent, quo nemo peritior Aristotelis interpres, nemo vir melior vsquam viuit; nihil mediocre neque nos á te exspectamus, neque tu præstas, quo nomine tibi gratulor plurimum, & eo magis, quod illius viri voce publice cum multis, consuetudine, ac sermonibus, quæ humanitas eius atque amor in te est, priuatim & propriè frueris, hauries enim ex eodem fonte non ea solùm, quæ vel olim in Lyceo, vel etiã in Academia disputabantur, sed id, quod longe præstantius est, Christianam pietatem, à qua manat vna, & in qua item vna philosophia perficitur. Habes igitur, diuinitus oblãtam, virtutis adipiscendæ facultatem: quam te video arctè esse complexum, nec vereor vt dimittas, qui te ita flagrare cupiditate cognouerim, vt reuocandum potius à nimia contentione, valetudini vix ferenda, quam acuendum, & in-

& incitandum intelligam. Nam, quod ad ius ciuile pertinet, vt tu philosophiam, id te totum, scientia comprehenderis, quid in parte cognoscenda super-esse negotij putas minimum, si sapientes viros, & in ijs eum, quem ego omnibus iudicij laude antepono doctorem tuum Genuam audies. quamquam sermo tuus, habitus interdum præsente me, cum eruditis hominibus, tractasse te iam satis diligenter ea quæ excellunt in vniuerso iuri ciuili, id est, veterum iurisconsultorum præcepta, declarabat: vt vel eadem facile possis, quandocunque libuerit, recognoscere: vel, qua restant, quasi racemos aliquos, confecta vindemia colligere, non enim te arbitror studiorum tuorum elegantiam ineptissimis planeque barbaris quorundam scriptis inquinare velle: quæ cùm immensa sint, pleraque tamen inania laboris & molestiæ plurimum; vtilitatis, & oblectamenti minimum habent. Interim, vt facis, Græca cum Latinis, & eloquentiam cum philosophia coniunge: vt politioris doctrinæ copijs instructus, remissiora etiam studia colentibus aliquando satisfacias, non enim viuimus omnes in Atticis gymnasijs: nec vbique de rerum causis questio est: &, quibus contemplatio naturæ vehementer placet, ijsdem tamen animi causa tanquam in hortos. Musarum diuertere non iniucundum est, qua de re quia nonnumquam inter nos locuti sumus, &, vt spero, breui colloquemur, nihil addam; te præsertim, quod facile intellexerim, meam sententiam comprobante, cuius consilij, non dubito, quin maiorem quotidie voluptatem capis. Ego hic, genere vitæ molestissimo, quas Patauii vtiliter fauis, iucunde quidem certè, in libris, & in tuis tuorumque familiarium sermonibus traducebam, horas perdo. itaque, cùm primum domesticas tricas, quibus teneor inuitus,

expe-

expediero, aduolabo istuc, sitiens vestræ consuetudinis; qua si frui perpetuo liceat, beatissimè viuerem. Interim amorem mihi tuum, cuius equidem memoria valde recreor, cupio conserues &, si tua patitur humanitas, etiam rogo. Vale, & familiarem tuum, cuius doctrinam, & ingenium in Lucretiana interpretatione mirum in modum probo, saluta meis verbis. Venetiis.

VIDO PANCIROLO.

Patauium. 6

CVM alia me in ista vrbe, quam tu præter ceteros tua virtute nobilitas, & ornatissimorũ & iuuenum cœtu frequentas, oblectare vehementer soleant: tum nihil est, aut esse omnino potest, quotidiana consuetudine, iucundius: non solum, quia probitate, modestia, morum elegantia, omnibus denique animi bonis excellit: sed etiam, quia paucorum annorum studio, præstantia videlicet ingenii, quam ego semper amaui, consecutus est, vt exquisitam, ac variam sermo illius eruditionem præse ferat: scripta verò ad Ciceronianam eloquentiam sic accedant; vt cum iis, qui suum nomen hac laude celebrarunt, qui pauci admodum sunt, conferri iure possit, æqualibus verò cunctis facilè anticellat. Hunc ego tibi iuuenem quem olim mihi adolescentulum vir omni laude summus, Reginaldus Polus Cardinalis, magnarum virtutum indole commotus, accuratissimè commendauit, etsi necesse non arbitror, commendo tamen eo studio, quod quia verbis exprimere mihi non licet, tu quoque, tantùm esse velim existimes, vt exprimi nullo modo possit, is cum antea philosophiam, præsertim quæ de

Græcia

Græcis fontibus hauritur & humanioris doctrinæ studia diligenter, eximiaque cum laude coluit; tum hoc tempore in cognoscendo iure ciuili totus est, qua illum cupiditate quotidie magis incendit admiratio tuæ virtutis, quam in omni ferè sermone ad cælum fert, exteriſque etiam gentibus, licet illustrem satis, eleganuſſimis declarat epiſtolis, pertinet igitur ad humanitatem tuam, qui te tam valde amet, tantique faciat, eum redamare, eique reconditos illos, omnium puriſſimos, tuæ ſcientiæ fontes aperire: pertinet etiam ad fidem, qui ſe totum in tuam diſciplinam tradiderit, opibus eum impartire ingenij tui, quas ille, Regum opibus, & ſua ſponte, & meo iudicio, cui tribuere aliquid videtur, præſtantiores exiſtimat. Hæc ad impetrandum magna ſunt, præſertim apud optimum virum, quam in tuis laudibus præcipuam agnoſcimus, verum accedit amor in te meus, qui fraternam necellitudinem æquat, is te rogat, is prenſat, quam ſtudioſè, quàm blandè poteſt, pro* meo: vt eum, quem ego merito eius in oculis fero, tu, quem amicitiæ noſtræ denegare nihil decet, quando nec ſtudio tuo, quidquam abnueret voluntas mea, omni benignitate complectaris, planeque in clientelam tuam, atque adeo in ſinum æquè ac filium meum, æquè ac me ipſum recipias. Quod ſi feceris, obſtringe, tibi non vulgari beneficio iuuenem, ſummo loco natum, dignum maioribus ſuis, qui Pannoniam, vt ego auguror, ſua virtute aliquando Italiam faciet; à me verò gratiam inibis eam, quæ, ſi quid accedere ad meam in te beneuolentiam poteſt, quod equidem vix arbitror, id ipſum vna poſſit adiungere. Vale. Venetijs.

*, *Patauium*. 7

O Dulcem reditum, ô amandas litteras, quæ mihi id significant, quod, non modò spe, sed nec suspicione attigeram. sed, quando re ipsum, mi *, videre, quando licebit amplecti? oculos mehercule tuos, dum hæc ad te scribo, intueor, indices probi animi tui, indices humanitatis. hoc mihi spectrum fingit amor: (quid enim aliud?) & hæc me cogitatio inunditate perfundit incredibili. quid putas cùm erimus vnà, dabiturque, vt ille inquit, Veras audire, ac reddere voces? nemo vnquam perinde lætatus est inuento thesauro, vt ego, te reuerso. videor enim amissum recuperasse: & planè amiseram. nam, etsi reliqueras hic memoriam tuæ suauitatis, tuique ingenij: tamen, quod attinet ad adspectum, ad consuetudinem, ac sermonem, quibus nobis, tui amantissimis, nihil potest esse optatius, totus abieras. ac verebar, ne, vel precibus tuorum victus, vel honorum cupiditate illectus, totum te dederes aulicis muneribus, multa nobis, fortasse etiam litteris, salute dicta. nunc, te tuus bonus, tuus, inquam, mihi crede, bonus genius reduxit, sicuti malus abduxerat. quid enim sumus, nisi adsit humanitas, & litteræ? quæ petuntur in otio tranquilla mente. otij autem vbi plus, quàm in isto secessu Patauino? nemo quemquam interpellat nolentem: inuitant ad virtutem, si minùs voce, exemplo certè quamplurimi: patet aditus, ad doctores in omni liberalium disciplinarum genere præstantes: quid præterea? cæli mira clementia: rerum, quibus alimur, suauitas incredibilis, & copia. Hæc tibi, optime *, iure prima sunt. iure tot montes superasti, tot flumina transieciſti, vt hæc dimissa statim repeteres.

viues tibi, ſolutus ad omni cura: viues Deo, contempris diuitijs, abiecta illa gloria, quam falſa prorſus, & inanis honorum ſpecies oſtentat. quòd niſi Deo viueres, nec tibi certè poſſes viuere. in illo enim vno vera, ac ſolida virtus: hæc, quam quærimus in libris, aut diſcimus ab hominibus, vmbra eſt. quocirca hortor equidem te, vt libros euolaus accurate, vt magiſtris aſſiduè operam des: ſed minimum in vtriſque pone, niſi tua ſtudia diuino cum amore coniungas. Atque hæc me ſcribentem magnopere delectant, tibi non puto fore legenti neceſſaria; ſcribo tamen, & quia te mirifice diligo, cupióque eſſe, qualem pater filium; & quia commemoratione ipſâ rei omnium optimæ, ac præclariſſimæ, afficior ſic, vt nullam ex vllo ſermone, aut ex vlla cogitatione maiorem hauriam voluptatem: nec tu debes officium meum aſpernari, aut in deteriorem partem trahere, ſi tibi, etiam rectiſſimè viuenti, (ſic enim exiſtimo, planéque mihi perſuaſi) conſtantiam laudo. lubrica eſt enim adoleſcentiæ via: labuntur multi, cùm aliquantum iam proceſſerint: curſum verò conficit is, qui nititur optimis cogitationibus, ducemque ſequitur eum, qui nunquam errat, communem humani generis parentem; qui tibi omnia bona pollicetur, & dabit, quæ nec ab imperatore tuo ſperare, nec ab vllo Rege licet. De Epiſcopo Agrienſi, agnoſco tuam in me beneuolentiam, cui de emblemate gratias agam. Mariani Leaentij, iuuenis ornatiſſimi, & Andreæ Patricij, contubernalis tui, talem in me animum amplector: quos cupio à te meo nomine ſalutari, itemque Polonos ceteros familiares tuos, quorum nobilitas, &, vt audio, virtus, Patauinum gymnaſium illuſtrat. Vale, &, quando nos adſpectu tuo priuas, minue ſaltem litteris, non hac recentiore,

Italica, sed illa vetere, omnium elegantissima, Romana lingua scriptis, desiderium nostrum.

EIDEM, *Patauium.* 8

OPTIME, quid tibi obsecro, in mentem venit nostráne imagine tuum putas cubiculum ornari posse? pudet me studij tui: & erubui, mihi crede, cùm hanc partem legerem litterarum tuarum, nec tamen, quia tuam facilè cupiditatem intelligo, deesse tibi possum: & cœpta res est, & agitur, vt video, satis diligenter: quæ cum erit absoluta, mittetur illicò ad te. ac vellem, posset artifex eodem penicillo animum in te meum vnà cum vultu exprimere: non dubitarem, quin hanc tu multo magis imaginem deligere. non necesse est, inquies. libenter credo: & quòd ita sit, acceptum refero tuæ humanitati; quæ mihi à se impetrat id, quod meritis, aut officijs consequi nondum potui. His diebus facultatem ad te scribendi permolestæ occupationes eripuerunt. ignosce: & puta nunquam abduci meam ab officio voluntatem, licet opera non exstet. Heri adijt ad me contubernalis tuus Staniſſaus Fogeluetrius Cracouiensis, probum adolescentem, præditum litteris, & tua planè consuetudine dignum è sermone iudicaui, amanter illum excepi, vt natura mea fert; iucunde non potui, quia valetudo non concedit. cuius benevolentiam si, te, vt arbitror, conciliante, sum adeptus: peto à te, mihi vt eam conserues: & omnino, quicunque à te diliguntur, eosdem mihi cupio mutua benevolentia coniungi. Epistolã ad Episcopum Agriensem, quando interdiu otij nihil suppetit, dictaui ante lucem amanuensi meo eam ad te mitto. Signum tuum,

cùm legeris, imprime De gentilibus tuis, negotium dedi, & curabitur diligenter. Vale.

EIDEM, Patauion. 9

VIDEO te iniungendis amicitijs præclarum artificem esse: verùm cane, ne quid alteruter de parte promittas, quod præstari vix possit: aut, si promittes, ipse ne spondeas, ne quando præter opinionem cogaris dependere. de me ipso loquor: quem tu si putas esse, qui non sum; quod ad me attinet; facilè patior: fruatur hoc amicitia nostra priuilegio, vt inter nos omnia liceant: sed vereor, ne tua apud alios prædicatio plus nobis imponat oneris, quàm sustinere possimus. Patricio tuo scripsi, multis districtus negotijs: & eram animo conturbatior, accepto nuncio de fratris mei summa corporis, aliqua etiam mentis inualetudine. Gentiles tui latent adhuc: eruentur aliquando, si qui sunt: curat enim homo tum mei cupidus; tum ad hoc diligentiæ genus vehementer aptus. De libris putabam e silentio meo te conijcere, nihil esse: sed, quando appellas crebrò, scies nondum neq; ad Iunctas, neq; ad alium quemquam peruenisse. tu vide, cui rem commiseris; & vrge litteris, vt sine mora mittantur. Imago coloratur. designatione iam perfecta veritatem, nisi fallor, egregiè simulatam dices. Vale.

EIDEM, Patauium. 10

AMO te, quòd verecundè petis; sed istam posthac verecundiam abijce, obsecro, si quid aliquando mecumages. nescis, apud me quo loco sis, aut quo ego apud te esse cupiam: quòd si nescis, aut etiam si dubitas: iniuriam facis vtrique nostrum.

Scripsi

Scripsi ad Sophianum, libenter equidem tua caussa: sed inuitus, ea gratia, quòd laborantem, vt audio, graui morbo, vexari tuo studio nollem. Equidem discrucior, cùm ita affectum audio probum iuuenem, mihi amicissimum, Græcarum litterarum scientia sine dubio singularem: sed, quia te fero in oculis, idque sanè tuo merito, litteras ad eum conscripsi; quas in hunc fasciculum coniectas cùm legeris, si reddendas non putabis, conscindes. Ego nunc, si quid de me scire vis, iaceo, corpore satis afflictus ob capitis grauedinem. sed erectus animo propter spem, atque adeo exspectationem vitæ lætioris. iam enim didici contemnere quæ amabam antea: qua te quoque in sententia cupio esse. Saluta meo nomine contubernales, & amicos tuos. Vale.

EIDEM, Patauium. 11

Respondeo sextis litteris tuis, impeditus febricula, robustioribus haud valde metuenda; sed in hac nostra corporis imbecillitate, etiam ea, quæ mediocria sunt, non mediocriter timenda. Locum videbis in epistola ad Patricium, vbi ea, quæ mones, interposui de quo quid sentias, auco scire. Gratias tibi agerem de ista voluntate; sed hoc planè respuit amicitia nostra; nec tuum erga me officium assequi vnquam possit oratio mea. meriti enim loco semper apud me fuit bene merendi cupiditas, etiamsi res, quod sæpe solet accidere, nulla consequatur. Vale.

EIDEM, Patauium. 12

Quid tibi ego præstare possum de ijs, qui for-

cassè nulli sunt? quæsitum est perdiligenter: nec tamen vllum omnino diligentia fructum tulit. fingere tibi eos ex argilla possumus, animare non possumus, quod si liceret, fieret, atque adeo factum iam esset. nec enim mediocre tuum esse studium intelligo: & ego, vt fatear quod res est, diligo istam in te bonitatem, qui de gentilibus tuis, nulla tuorum commodorum spe proposita, humanitatem modo quandam secutus, tantopere labores. certè, qui honoribus, aut diuitiis, aut opinione virtutis emineant, nulli reperiuntur. quòd si quos obscura condicio, aut fortunæ tegit humilitas, de iis quærendum ne sit, videris: me si consulis, omittes. De pictura, lentum negotium: sed illud te non præterit, pictoribus, atque poetis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. ita facilè mentiuntur verbis, vt coloribus fallere consueuerunt. hic, qui rem suscepit, diu me promissis duxit, varias nectendo caussas, vt ei culpam largiter ignauiæ. nunc imbres accusat, quòd recentes colores minimè patiantur exsiccari. hoc puto verum, illa non puto: concedo tamen, vt eo vtar facili & impetrem, quæ duo simul à nobis exoptantur, festinationem cum diligentia. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 15

ITA mihi optata contingant, vt commentario lo tuo nihil vmquam legi eruditius, nihil sanctius, aut ad retinendum catholicæ religionis cultum accommodatius. itaque, cùm in ortu solis legere cœpissem, absolui facilè ante horam prandii, opera numquam intermissa. valde enim delectabar ordine, valde etiam genere orationis tuæ. res verò ipsa ita me affecit, vt quasi semina quædam veræ pietatis, quæ fructum profectò non mediocrem aliquando

do ferent, in animo meo reliquisse videatur quod quanti esse apud me putas? quanti mehercule immensam auri vim non æstimo. quid enim cum æterna salute conferatur? quòd si meis apud te precibus locum aliquem reliquit humanitas tua: rogo te etiam atque etiam, vt hoc genere scriptorum, quo quidem ad studium summi boni, perpetuæque felicitatis mirificè excitor, impertiri me quàm sæpissime velis. quod si feceris; addictum me tibi multis nominibus obstringes eo beneficio, cuius delere memoriam obliuio nulla possit. Quòd me reuocas ad consuetudinem tuam: stimulum scilicet currenti: sed, mihi crede, non planè totus abs te discessi; neque te mihi prorsus eripiunt, aut eripient vnquam locorum interualla. absens tecum sum, tacitus loquor, & loquentem audio. sic lenitur imagine periucunda desiderium nostrum. quòd cùm ita sit; opera tamen studiosè dabitur, maturè vt excurram quò ire necesse est, si meam fidem tueri volo, & quò tamen, quia disiungor à te, minimè libenter eo. Vale. Venetijs.

EIDEM. Patauium. 14

CVM de tua valetudine sollicitus essem, curam auxit filioli morbus, quo etiam nunc laborat, nec satis explorata salute. me quoque leuiter febricula tentauit, qua triduo sum, sine medicorum interuentu, temperata duntaxat victus ratione, liberatus. Nunc expediendis negotijs operam do, vt, si amicus noster, bonarum artium patronus, summum illum dignitatis apicem attigerit, quamprimum possimus accurrere. sæpe enim & literis, & præsenti sermone cupere se consultum rationibus meis, amantissimè declarauit. mihi autem omnia sunt in eo,

vt otio litterato frui liceat, nulla rerum domesticarum cura interpellante. quod si assequimur; valeat ambitio; vivamus nobis, & Musis, & eo quidem animo, vt omnia referamus ad Deum, in quo vno felicitas vera pendet: quod idem tibi videri, ex tuis litteris facilè conijcio. Miro tenor desiderio veniendi ad te: sed hanc facultatem multa eripiunt: præsertim æger filius, quem tibi, & pro nostra amicitia, & pro noua coniunctione, esse carissimum, planè mihi persuadeo. te quidem à morbo confirmatum si audiero, æquiore animo domestica patiar incōmoda. itaque dabis hoc amori nostro, quam tua virtus peperit, alit humanitas, atque auget, vt nostra etiam caussa tuam valetudinem studiosissimè, cures. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 15

SILENTII mei caussam ex ijs litteris quas heri ad te scripsi, quas hodie manè puto tibi esse redditas, iam cognouisti. quod nisi ita declarassem: tamen mihi dubium non est, quin tu pro singulari tua sapientia & humanitate de mea meorumque valetudine conijceres. quid enim aliud, me à scribendo abduceret? quo equidem nihil facio libentius: idque tibi. si præsenti fortasse non potui, absenti certè probabo. Tuum aduentum auidè exspecto: cuius mihi significatio tū eo nomine gratissima quia te videbo, tum eo gratior fuit, quòd optimè te valere, etsi tu de eo nihil significes, facilè tamen possim intelligere. quod si ita est, opto perpetuum esse: &, quod opto, id etiam vt sperem, facit continentia tua, quam ego in victu (planè loquor, vt sentio) valdè sum admiratus, & conor etiam imitari. Rerum Romanarum, Pontifice mortuo, conuersus

orbis

orbis est. itaque, qui discesserant, omnes ad vrbem redeunt: pecuniæ pro Mecenate illo, vt affertur ad nos, libentius, quàm pro ceteris, deponuntur: & ad eum denique, fore suspicor, vt omnium Cardinalium voluntates inclinent. vir optimus est, egregiè litteris excultus, ingenio miti, &, quod caput est, cùm factiones duæ dicantur esse, æquus in vtramque. primùm contendetur acerrimè quid mirum? neque enim vt ait poeta ille summus inter nostros, leuia, aut ludicra petuntur præmia. & scis, omnes homines, quod maximè cupiunt, itidem facilè adduci vt maxime sperent. ergo multis quasi aleam iacere, & fortunam placebi experiri. quid euenturum sit, & quid magis expedat, vni Deo patet certè, nisi firmioribus, quàm antea, præsidijs muniamur; prauarum opinionum incursu vinea Domini dissipabitur quod te quoque & suspicari, quia prudentia excellis, & metuere vehementer, quia pietatem diligis, aliquando in nostris sermonibus cognoui. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 16

CVM de tuo reditu ex tuis, amicorumque litteris cognouissem; perfusus voluptate sum prorsus incredibili, subuerebar enim, ne te patria tua, experta iam in magnis rebus & animi, & ingenij tui præstantiam, abesse diutius minimè pateretur. etiam illud occurrebat, ne te iam satietas Italiæ cepisset. multa cogitabam, vt amor est, quæ cupiebam esse falsa, & fuisse valde nunc lætor. capio tamen hanc in iucunditate molestiam, quòd ad te quam primum accurrere non licet. nam, vt omittam de vxore, cui deesse non possum ægrotanti, confirmare studeo res domesticas, quæ vacillant satis absente me. cùm enim,

enim referre me totum ad litteras, quarum est mihi consuetudo iucundissima, planè deliberatum sit: priùs hæc, quæ ad alendam familiam pertinent, ita constituam necesse est, ne quando me, quod antea sæpe contigit, de medio studiorum cursu reuocare possint. iam ego in meis consilijs optime, * ambitionem cœpi excludere. video res humanas sursum deorsum ferri, nunquam consistere: celeriter omnia fluere, & exstingui, præter bonam famam, ad quam omnes peruenire cupiunt, sed ignoratione viarum plerique aberrant. non enim in opibus, aut magistratibus, regúmue aulis verum decus habitat. petendum aliunde est, à rectis cogitationibus, honestis laboribus, studio, & exercitatione virtutis. hæc mihi in animo sunt: quæ si colam arbitratu meo, multa consequar. primùm ab ijs negotijs, quæ mihi negotium facessunt, vacabo prorsus: deinde, (ne me putes desidiæ caussa otium cogitare) scribam aliquid quotidie; quo nihil soleo, vbi curarum expers animus est, facere libentius: denique, etiam posteris fructum fortasse aliquem pariet industria nostra. Quid relinques, dicet aliquis, liberis tuis? Non exiguum patrimonium, imitationem mei, & aliquam, vt spero, virtutis hereditatem, eadem scilicet, quæ reliquit mihi pater meus. Non abundabunt. Nec id postulo; nec illi, si sapient, postulabunt. modica poscit, vt honestè, id est feliciter viuatur, hominis natura: reliqua sunt instrumenta nequitiæ. Cupio tibi, mi *, qui ætatem tuam prudentia anteis, probari meum sensum. cupio meum iudicium tua sententia confirmari. quamquam quid exspecto? Index animi sermo est: porrò in sermonibus quotidianis quid tu habes in ore, quid extollis, præter studia doctrinæ? quæ te video; cùm tecum loquor, vel cùm tua scripta lego, tractasse diligenter.

verum

verumtamen hoc ipsum, quod habeo satis exploratum, mecum te sentire, si significabis, pergratum erit. Ego, nisi occupationibus premerer assiduis, quas animo potius, quàm corporis viribus sustineo, explerem te crebritate litterarum. Verùm ne fic quidem, pro tuis in me officijs patiar in hoc genere prorsus abs te requiri studium meum. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauino. 17

VOBISCVM vt agatur, scire cupio, Patauij commorantibus: nos hic languemus, afflicti caloribus perpetuis, quibus equidem grauiores non memini. vxor mea nondum ex puerperio conualuit: infans bellissimè habet, & incipit iam blandientibus arridere. quid quæris? admodum scitus est: quodque amare solemus in pueris, hilaritatis habet multum. De tuo aduentu, suadeo consilium mutes, neque te istinc, furente Caniculâ, æstu non ferendo, commoueas. faceres enim valetudinis incommodo: ac, si valetudo, studia tamen tua non ferrent. verùm hoc prudentiæ tuæ totum sit; in qua tibi neminem antepono. ego, pro mea in te singulari beneuolentia, non modò quid vellem, verùm etiam quid sentirem, testatum esse volui. Aristotelem cum Cicerone mitto, vtrumque satis apte compactos ab artifice perito. video, quid agas. inanem eloquentiam contemnis; & indisertam philosophiam non amas: vtramque vis coniungere, vt misceas, quòd ait poeta Venustus, vtile dulci. quo minùs me, eadem cogitantem, & recessum otij caussa quærentem, reprehendere debebis. Vale. Venetijs.

EIDEM,

EIDEM, Patauium. 17

VALDE probo industriam tuam, quam ad ornandum commentario aureolum Demetrij libellum περὶ τῆς ἑρμηνείας contulisti: sed, antequam institutum absoluas, tore arbitror vt exeat is, quem Petrus Bargæus, qui Pisanum gymnasium politioris doctrinæ professione illustrat, ante aliquot menses, vt audio, confecit. itaque malim ad Diodorum Latinitate donandum operam, studiúmque tuum conuertas: ne, quod aiunt, actum agis. nam Bargæo, quem tu fortasse non nosti, nec ingenio, nec doctrina, nec eloquentia quisquam præstat: quodque paucis admodum contigit, tum oratoria, tum poetica laude pariter excellit. absit igitur omnis æmulatio ab ijs, quos ego vnicè diligo, & à quibus item diligi me sentio. Calores hic nihil remittunt: feruent omnia. quòd nisi terræ, iam perustæ, vberrimis imbribus citò madefiant; caritas multarum rerum. & morborum vis meunte autumno videtur impendere. Ego, vt anni tempus est, non incommodè valeo: negotia curo; otium. & studia cogito. Kalendarium Romanum vetus, cum opinione mea de ratione veterum dierum, & necessaria litterarum interpretatione, sæpè iam à te rogatum, quia nec ipse habebam, nec reperire facillimum fuit, mitto serius, acceptum à familiari meo, viro probo, & erudito, Raphaele Cyllenio. describes, & remittes: quoniam, quæ sunt olim impressa cum Signonij fastis, nullum ex ijs iampridem venale superest. in hoc autem, vt aliquid à me præcipuum haberes, itidem vt ego te præcipuè diligo, quædam videbis immutata, nec opinor, improbabis. Vale. Venetijs.

Kalenda-

Kalendarium, de quo in superiore epistola mentionem fecimus, cum in Orthographiæ libro Aldi filij impressum legatur, visum fuit hoc in loco omittere: eosque, qui id legere volent, ad Orthographiam reijcere.

ANDREÆ PATRICIO, *Patauium.* 19

NAM tu rationem tui iudicandi percommodam injisti. ego enim, non cuiates homines sint, quibus ue terris ac regionibus profecti, sed quibus moribus, quo ingenio, qua doctrina præditi, soleo quærere: & vt olim Hannibal, qui hostem feriret, Carthaginiensem sibi fore dicebat, sic ego totum in vna virtute constituo. Epistola tua ita loquitur, vt nullam in te patiatur aut humanitatis, aut doctrinæ partem desiderari. itaque ne te posthac Sarmatam potius, quàm Romanum, dixeris. tametsi Sarmatia iam ita feritatem, si qua olim fuit, & quæcunque fuit, abiecit, vt ex transalpinis nationibus nulla nunc neque ad litteras, neque ad benignitatem, mutuaque officia dicatur esse propensior. Italia verò nostra, in qua vigebant olim artes bonæ, in qua summis ornata præmijs eloquentia primas aliquando partes obtinuit, ita veterem illam quasi formam videtur amisisse, vix iam vt agnoscatur. simulacrum duntaxat aliquod in libris relictum est; cuius excellentem pulchritudinem animo intuentes admiramur, & studemus imitari: præsentem effigiem oculis frustra quærimus. Tu autem, doctissime Patrici, si qui nunc antiqua Italia digni reperiuntur, qui quàm pauci sint, quæque id accidat culpa, non dubito quin intelligas, his te vt adiungeres, præstantiumque virorum numerum augeres, planè mihi, cùm tua scripta lego,

&

& cùm eos, qui tecum viuunt, de de loquentes audio, videris esse consecutus. quo nomine tibi gratulor plurimum, & patriæ tuæ, in quam referes gloriam, omnibus thesauris, omnibusque omnium regum triumphis præferendam. Ego autem, cuius amicitiam in tuis litteris blanda quadam mearum laudum commemoratione videris aucupari, cùm tua merita, quæ ego sentio esse maxima, modestè nimis dissimulas, & extenuas, mea verò nimis liberaliter amplificas, atque extollis, nisi te tam nostri amantem redamem, nisi multis ornatum virtutibus omni studio colam, quis me sit inhumanior? quis iudicij magis, aut etiam rationis expers? equidem, quid de te sentiam, quantique apud me sis, officijs conabor ostendere: sin, vt mea tenuitas est, hoc præstare non potero; tu tamen, vt spero, de mea voluntate tibi persuadebis id, quod cupere videris, te mihi esse, ac semper fore carissimum. in quo profecto, nisi ego meam in amicitijs diligentissimè tuendis consuetudinem dediscam, tua te numquam fallet opinio. Vale.

EIDEM, *Patauium.* 30

O præclaram ὑπόθεσιν: nec verò tuam humilem, aut obscuram orationem, sed erectam pijs affectibus, mirificéque sententijs, ac verbis illustratam! nunc demum te, Patrici, verè eum, qui vocaris, agnosco, hoc est, à plebe seiunctum, quæ libenter oculos ad terrena demittit, nihil altum, nihil homine dignum suspicit. nam certè reliqua studia opinione potius, quàm re nituntur, speciem quandam inanem, solidi nihil habent: hæc verò, quæ te video arctè esse complexum, nec, puto, vmquam dimittes, æternam non modò famam, sed salutem quoque pariunt:

rlunt. Agnosco, in tuis institutis præclaram consuetudinem, egregiáque studia, nunquam satis laudati, Cracouiensis Episcopi, Andreæ Zebridouij; cuius ex perpetuo multorum annorum conuictu, quotidianis sermonibus, consilijs, probitate, doctrina, quasi diuinis legibus, formasti animum tuum, atque excitasti ad excellentem rerum æternarum cupiditatem, vt facilè constet cùm tua ze ad verum decus natura ducerer, doctissimi tamen ac sanctissimi viri exemplo vehementer esse incitatum. Equidem, vt tibi vehementer gratulor, cuius omnis in amore Dei defixa cogitatio sit: ita, cùm in eos intueor, qui, falsa rerum imagine decepti, toto pectore contendunt ad ea comparanda, quæ sæpe molesta possidentibus, interdum etiam perniciosa sunt; misereor, & ingemisco. Quod vtinam industriam, aliquando meam, &, si quod in me est, ingenium simili in argumento liceat exercere. nam nunc quidem voluntas, optima spectans, & in quam debet, partem propensa, multis tamen impedita rebus languet. sed speremus. sic enim nihil difficile, si consenserit Deus; vt nihil facilè, si abnuerit is porrò, cùm abesse putatur longiùs, & destituisse nos in medijs calamitatibus, tum adest proximus inscientibus, & ereptos ex miserrimo statu collocat in solio regum. Hæc ego sæpe mecum solatij causa, quo sæpe indigeo: & capio voluptatem, quod epistolæ quasi allocutio tulit, vt eadem tecum. Remitto orationem. lege amicis tuis, & quam potes multis communica; vt rectè sentientes confirmentur; si qui autem ab optima causa desciuerunt, ad sanitatem traducantur. Vale, * contubernalem tuum, summi adolescentem ingenij, meo nomine saluere iubeas.

*, Paranymum.

*, Patauium. 21

AMO veritatem, deinde meipsum. illam spectare ante omnia soleo, mihi autem libenter quidem, quatenus tamen liceat, indulgere. itaque nec accipere debeo quas in me laudes contulisti, nec, vt ingenuè confitear, reijcere planè possum. nam bonis viris, artiúmque liberalium scientia claris, equidem placere velim, cum eo tamen, vt nolim quemquam nimis esse in mea laude liberalem. tu autem in tuis litteris ea mihi tribuis, quæ non modò, si agnoscam, sed propemodum, si optem, modestè parum agere mihi videar. At Muretus ita sentit. Vnum quidem: sed officium, potius, quam sententiam, esse puto. quis enim me minùs ignorat? qui, quam diu Venetijs fuit, vel mecum habitauerit, vel mea consuetudine frequenter admodum sit vsus, nec is est, quem iudicium fallat, præsertim in litteris, quas tractat assidue, nouit egregie: verum ei facile persuadet humanitas, vt iudicium amicitiæ largiatur. sed, siue te Mureti oratio, tam honorificam de me opinionem vt susciperes, adduxit; siue mihi hoc abs te, vt tu scribis, meastudia, vt ego sentio, tua bonitas, impetrat: persuade tibi, non exiguum me statuere ornamentum in amicitia tua: cum & ipse possideas illas virtutes, quarum fama benevolentiam conciliat, nomenque nostrum, ab interitu vindicatum, cum æternitate coniungit; & principum virorum, doctrináque præstantium, floreas amicitia; quodque me non leuiter mouet, in Gulielmi Budæi, eruditissimi hominis, ac de litteris optime meriti, contubernio per aliquot annos vixeris, ac vellem mihi parem voluntati suppetere facultatem: fructum ferres haud mediocrem studij erga me tui: obseruantiæ verò in

te

te meæ, quam tua virtus peperit, satis esset illustris, ac minimè dubia significatio. quod ipsum tamen, vt vt est, fortasse consequar. nam & studio nitar: & ad perficiendi spem plurimum quidem, velle optima, solet afferre. Vale.

DIONYSIO LAMBINO.

Parisium. 22

NEQVE negare audeo tibi, homini eruditissimo, cuius ego plurimi semper amicitiam feci; neque, si polliceur præstare possim id, quod à me petis: premor enim domesticis oneribus, & typographiæ cura, si mehercule. vix vt sustineam. vacuæ tantùm ab opere mihi relinquuntur horæ vespertinæ: sed eo tempore, tum defatigatus laboribus, ac fractus: quietem quærò necessariam: tum verò succedit oculorum dolor, isque ita grauis, non modò vt legere, aut commentari, sed nec domesticos audire sine magna molestia possim. ita nobis traducitur dies, atque adeo noctis maior pænè pars. non enim priùs hac leuamur capitis grauedine, quàm sol, medio iam Antipodum orbe decurso, incipit ad nos recurrere: & in ortu suo demum valetudinem mihi, alacritatemque restituit. quod si respirare aliquando licebit; aures tibi meæ patebunt, non in horas modò, sed integros etiam dies. quid enim mihi iucundius, quid etiam vtilius, quàm tecum de litteris agere, tuáque maximè tractare scripta. de quibus quid existimem, Muretus noster, testis est? nam, cum ad me, octauo, opinor, adhuc anno, in Iudeccæ suburbano habitantem, ignotum antea de facie, voluntario adductus officio, adiisses: humanitatem simul & doctrinam tuam eadem hora perspexi. tunc ego te cœpi & diligere & prædica-

re: nec desinam vtrumque facere, quam diuturna mihi dabitur vsura vitæ: quandoquidem nec tu desines esse tui similis, id est, cum optimus vir, officioque excellens, tum verò tantus in virtute, quantum cum egregia natura singularis industria potuit efficere. Interim pero à te, meis vt occupationibus ignoscas & voluntate in te propensam, licet absit res, tamen ames. Vale.

*, *Patauium.* 33

NIHIL mihi pro mea in re beneuolentia, meóque de te iudicio, potuit accedere, quod minùs vellem, aut quod minùs opinarer, quàm id, quod proximis diebus audiui: cum dicerit nescio quis, non te perinde, vt solebas in optimarum artium cupiditate versari, sed languere quotidie magis. adeóque præclara illa principia, quæ, me quidem sæpe, & multum cohortante, ac monente, posueras, esse labefactata, nihil vt à te eximium, nihil quod vulgare non sit, expectari posse videatur. equidem neque plane credidi, quod à tua consuetudine tam valde dissentiret: neque tamen planè non esse credendum id existimaui: quod vt accidere possit, cùm in ætatem tuam intueor, verisimile mihi fit. quòd si, contrà quàm ego cupio, factum est, vt paululum te à virtute disiunxeris, & in dubia, ac perdifficili iuuentutis via quiddam offenderis: agnosce tuam culpam, & corrige, dum licet. non enim, quæ dies confirmauit, facilè mutantur. En habes, qui te suo excitet ad virtutem exemplo, equidem tuum, exquisiti adolescentem ingenij Antonium Lauretanum: quem debes, cum nobilitate pares, nec naturæ fortunæque bonis dissimiles admodum sitis æquare etiam,

am, aut imitari saltem, institutis artium optimarum. Si autem est, vt volumus, & ista, quæ de tu rumor dissipat, mania sunt: noli laborare quid alij loquantur: cogita, quod ipse facias: & à te ipso pẽde, magna solet esse iucunditas, quæ manat ex optima conscientia. hac tu fruere, & perge, vt cœpisti, in studiis liberalium disciplinarum: quarum est cum possessio vitæ æqualis, tum fructus eiusmodi, vt etiam ad posteros pertineat. Vale.

ROMVLO CERVINO.

Patauium. 24

ITAM, ego tibi ex animo effluxi, vt vnum tribus mensibus epistolam ad me dederis? occupatus inquis, fum, quo in genere? nempe in litteris. num igitur tibi à litteris animum videris abducere, cum epistolam texis? mihi quidem numquam minus, quin hoc ipsum, quod ego nunc in te desidero, si contemnis; id est si ita legis, vt numquã scribere animum inducas: litteræ iacebunt. quod, si me à principio rectissimè monentem audire voluisses; tequè, si non quotidiè, saltem alteris diebus scriptioni dedisses: Dij immortales, quos tu nunc fructus ederes, quam præstantes, quàm vberes, quàm & te ipso dignos & fratre tuo, in omni genere laudis excellentissimo nunc, quos progressus hac in te fecisti, non ego quidem illos, quasi tardioris ingenij, reprehendo, neque reprehendere quisquam potest: sed tamen illud, quod ego a te olim expectaui maius aliquanto fuit, quam hoc, vt tu nunc præstas. Neque vero id, quo te iampridem sumus hortati, & quo breui esse preuenturũ credidimus, eiusmodi est. vt facile quiuis posse consequi videatur: sed cogita, præclarum fere nihil esse, quod idẽ

difficile non sit: & tamen difficultates omnes ea, quæ in præstantibus ingenijs facilè exsistit, gloriæ cupiditas vincit, cuius rei noli exempla petere ab antiquitate: aspice fratrem tuum; qui, vt Antimacho poetæ Plato, sic tibi omnium instar esse potest. numquid igitur illum existimas tantos labores aut suscepturum fuisse, aut cùm suscepisset, ferre potuisse, nisi veræ laudis eum spes aliqua identidem quasi alleuasset? quam quidem spem dum sequitur, vides quo peruenerit, gradam tenet dignitatis, qui est à summo proximus: & de summo quid homines augurentur, intelligis. Perge, mi Romule, ijsdē iter eribis ad decus, magna sunt bene agentibus præmia constituta. quam tu facultatē quando habes maximam, noli contemnere; ne paullo post, amissam, frustra queratis. hæc enim, quæ nunc habemus, quis scit, quam diu simus habituri? vides, vt auolent horæ, quæque nobis commoda præterlabentes auferant. Itaque opportunitates, dum adsunt, ita debemus amplecti, quasi non eædem semper, affuturæ sint. qua in sententia te quoque existimo esse, cupio quidem certè; vt cùm expectationi de te concitatæ, tum fratris tui, summi viri, laudibus aliquando respondeas, quod facile consequeris, si te ipse colliges, & quo consilio Patauiū acceſseris, quam vrbem scis habitam semper esse doctrinæ domicilium, assiduè cogitabis, &, quamquam non dubito, quia memoria bona sis: tamen, quoniam hæc posterior epistola tua, quā ad me x v. Kal. misisti, cui ego x i v. respondi, non tam est luculenter scripta, quam vellem; potius multo minùs quàm vellem; vereor, ne tibi illa, quæ ego tecum olim de Latinæ linguæ obseruatione sum locutus quæque ipse mihi te esse facturum pollicitus es, penitus exciderint: quæ si putas è re tua esse

vt

vt à me iterentur; excurreve ad nos, & hoc quidem animo, vt, quam diu Venetijs futurus es, (cupio autem vt diutissime velis) apud me diuerseris. Ac noli vereri, ne ego te Patauium crudiorem remittam. non ita de nostris hospitibus male meremur. Cœnæ erunt, quæ te lautitia delectare, non quæ copia possint offendere, quæ quidem in primis sermone bono, & perfamiliari condientur: quod tu quanti facias, ignoro: ego quidem huic inunditati nullam anteponó. Vale.

VINCENTIO GILIANO
Venetias.

QVAM multa non modó contra voluntatem, verùm etiam præter opinionẽ homini contingunt, nùmquam putaui fore, vt humanitatem tuam requirerem, adeo mihi & multa, & perilluſtria ſtudij erga me tui dederas argumenta: nunc, alijs me quotidie ſalutantibus, aut certè conſulatorias in meo caſu, opèmque pollicentes, litteras mittentibus, ipſe tamen neque ſcribis quidquam, neque mecum habendi ſermonis facultatem quæris, quod viris nobiliſſimis conceſſi, tibi, pro multis ingenij tui ſuauitatibus, proque noſtra non nuper inſtituta, ſed iam inueterata neceſſitudine, numquam denegaſſem. Optaui, inquies, ſed optanti pudor obſtitit. Agnoſco modeſtiam tuam, nec mediocriterprobo: verum tamen decet aliquv ortam à virtute amicitiam confidentia, Erant autem cur me conuentum cuperes, cauſſæ minimè vulgares: primùm Iaſonis mei de Nores, viri omnium, quos ego in vita nouerim, optimi, atque humaniſſimi, reditus in hanc vrbem: deinde Diuiæ noſtri, quẽ ego quanti faciã, & tu, & omnes pæne iam norunt,

ægrotatio: quæ tum heſterno die cognouerim: cupio tamen certius abs te aliquid ſignificari, varie enim afficior, & amiciſſimi hominis aduentu: cuius in conſuetudine plurimam mihi ſtatuo iucunditatem: & eius viri morbo, cui debere omnia videor, quia, quod in ipſo fuit, operam dedit, vt me ſibi non exiguo propinquitatis vinculo in perpetuum obſtringeret. neque enim, licet mutuam vtriuſque voluntatem fruſtrata fortuna ſit, idcirco tantam in me beneuolentiæ ſignificationem parui pendendam exiſtimo, animus mihi pro te erit: méque ille ſui memorem beneficij (ſic enim appellare, debeo) aliquando ſentiet. Hæc ſunt, mi Giliane, cur te velim. accedit illud, Affines ſuos Cardinalis Carpenſis, qui de ſtudiis meis non peſſimè exiſtimat, cupit elegantibus litteris expoliri. optima conditio, nec minus honorifica, itaque ſtatim de te cogitaui: quem excultum liberali doctrina, moribus emendatis, comem, & facilem in conuictu cognoui nec tamen audeo ſperare: vrbis enim Venetæ tranquillitatem nimis amas, & otio libenter frueris erudito, ſed, ſi à te non impetro: odorare ſaltem, & indaga, ſi quem eo loco dignum alicunde licet eruere. inibitur à Cardinali gratia non vulgaris: de quo tibi hoc affirmo, patronum eſſe bonarum artium his perditis temporibus propè ſingularem: qui ſi, vt augurantur plurimi, ad illa ſúma peruenerit, redibunt, mihi crede, aurea tempora, & debita litteris aliquando præmia perſoluentur. Vale.

FRANCISCO MORANDO.

Veronam. 26

ITA valeam, itaque tecum viuam, quod vtrumque

que pariter exopto, vt cydonite tua nihil adhuc gustaui suauius: versibus autem, quos vna misisti, nihil vmquam legi purius: nihil ornatius. quare gratiam habeo tibi quidem, vt debeo, maximam, aliquam tamen etiam imperito artifici superioris anni, cuius culpam, de qua tecum eram questus, lucro meo non mediocri tua compensauit humanitas. quòd si artifex idem est, quemadmodum verba tua significant: non ab eius ingenio, sed ab amore in me tuo nouum genus artificij, noua fluxit industria. itaque magnam ad officia erga me tua quotidie fieri accessionem intelligo, ex quo voluptatem equidem capio tantam, quantam eius, qui doctrina, ingenio, omni denique laude libero homine digna excellat, perspecta beneuolentia afferre maximam potest: verumtamen, quia me prorsus omnis in summa remunerandi voluntate facultas deficit, angor nonnumquam intimis sensibus, & iniucundè viuo. sed neque futurum despero, vt, quo in te sum animo, re ipsa aliquando perspicias: &, si parum optatis meis, vt fere consueuit, fortuna responderit, memoria saltem, perpetuóque erga te studio, non officijs modò erga me tuis, sed virtutibus etiam eximijs debito, cumulatè mihi satisfaciam. De tua valetudine, quæ mihi perinde ac mea curæ est, à patre tuo, prudenti viro, quæ cupiebam, fere cognoui de studijs ex te ipse, id est ex litteris tuis, quarum elegantia mirifice delector, aliquid cupio scire. Orationem in funere habitam doctissimi: ac nobilissimi hominis Ludouici Nogarolæ, cuius obitu non mediocriter dolui, audio laudari. sunt etiam, qui tuam existiment. quod libenter credo: sic enim faueo tuæ gloriæ, vt fratribus fortasse tuis præterea quidem concedam nemini. Vale.

LAEVINO TORRENTIO.

Leodium. 27

PVTO tibi molestum iam esse silentium meum: at mihi silentij causſa longè molestior. nam toto fere biennio neque corpori valetudo, nec animo quies contigit. ita, qui absentes amicos litteris saltem colere consueui, iucundissimam mihi consuetudinẽ intermittere, & in officij cursu languere sum coactus. quòd si secus existimas, nec tibi mea fidem facit affirmatio: testes habeo studij erga te mei non equidem valde locupletes, sed eos tamen quibus tu libenter credas, probos viros, communes amicos: à quibus & quæsitum est aliquando, me mandante, de tuo statu; &, cùm id, quod auebam maximè, cognouissem, esse te in oculis Leodiensi Episcopo optimo, eidemque Principi eximio, auctum esse commodis, ornatũ dignitate: factum est quod ignorare te arbitror, vt leuationem malorum meorum in tuis bonis aliquam inuenerim. Atque equidem reuocare me ad institutum meum, & aliquid ad te scribere cogitabam, cum tuæ me litteræ oppressserunt, quibus commendas mihi modestissimos, & summæ spei adolescentes, Ioannis Cauchi filios, doctissimi & ingeniosissimi hominis, vt equidem sentio. tuo primùm testimonio, deinde scriptis illius; quæ qui legerit, nullius præterea testimonium requirat. quo libentius operam meam filijs eius & pollicitus sum, & detuli. qui cum ad me adeunt, te simul intueor, & impellor magis ad omnem humanitatem memoria tui. nec potest esse quidquam iucundius: quàm vt eorum studijs commodisque seruiam: &, si præstabo aliquid, ita lætabor, quasi beneficium acceperim in officio meo.

Erat

Erat in iisdem litteris tacita qeædam admonitio promissorum meorum: quæ si non persoluo; mihi crede, tanti viri virtute tanti Principis dignitate deterreor. nam, vt egregium aliquid moliamur, consequi tamẽ neque per ingenii nostri tenuitatem, neque per fortunam licet, hanc excusationem probari à te cupio; nec omnino despero: sin vrgere pergis, auctore te aggrediar, vtcunque cadat potest enim fieri, vt, quem admodum multa, contra quã sperauimus, item hoc fortasse, contra quàm timemus, eueniat. quod si quid offenderimus; primum, illud fore non dubito, tuas nos vt subleuet auctoritas; deinde te ipso culpæ socio feram leuiùs, hæc mihi cautio placet, vtinam tibi; sed, si mihi in amore respondet, tibi quoque: de quo tuas litteras exspecto. Vale. Venetiis.

LAVRENTIO GAMBARAE.

Patauium. 28

BASILI Zanciri, poetæ summi, hominisque non vulgariter eruditi, miserabilis & indignissimus iuteritus hilaritatem mihi prorsus omnem eripuit. quem enim donare summis præmijs ob excellentem virtutem; decorare honoribus ob singularem integritatem, atque innocentiam æquum fuit: eum tam ignominiosè vexatum, tam acerbè, tam crudeliter exstinctum, quis non ferat iniquissimè? equidem, vt audiui, etiam dolore tuo vehementer dolui. nam & vixisti vna semper coniunctissimè, alter alteri egregie carus: fuit et vterque vestrum ad poeticam facultatem natura propensus, ac mire factus, ingenio vero ita pares, vt, cùm nemo tam bonus poeta sit, quin vobis primas in componendis versibus partes tribuat, quam confessionem etiam ab inuitis exprimit

mit poematum comparatio, vter tamen vtri prçstet nondum satis iudicare quisquom possit. magnam igitur, planeque fraternam inter vos tum ingeniorum similitudo, tum studiorum communio beneuolentiam excitarat: nec dubito, quin te, licet humanæ conditionis minimè rudem, obitus eius valde perturbarit, animumque tuum ita deiecerit. vt extolli fortasse ad æquitatem neque celeriter, neque facile possit. quo grauius mortè illius afficior: & vt omnia mente peruestigem, nullam tamen inire doloris alleuandi rationem queo, vnica, opinor, illa consolatio supereſt, quam tibi quoque fore gratissimam scio, vt, si conuictu perpetuo priuamur, tamen inter nos ita crebo colloquamur, vt hanc mæroris acerbitatem, qua pariter affligimur, quotidianæ cõsuetudinis mutuæque beneuolentiæ suauitate leniamus, quod vt quam maturimè consequamur, tu pro tua, ego pro mea parte diligenter operam dabo. Vale. Venetiis.

NICOLAO NATHANAELO.

Venetias. 19

PERCVLERAT me grauiter acerbus ille nuncius de naui à piratis abducta, qua vehebatur in Cretam exquisita, multorumque nummorum bibliotheca parentis tui: cum ex eo casu iacturæ plurimum tulisse res & fortunas vestras intelligerem. nunc mè prorsus ab eo mærore, quem mihi vestra calamitas attulerat, ad lætitiam incredibilem reuocarunt litteræ tuæ. scribis enim eruciendi curã adolescentis nobilissimi, Aloysii Mocenici, tibi esse demandatam in quo sanè, pro ea qua te sum complexus beneuolentia, multis nominibus tibi gratulor: primum, quòd eum, qui facilè possit illustrare disci-

disciplinam tuam, excellentis ingenij adolescentē, mirifica, vt audio, virtutis indole preditum, sapientiorē etiā, quàm ætas ferat, nactus sis: deinde, quod ab eius patre, Leonardo Mocenica, Equite clarissimo, quod nullum in hac vrbe vel prudentiæ, vel liberalitatis, vel omnium denique virtutum, quæ nobilem virum deceant; exemplum habemus illustrius, fructum diligentiæ tuæ minimè vulgarem potes exspectare: postremo, quòd in ea domo vines, in qua omnia, vetere maiorū norma, ad honestum & ad dignitatem referuntur, quo præstantes & vsu magnarum rerum, & doctrina viri quoridie confluunt, vnde prudentiam, vnde optimè viuendi rationem petes. Persequi omnia, quæ tibi diuina benignitas obtulit, difficile est: sed mihi credè, quem tua causa velle, tuisque fauere commodis non ignoras, nihil isto munere, nefingi quidem ame potuit aut fortunis tuis vtilius, aut studijs accomodatius, itaque si me audies, omnia, quæ frustra sæpe expetūtur, bona, in vna Leonardi Mocenici beneuolentia constitues: cuius tibi comparandæ caue tempus amittas: confer huc omnē industriam, vt eius filiū, tuæ diligētiæ cōmissum, in quo pater tali filio iure fixit omnes curas, ita instituas, atq; excolas; vt eam laudē, ad quā natus præcipuè videtur, adiuuante illius ingenium studio tuo, breui consequatur. habet autē hoc virtus, vt, à quibus illā accepimus, eos in omni vita diligere cogamur: est optandū, vt ab ijs maximè diligamur, qui non opibus modo valeant, sed ad benignitatē etiā natura propendeant. quæ si in vlla ciuitate, profectò in hac nostra, & si in vlla familia, in ea potissimùm, & in eo vito, cui tuam in re plæclara operam addixisti, summa cognoscitur. Vide igitur, quid susceperis, cuius familiæ gloriæ seruias, quid fides, quid existimatio tua, quid honor

etiam

eriam meus quodam modo postulet: qui tibi sæpè, nec tamen gratiæ causſa, sed adductus iudicio, testimonium impertiui probitatis, & scientiæ non modò Græcæ, verùm etiam Latinæ linguæ: quarum alrã magistro patre tuo, Ioanne Nathanaelo, sacrarũ litterarum peritia, vitæque innocentia cum antiqua illa Græcia, quam numquam fama deceret, conferendo, alterã nonnihil è sermonibus fortasse nostris, è studio quidem tuo, tuisq; vigilijs maximè cognouisti. Hæc si tibi omnia, vt spero, ante oculos ponesq; vinces, te ipsum indiligentia; operamque dabis, vt infamilia nobilissima, cuius patrocinio nullum certius ad eas temporum procellas, quæ humanæ vitæ impendent, perfugium reperies, egregium virtutis & industriæ tuæ monumentum relinquas. Vale.

*, *Patauiæ.* 30

FALSVS hic etiam de Faintij Farnesij Cardinalis obitu dissipatus rumor erat: quo sum grauissimè commotus, nam in illo viro, qui se iam inde à puero ad exemplum aui fui, Pauli I I I. Pontificis omnium sapientissimi, totum finxit, nõ abumbrata, vt in multis, sed expressa signa virtutis elucent: & nunc, vt audio, suas omnes in Christianæ pietatis cultu, cognitiones, curasque defixit. quo mihi erat, bonisque omnibus acerbior illa fama, quæ, multorũ sermone, de immaturo, & inopinato illius interitu percrebuerat, angebar etiam fratris eius, eximij viri, Alexandri Cardinalis nomine: cui multis iam annis eam viam ingresso, quæ ducit ad verum decus, artiumque optimarum studia suis opibus hac ætate præter ceteros fouenti, tantum eripi præsidium, tantum auferri domesticæ laudis, magnopere dolendum videbatur. Gratulor igitur, illo incolumi, liberalibus

ralibus disciplinis; gratulor omnibus, qui virtutem, & probitatem prima ducunt; præcipuè verò tibi. quem & Alexandri Farnesij Cardinalis valde studiosum, & erga sui similes, hoc est erga eos, quibus illa, vnde manat honestum, sola placent, præclare animatum cognoui refrixit iam, vel plane exstinctus euasit penitus vulgatus ille rumor; viuit, & valet cui lacrumas tanquam mortuo dedimus; quem, si fieri posset immortalem esse omnes cuperent. Te, quoque bene firmum esse, & ex illo valetudinis incommodo emersisse, represso iam sanguine, qui tibi ex oculo dextro multus effluerat, mirabiliter gaudeo, de quo mihi cum narraret familiaris tuus, prima statim audicione sum percussus: postea cum idē reliqua persequeretur, animum recepi, & ab omni metu, curaque respirau, huius morbi causam nō dubito quin medici, quos habes istic scientia instructissimos, vsu peritissimos, in studia conferant. quod si ita est, remoue, obsecro te; libros omnes ab oculis tuis. nam, donec eos videris, certò scio, quod mihi sæpe contigit ægrotanti, temperare tibi non poteris, Vale.

EIDEM, Patauium. 31

NARRO tibi: iam non amo verecundiā, cùm enim mihi potius nihil esse; quamvt filium meum (libet enim de mare ominari) ad sacram baptismatis aquam susciperes, tamen, dum obsequor pudori meo nec te talem virum, maximarum rerum occupatione distentum, appellare audeo, commisi imprudens, vt officij laudem ipse præriperes, in quo sane & peccasse me, & luere merito peccati pœnam confiteor. quid enim mihi non permisit, quid iam elargita non est humanitas tua? quam à me alijs prædi-

prædicatam ignorare ipse fortasse tibi sum visus; valde tamen recreor significatione amoris tui: & nostram amicitiam, quam studiorum similitudo peperit, hoc etiam affinitatis quasi vinculo adstringi vehementer lator. nam & res ipsa eiusmodi est, vt beneuolentiam vtrimque augeat: & mihi ad hominum opiniones, accidere speciosius, aut honorificentius nihil potest, totus igitur in ære tuo sum, ita de me meritus es, ita quotidie mereris, quod si tibi pateret animus meus profecto non locari pessimè tuam gratiam intelligeres: quã si non possumus remunerando, (nec enim aut fortuna tua patitur, aut voluntas expectat) prædicando saltem illustrabimus mihi certe ipsa memoria, perpetuoque erga te studio satisfaciam. De reditu meo verbum scilicet exspectas: iam discedo. atque per aliquot dies literæ cessabunt. Amauensem tuum amo plurimũ. videor enim mihi agnouisse manum optimi, atque honestissimi adolescentis, Fanicii Secundi. cui de tua consuetudine etiam atq; etiam gratulor. nã inuidiæ locum amor non reliquit. Vale. Venetiis.

*, *Ferrariam.* 32

Et me laudas in Epistola tua, nec mediocriter quidem; & meam amicitiam, quæ tua humanitas est, valde videris expetere. Ego autem, etsi me delectat, vt ait ille, laudari à laudato viro, tamen ea, quæ mihi tribuis, cùm esse verissima cupiam, non agnosco. dilexi equidem adolescens veterem eloquentiam: nec voluntatem ætas, studium occupatio, sæpe etiam valetudo minuit; sed, excellere in re omnium, vt ego sentio, præstantissima: cuius negotij sit, cuius ingenij, non modo experiens ipse intelligo, verùm etiã ex inani multorũ industria cõiicio.

non

non enim, qui seuerior in me ipso sim; nec mihi amicior, quam veritati, alijs blandiri gratiæ causſa debeo vnum hoc in nobis fortaſſe iure laudes: si modò laude dignum est: equidem, quaſi aliquid ſit, interdū mihi gratulor, quod & quales olim fuerint ij, quos in oratione Latina cupimus imitari, quibus ingenij, qua doctrina, qua etiam exercitatione præditi, & quis ego ſim, vel potius, qui hodie ſimus omnes, facilè poſſum exiſtimare. Quocirca; ſi vetera ſpectas, mutes licet ſententiam de me tuam, floruit antiquitas eloquentiæ gloria: nos iacemus, ſin hæc recentia tibi proponis: non omnino me, quantum in hoc ſtudio profecerim, pœnitebit. nec tamen tibi aſſentiar, vt me omnibus Latine ſcribendi facùltate confitear antecellere, poſſum aliquid, vel etiam multa in aliis deſiderare, neminem in hoc genere laudis eximium ducere: (eſt enim hæc fortaſſe non ingeniorum culpa, ſed temporum) non ideo tamen ſequitur, vt inſolenter arripiam, & induam ipſe, quæ aliis tanquam ſpolia detraxerim, vt in muſicis, artem ipſam exercere, non facillimum eſt: artificem autem peritum ab inſcio diſtinguere, tacito aurium ſenſu plerique omnes ſolent: item ego: quam legendis aſſiduè, ac perattentè hominum eloquentiſſimorum libris conceptam in animo rectè ſcribendi formam intueòr, eam exprimere, & aſſequi ſcribendo nunc quidem nullo modo poſſum, ac vereor etiam, vt vnquam poſſim: verumenimuero, quod á ſapientibus viris proditum legimus, namquam male ponitur induſtria præſtantibus in rebus, laudatur enim vel fine re voluntas. qua ego interdum ſpe incitor ad ſtudia, &, ſi nihil aliud, tu me certe, * optime, atque eruditiſſime, hoc ipſo, quod tàtopere laudas, ad laudē vehementer impelleres. magni enim facere videris Romani ſermonis

elegantiam: & quod tibi leue nō est, eximiarum artium scientia instructissimo, id à me nequaquam esse contemnendum intelligo. Accedit illud, quòd epistola tua ita loquitur ornatè, vt à rhetore, non à me dico, quem te esse profiteris, & quem præstas egregiè, scripta videatur, quod indicat ingenij tui præstantiã, cum enim, vt audio, philosophiam sis vniuersam animo complexus; præcipuè vero medicinã tractes, & ita tractes, vt cum paucissimis excellas; valde sum miratus, vnde istã Latinæ orationis tã concinnã tam vberẽ, tam illustrẽ facultatẽ sis consecutus. Quare, quo tu nomine subuereri visus es, ne ego tuam ad me amandũ valde propensam voluntatem parũ libenter exciperem; cũm eloquentiam tuã verbis dissimules, re ipsa ostendas; eo ipso nomine sic incensus tui studio sum, vt ad meã instituendæ tecum amicitiæ cupiditatem accedere nihil possit. Quod autẽ negas esse quidquã ad' amorem, consiliandum amore ipso efficatius: ita tecũ sentio, si virtus cum amore coniungatur: sin eum, qui diligit, nihil, præter nudã voluntatẽ, cõmendet, non probitas morũ, non doctrina, non ars aliqua liberior: valde videro, sed istuc quidẽ tua minimè refert. quis enim te vel non amantẽ amare nolit, quẽ esse tam amabilem, litteris humanitate, integritate, sentiat? sed videlicet Socratice mecum agis: ironia te delectat: cũm in eo ipso, quod tibi detrahis, tua te refellat oratio. Ego tuum erga me animum pari animo complector, & fouebo officijs quantũ in me erit: neque me patiar, cùm aliqua apud te omnia superiora esse concedam, etiam humanitate vinci.
Vale, & Ioanni Baptistæ Piguæ, homini in primis erudito, & ingenioso, cuius de imitatione poeticè egregios libros auide exspecto, salutem meis verbis. Venetijs.

MARIO

MARIO CORRADO.

Brundisium. 33

MVLTIS iam mensibus nihil ad te litterarum dedi, nec mihi tamen venit in mentem subuereri, ne quam tibi nostra indignam amicitia suspicionem silentij mei diuturnitas attulerit. mihi quidem nihil scito esse iucundius epistolis tuis: quas cùm lego, delector mirifice amore in me tuo, delector etiam ingenio, & scribendi elegantia, in qua tibi non loquor εἰρωνευόμενος paucissimos compáro, antepono neminem. itaque equidem, si per vtriusque fortunam liceret, nihil malim, quàm assiduè tecum esse, totósque dies in tuo sermone consumere, quod tamen quin aliquando sit futurum, cùm in tuas litteras intueor, imaginem animi tui nonnullam ostendentes, prorsus non despero. Ego satis diu feriatus à studijs sum, inuitus: sed quis necessitati non pareat? nam, quæ me caussæ non modò libros, sed patriam quoque relinquere coegerint; aut habes fortasse iam cognitum, litteris edoctus familiarium tuorum, qui adire interdum ad me officij caussa solent; aut, si ignoras, quid ego tibi exponam; cui si quid à me accidat iniucundum, dupliciter angar, incommodo meo, molestia tua? Nunc id commentor, vt certam aliquando rationem ineam otij constituendi, & viuam humaniter: quod te quoque video cogitare, &, si volueris, assequere. Bonios fratres, tua prædicatione commotus, amo vehementer, & obseruo. qui si mihi, vt significas, aliquid tribuunt: est, quod gaudeam, placere me præstantibus viris, quorum in iudicio, & beneuolentia, ornamenti, & commodi mihi statuo plurimum. tu velim, quod ad amorem, studiumque attinet, de me illis omnia

promittas: ego, quæ promiseris, præstabo. fructum etiam fortasse aliquem degustabunt studiorum nostrorum. liceat modò esse otiosis; id quod agimus, futurum speramus. Vale.

PETRO CELSO.

Vecciam. 34

VNA, eademq; manus vulnus, opemq; tulit. planè enim mihi videor, quod de Achillis hasta in Telephi vulnere traditum est à poetis, idem ad tuas epistolas posse conuertere. affeceras me grauiter, nunc idē recreas, & abstergis omnem molestiam iucundissimis litteris, in quibus elucet humanitas tua, quam obscurauerat paululū animi tui subita commotio, indigna certè meis in te neq; paucis, neque vulgaribus officijs, quorum testes apud me custodiuntur litteræ tuæ, itaque, rediisse te ad eam comitatem, quę cum tua natura, & cum ijs studijs, in quibus totos dies eximia cū laude versaris, magnopere congruit, ita lætor, vt nihil vnquam senserim hac voluptate iucundius. quòd si tibi meum ingenium aliquot mensium consuetudine satis exploratum non est, non dubito, quin absens intelligas, & eo cernas illustrius quo longiora nos terrarū interualla disiungent. non enim in te fortunā diligo, quam soleo contenere, sed quia fortunā tua virtute superas: contra quam multi; quorū oculos auri, argenti, splendor ita perstringit, vt pulchritudine virtutis intueri nullo pacto possint quo equidem sensu, ac iudicio meo delector multo magis, quam Ciceroniana illa eloquentia, quam tu mihi, ioco fortasse, obiecisti: cùm tamen, tibi quoq; eam minimè displicere, tuorum scriptorum elegantia significet. De discessu tuo, quamquam ad tuā voluntatem accommodare consilia mea minimè liceat, cupio tamen mihi tempus definiri. Vale.

VOAN.

IOANNI SAMBVCO.

Patauium. 35

NON mediocre amoris argumentum, quod de filiolo gratularis, & ſperare te ſignificas, vt patri etiã orationis Latinæ facultate antecellat. quid? ergo ille tibi magnum videbitur præſtare, ſi opinione, & fama nos anteierit eloquentiæ? ego illi, qua primum hora editum in lucem vidi, bonam mentem precatus à Deo ſum. hoc nobis debet eſſe antiquiſſimum, &, hoc ei ſi contigerit, reliqua iure contemnet, aut, ſi voluerit, facilè conſequetur. mea verò ſtudia ſi imitabitur, quæ certè, quod fateri ſine arrogantia poſſum, ad honeſtum referuntur: aditus ad laudẽ difficiles non habebit; quò mihi ſtudioſe contendenti fortuna ſemper neſcio quo meo fato viam intercluſit. verumtamen, mi Sambuce, cùm tua, tuíq; ſimiliũ fruar benevolentia, quid deſiderem? quid poteſt eſſe amicitia iucundius? quid etiã fructuoſius? cùm & amant inter ſe boni viri; & eſt inter eos quaſi certamen amoris, & officij. equidem, de te quid ſentiam, ſi ad te ipſum ſcriberem, certè ſcio, qui tuus pudor eſt, legeres inuitus. teſtem tibi do iudicij mei grauem adoleſcentem, (& adde ſi quid vis: nihil enim tribues immerenti) *: quem cognoui tuis laudibus, me narrante etiam atq; etiam lætari, quòd ſi tenerem artem eloquentiæ, ſicuti tu in epiſtola tua, amore potiùs in me, quàm iudicio, effuſus exiſtimas: ſane coloribus egregijs imaginem tuarum virtutum exprimerem: voluntatem verò illam, & præclaros conatus ad augendas fortunas noſtras, de quibus poſtridie, quàm à vobis diſceſſi, quiddam in ſermone * ſignificauit, mehercule ſic ornarem, vt nihil eſſe poſſet illuſtrius. de quo quia tam amanter cogitaſti,

gratias agerem ; &, vt perpetuò cogitares, atque ageres, cohortarer, si hoc humanitas tua, illud amicitia nostra pateretur. vt vt autem res ceciderit; (à te enim principia sunt ; exitum præstare non potes) partes meæ non requirentur: prosequar enim vel beneficium laude, vel animum certè tuum memoria sempiterna. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium. 36

Ego verò, accepto nuncio de obitu filioli mei, ita sum perturbatus, vt me tamen hominem esse meminerim, & illum in hanc vitam, tanquam in hospitium, ita esse ingressum, vt, accitu summi Dei, æternum illud cæleste domicilium petiturus, aliquando discederet. quòd si me casus iste nec opinatus ita perculisset, vt omnino iacerem, excitarer tamen prudentia litterarum tuarum, in quibus de lectu minuendo disputas egregiè, tuámque declaras tum homine Christiano dignam bonitatem, tum erga me beneuolentiam singularem. verùm ego, optime Sambuce, multis iam infortunijs hoc sum assecutus, vt fortunam ipsam didicerim contemnere, quæ mihi, vteripiat reliqua, nunquam adimet ea, quæ nec ipsa dedit, nec dare cuiquam potest, rectam mentem, optima studia, pietatem in Deum. Præclarè actum opinor cum filio meo. fruitur conspectu, & consuetudine cælestium animorum: non angitur curis: non spe ducitur: nihil timet aduersum at nos, qui dicimur viuere, quibus hac falsæ lucis vsura nihil est carius, quàm multa exercent? quid laboramus, quid cupimus, quod etiam si contingat, animus acquiescat? itaque verè sapientes homines, non vt diu, sed vt iustè. & cum virtute viuerent, optare soliti sunt. quod equidem conor, &, vt spero, consequar. nihil

enim

enim magis cogito, nihil ſpecto, quàm vt ſeruiam ſtudijs meis, & ita viuam, vt vitæ rationem Deo ſimul & hominibus aliquando poſſim reddere. Quare, cùm me vocas ad ſcribendum, confirmantur conſilia mea iudicio tuo. ac tu quidem in hoc officio cohortandi facis idem, quod multi: quibus facilè poſſem ſatisfacere, ſi per domeſtica negotia liceret. ſed, obſecro, nolite ex otio veſtro meum ſpectare. vobis enim certa, & expedita ſunt omnia: mihi vnicum eſt vectigal induſtria mea: qui liberos alere, tueri familiam cogor. &, ſi negligam, deſeretur humanitas. ſin, vt debeo, diligenter curam, iacere ſtudia neceſſe eſt; quæ ſolutum curis omnibus animum poſtulant. At inquies: ipſa tibi ſtudia fructum ferent. Cane alijs cantilenam iſtam, mores, ac tempora ignorantibus: mihi non perſuadebis experto. vetus illa Principum virorum benignitas exaruit. inania plerique ſequuntur, nihil ſolidum amant, nihil magnificum, nihil illuſtre. Vides alios, quaſi perdendis tantùm frugibus nati ſint, immanibus epularum ſumptibus opes exhaurire: alios, quaſi etiam homines ipſos, non modò fruges, perdere pulchrum ſit, theſauros effundere, collectos acerbiſſimè in ea bella, quæ vaſtitatem agris, vrbibus incendia, humano generi, aliena ſtultitia miſerrimo, cladem & exitium importent. Muſæ interim vbique locorum algent, neglectæ ab ijs, qui fouere eas vt maximè poterant ita maximè debebant. Etiam illud indignum, quòd exiſtunt, qui ſpecie liberalitatis glorioſam aucupentur; & eam virtutem, à qua longiſſimè abſunt. quaſi familiarem ſuam, ſic in ore habeant, vt amare videantur. Verum, hæc ſatis, aut etiam nimium fortaſſe multa. Vale. Venetijs.

GASPARI CONTARENO CARDINALI.

Romam. 37

CVM neque haberem, quod tua magnopere interesset à me scribi; & te scirem summis occupationibus assiduè esse districtum: tamen faciendum mihi putaui, vt aliquid omnino ad te litterarum darem. ad meum enim officium valde pertinet, te, de nobis optimè meritum, intelligere, & quo te studio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conseruem. quod, vt spero, consequar litterarum bono, nam, vt remunerare vmquam possim, sperare vix audeo: ita multa sunt, quæ ad me iuuandum officia sunt à te profecta. vt enim omittam, quàm honorificè de parente meo & loqui, & sentire solitus sis, cùm ita dicas, tibi nullius olim iucundiorem consuetudinem fuisse, nullius cariorem nunc esse memoriam: vt igitur hoc omittam, quod in summi beneficij loco soleo ponere: quanti illud apud me debet esse ponderis, quod olim me adolescentem vir clarissimus, non tu quidem sopitum, sed tardiorem fortasse, quàm oporteret, ad studium summæ laudis excitasti? cuius temporis recordatio mirificè me delectat. sic enim argumentor: te, cuius iudicium est acerrimum, numquam me ad virtutem fuisse cohortaturum, si te frustra id facere existimasses. tantum autem virum, quantus ipse omnium consensu gentium & es, & haberis, de nobis non pessimè sperare, mihi periucundum est cogitanti; apud alios, si qui audient, etiam honorificum. Quare nunc quidem id, quod mihi pro tua summa humanitate facillimũ est, ago, vt, quẽ pro tot ac tantis officijs animũ debeo, cum me præstare tibi persuadeam.

quòd

quòd si per eam viam, qua ad præstantissimarum artium cognitionem iter est, tantum procedam, quantum profectò, nisi me aliqua res impedierit, procedam: næ illud etiam aliquando efficiam, vt, te de nobis esse bene meritum magnopere læteris. Te interim si rogem, vt, quemadmodum instituisti, me diligas, faciam imprudenter. neque enim dubitandum est, quin tu velis in eadem erga me voluntate, cùm humanitatis, tum constantiæ caussa, permanere. magis illud mihi est elaborandum, vt omnes res, quæ ad te colendum pertinent, studiosè faciam; quarum si vllam sciens prætermisero, nefariè me peccasse confitebor. Vale. Venetijs.

BENEDICTO ACCOLTO CARDINALI. *Ferrariam.* 38

CVM primùm Venetias reuerti, etsi eram & sessus aliquantum de via, & eo morbo, qui me Ferrariæ satis grauiter afflixit, nondum plane leuatus: tamen magnitudo meæ in te obseruantiæ, tuæque in me beneuolentiæ recordatio me adduxere, vt ad te scriberem. quo genere officij quam mihi sæpe apud te sit vtendum, intelligo. nam cùm eo ipso die, quo mihi aditus ad amicitiam tuam patuit, de meis commodis & ornamentis non cogitare solùm, sed agere etiam cœperis: omnino, si velim id, quod maximè velle debeo, quibus me studijs à puericia dedidi, ijs haberi non indignus, diligenter ineunda mihi ratio est, vt istam tuam ad me augendum tam propensam voluntatem plurimi apud me & esse, & semper fore significem id hoc tempore nisi litteris mittendis, qua re alia consequar, non vi-

deo. facultatem maiorem si vnquam nactus ero, arctissimè complectar, neque dimittam priùs, quàm id tibi saltem aliqua ex parte persoluam, quod interea à me deberi non solùm non dissimulo, sed etiam apud omnes libentissimè prædico. Quid enim mihi esse potest, non dicam honestius, sed gloriosius, quàm te, virum omni genere virtutis excellentem, summa dignitate præditum, acerrimi in cognoscendis hominibus iudicij, nullum officij genus, aut studij quod quidem ad meam siue vtilitatem, siue laudem pertineat, prætermittere? mehercule nulla res fuit, quæ nos ad probitatis, & doctrinæ opinionem commendare magis posset. itaque, quod antè faciebam domestico tantum exemplo commotus, vt per eam viam, quam mihi pater meus tritam reliquisset, expedito cursu ad summam laudem, gloriamque contenderem: id multo acriùs facio nunc, iudicio de me incitatus tuo, cui vereor equidem vt respondere possim: & est sanè difficillimum; sed tamen, quoniam ita tempus omne meum traduco, vt quantum valetudinis ratio patitur, in litteris verser, &, quasi diuturnam sitim explere cupiens, iisdem è fontibus, vnde illa fluxerunt, quæ sunt laudem tuarum maxima, diligenter hauriam: non despero fore, vt & homines officia tua bene posita existiment, & tu, qui tibi à me fructus debentur, eos non contemnendos aliquando percipias. cuius rei maturitas dum veniat, est interea mei officij, tui memoriam summa cum beneuolentia sanctissimè, ac religiosissimè colere: tuæ verò humanitatis, eam voluntatem, quam ad me iuuandum tua sponte contulisti, perpetuò retinere. quorum alterum ego quàm potero, diligentissimè faciam: alterum tu vt facias, propter incredibilem naturæ tuæ benignitatem, ne admonendus quidem es. Vale. Venetijs.

EIDEM,

EIDEM, Ferrariam. 39

SVMMO ſtudio maturabam Ciceronis editionem, omnino id erat cauſſæ, cur ego rariùs, quàm debeo, ad te ſcriberem. ſed mehercule nec res erat, de qua poſſem ſcribere. de publicis enim non licebat: de priuatis autem quid eſt, quod delectare te poſſit? grauibus morbis, annona, & bello, vniuerſa ferè ciuitas affecta contabeſcit. in his malis pacem omnes, tamquam vnicum remedium, expetebant: quæ ſi daretur, amiſſas vires recuperare difficile non erat. Arbitrabar, cùm Ciceronis epiſtolas emiſiſſem, fore, vt Ferrariam poſſem excurrere. id ego, primùm, honoris cauſſa vt te viſerem, optabam: deinde, vt tuis doctiſſimis ſermonibus fruerer, quantum per humanitatem tuam liceret, per quam certè licuiſſet plurimùm. noui enim, quæ tua ſit cùm facilitas, tum in me beneuolentia. ſed noſtræ voluntates, vt nauigandi curſus, quandoque commutentur, neceſſe eſt, niſi fortunarum noſtrarum fieri naufragium velimus. itaque, vt extrem, meas res cùm vidi non ferre, mutaui rationem: &, quamquam eram occupatus, tamen feci, vt hanc epiſtolam mitterem, quæ te, meam vicem, quaſi ſalutaret. ea ne hoc officium loco non præſtaret, ad Octauium noſtrum, in litteris, quas ad ipſum dedi, alligatam miſi, qui tibi redderet, cùm vacuus eſſes. quod ille, qui & commodiſſimus, & prudentiſsimus eſt, non vereor quin effecerit. De meis rebus ſi quid audire vis: vt in aduerſis, peſſimè non habent: haberent optimè, ſi pietas eſſet in ijs, in quibus maxima, ſi quid merita valeut, eſſe debebat. Vale, Venetijs.

EIDEM,

EIDEM, *Ferrariam.* 40

SVMMA tua facit humanitas, vt etsi me argumentum deficiat, litteras tamen ad te mittere ne dubitem. non enim vereor, eæ ne tibi molestæ sint, quin ita te interpretaturum confido, vt hoc meum studium existimes esse non obscurum signum pietatis in te meæ. cui quidem pietati, quod vix fieri posse credebam, magna sanè accessio facta est lectione tuarum litterarum. nam, cùm antea pro tuis maximis & singularibus erga me studijs effecisses, vt plus, quam tibi, deberem nemini: nunc propemodum es consecutus, vt ipsi tibi plus quam debeo. debere non possim, quanti enim illud, quo epistolam clausisti, apud me esse putas? te non dubitare, quin ego, omnésque mei, quanti amorem in te meum, atque doctrinam facias, aliquando simus intellecturi. ego verò iam intelligo: neque quisquam est meorum, qui aliter sentiat. sed de amore quod scribis, verè tu quidem facis: est enim is certè summa cum obseruantia singularis. de doctrina verò, neque prorsus assentior, ne me ipse, qua in re minimè debeo, nimium videar amare: neque valde repugno, ne, quod est in me honorificum, stultè rejiciam. vt vt tamen est: siue tu amoris, & humanitatis abundantia, quod interdum adducor vt credam: siue iudicio, quod mihi persuaderi libenter patior; siue vtraque re permotus tantum mihi tribuisti, quantum ego postulare sine rubore non ausim: maximas tibi gratias habeam, necesse est: quòd ad eius ipsius, quam in me esse dicis, doctrinæ studium, quò antea naturæ inclinatione propendebam, vehementer me impulisti. ita enim vsu ferè venire solet, vt, quæ laudes à tui similibus, id est ab ijs, qui ipsi in laude vi-

viuunt, proficiſcuntur, eæ nos, vel ſi ſumus hebetiores, in prima actuant, & quaſi neceſſitatem quandam imponant, vt quales eſſe dicimur, tales aliquando ſtudeamus eſſe. quòd ego, quantum poſſum, do operam vt conſequar. à quo ſtudio cur me vlla res debeat abducere, non video: cum tu iſtis opibus, iſta amplitudine vir, litterato otio nihil anteponas temporibus enim turbulentiſsimis, dum plerique fere, ambitionum fluctibus iactati optare magis, quam ſperare, tranquillitatem animi poſſunt: ſecurus in portu te oblectas, viuiſque iucundiſſimè in tuis perennibus optimarum artium ſtudijs: in quibus totos dies ita ponis, quaſi tibi eæ res, quibus abundas, & quarum ſpe. tu alios excitare ad laudem potes, præmio ſint futuræ. Quod cùm ita ſit: & cùm ego hoc animo ſim, vt antiquius tuo commodo nihil habeam: noli credere, me, cùm ad te ſcribo, tuarum litterarum exſpectatione id facere: quæ etſi me incredibiliter delectant, textæ verbis elegantiſſimis, pleniſſimæque amoris, & ſuauitatis: tamen ego te mea cauſſa à grauiſſimis ſtudijs ad nugas auocari nolo. ſatis me habere abs te putabo, ſi & meas tibi eſſe redditas, & tibi, vt cupimus, eſſe intellexero. vtrumque Octauius noſter, quòd & tui ſtudioſiſſimus eſt, & noſtri amantiſſimus, cùm libenter, tum diligenter efficiet. Vale. Venetijs.

IACOBO GRIFOLO.

Romam. 41

QVOD tu, homo occupatus, prior ad me litteras miſiſti: hoc ſanè es aſſecutus, vt officij plus apud te reſidere confitear: illud aſſequi nequaquam potuiſti, vt amoris plus, quam in me eſt, in te eſſe concedam. atq; ego ne in officio quidem paſſus eſſem,

vt

vt anteuerteres, nisi me scribere cupientem non occupatio mea, quæ tamen summa est, sed cura tuorum mandatorum impediret. Scis, antè quàm discederes, quæ de re sermonem inter nos habuimus: cùm tu vt eam susciperem, à me petens, ostendisti, quantum & fidei, & diligentiæ tribueres meæ. in quo ego, opinionem tuam ne fallerem, operam dabam. itaque, te profecto, cùm intelligerem quantum damni feciſſem, adempta mihi tuæ consuetudinis vsura: cumque id omnino litteris mittendis resarcire vellem: tamen, diem è die exspectans, vt aliquid ad te de tuo negotio, cuiusmodi tu velles, possem scribere, in maximo desiderio me sustinebam. nunc, quoniam eius rei ne vestigium quidem appareret in epistola tua: siue quòd, à quo tempore discessisti, vt illud consilium abjiceres, rationes tuæ tulerunt: siue quòd, eodem animo cùm esses, committere tamen litteris nihil voluisti, quod elatum nocere tibi posset: puto me non incommodè esse facturum, si, quam tu rem in tuis litteris intactam omisisti, ego item in meis silentio prætermittam. Quod scire vis, rerum mearum status hoc tempore qui sit: ne te multis morer, is est, quem reliquisti. paulo etiam melior quàm reliquisti. nam & domestica quædam sanauimus: & eum, de cuius acerbitate queri solebam, ita facilitate quadam nostra, atque obsequio mitigauimus, vt pænè dulcis esse videatur. De Ciceronis editione, hoc de me spondeas, atque etiam in te recipias licet, vt, diligentia, confirmes, me non esse vsurum multo minore, quàm qui in hoc genere laudantur. hactenus confido fore vt præstem, & præstabo certè, nihil vltrà. mihi enim tantum non arrogo, neque arrogare debeo, vt, quemadmodum scribis, eas sordes, quibus veterum scripta sunt fœdata, putem omnes eluere me posse. magni id esset ingenij,

ingenij, magni iudicij: quibus ego rebus & indigeo, &, si abundem, sine libris tamen antiquis nihil audeam. qui mihi sunt omnino multi, sed neque quot vellem, neque cuiusmodi. coniecturæ autem, intellexi, & dilici, quàm sæpe sint fallaces. neque bonos libros vlla magis labes inquinauit. quibus nunc in veterem splendorem, atque integritatem restituendis, plurimum mihi est negotij, & erit, vt puto, post me multis: vt inde laudis materies deesse numquam possit. Te rogo, vt, antiquiorem librum si cubi istic esse resciueris, si prece ipse, aut pretio non potes, aliorum auferas gratia. Litteras autem, quàm valde me amas, tam sæpe mittes. nam & otij puto te habere, quantum velis: & argumentum Romæ viuenti deesse non potest. mihi vtrumque minus est. magnis enim districtus occupationibus, temporis ad scribendum non habeo satis, argumentum autem vnde sumam, cum omnium, qui hic sumus, ea rario sit, vt, rerum nouarum si quid alicunde ad nos afluxit, de eo nec scribere, nec loqui sine graui periculo possimus? Relinquitur, vt priuatis de rebus possim scribere. sed hoc quoque genus vereor ne me deficiat. rarò enim solet accidere, quod scriptione dignum sit. Quapropter, quoties ita eueniet, vt à negotijs liceat discedere: properabo statim ad epistolas. quod eo libentius faciam, si tu mihi sententiam scribendi aliquam dabis: sin minùs, inanes tamen potiùs, quàm nullas, mittam. Vale. Venetijs.

HANNIBALI CRVCEIO.

Mediolanum. 42

AMORIS in Octauianum Ferrarium mei causse

sunt

sunt veteres sanè multæ, eæque non leues, sed recens hæc est grauissima, quo l eius opere video factum esse, vt tu me amares. quod ego, nō possum satis explicare, quanti faciam, certè optatius nihil, ac ne vtilius quidem potuit accidere. nam me moleſtæ quædam cogitationes exercebant. eæ fecerant, vt subtristis essem. hoc malum Ferrarij litteræ sanarunt. eas enim legens, cùm veniſſem ad eum locum, vbi ille, quàm tu me diligas. quamque diligi a me cupias, diligenter & officioſe narrat: ſenſi mihi quiddam inſtillari, quo planè ſum exhilaratus. adeo tui ſimilium amicitijs augeri gratum eſt. in qua commoditate incommodum tamen illud ineſt, quòd mihi valde ſentio eſſe laborandum, vt beneuolentia, & opinione de me tua non indignum me præſtem. quod vtinam poſſim efficere: conabor certè: ac ne deſpero quidem fore, vt efficiam. modò, quod tu iudicium de me habes, id eiuſmodi ne ſit, vt ego ei reſpondere nullo pacto poſſim. nam mihi interdum venit in mentem vereri, ne tu me, Ferrarij prædicatione commotus, eum exiſtimes eſſe, qui non ſum. mendax, mi Crucei, amor eſt: noſque ſepiſſime ita ſolet afficere, vt in ſermone, prout amicorum è re eſt, & affingere falſa, & detrahere vera, religio non ſit. quare Ferrarium, cùm de me loquitur, non eſt quòd audias. amore victus, cui repugnare iudicio non vult, ea dicit, quæ fortaſſe non ſentit. At idem, de tua virtute multa in ſuis litteris. habes igitur, dices, ei fidem, cui haberi à me non vis? habeo, & quidem maximam. mittit enim ingenij tui monumenta, quæ mihi de tuis laudibus, vt ille ſcribit, ita eſſe probant. Memorem igitur interea me velim exiſtimes humanitatis tuæ, gratum cognoſces, cùm facultas erit. ac video me tua cauſſa non eas res præſtare poſſe, quas vellem: ſed quas poſ-

ſum

sim, ita volo, vt omnes, sine vlla exceptione, libenter ad te deferam. licet ijs arbitratu vtaris, atque etiam abutaris tuo. Vale. Venetijs.

ANTONIO MERLO.
Vicetiam.

EGO quoque quiddam inaudieram superioribus diebus, sed contempsi, nunc me monet, quod audies. Artibus effectum nescio quorum, (de Petro nostro certè vix opinor: vix autem? prorsus non opinor) vt hic rumor serpat longius. primùm hæc vulgò iactata: ferebam: pòst etiã ad Cardinalis aures peruenerunt: quod mihi accidit molestissimum: nec dubito, quin is iam non idem sit. quòd si ille eadem cum Episcopo, cuius ingenium præclarè noui, communicauerit: actum est. Me quidem & illa angit cura, quòd vereor ne fama diffluat & Perusina condicio, satis opimia, satis honorifica, fortasse in dubium vocetur. Cornelius rem curat diligenter, vt video, fide certè, & amore singulari. In hac sum sententia: si spes non dubia, vt vrgeamus: sin, desistamus ab incepto: ne cupiditatem nostram sine fructu, fortasse etiam cum aliqua mercede, prodamus. Mitto ad te Gratij poema de Venatione, paulo durius, nec omnino cum Petri Bargæi carmine conferendum, qui hoc argumentum sex libris non minùs eleganter, quàm copiosè, persecutus est. Vale. Venetijs.

MICHAELI SOPHIANO.
Patauium. 44

SI nostræ necessitudinis initia repetas: nemo opinor, istuc est, qui mihi vetustate præstet. sin apud

te

te vetuſtas pondus non habet. ipſum per ſe beneuolentiam pendis ; ne ſic quidem iure mihi quemquam antepones. Ego te primùm, cùm abeſſes, memoria colui diligentiſſimè, tuúmque nomen crebris vſurpatum ſermonibus ornaui laudibus, quantum in me fuit. deinde, cùm de auunculo tuo viro optimo, tuique amantiſſimo, miſerrimam in ſeruitutem à Barbaris gentibus abrepto, cognouiſſem, ingemui ſæpe tua cauſſa, quem, orbatum domeſtico præſidio, maximas in difficultates immerentem fortuna conjiceret. Poſtremò, cùm Patauium te aliquando retuliſſes, valetudine ita perdita, vt humana vix ope reſtitui poſſe videretur: quàm id moleſtè quàm acerbè tulerim, teſtes ſunt communes amici, quibus & periculum tuum, & eodem tempore dolorem meum dolori fuiſſe certò ſcio. Veni Patauium aliquanto pòſt: vidi te, quem optabam potius quàm ſperabam, habitu corporis non illo quidem optimo, eo tamen, qui vitæ ſpem minimè dubiam afferret. deinde quotidie meliora. accedente ad remedia medicorum temperantia tua: quam ita laudant omnes, vt in ſtudijs tamen paululum eam deſiderent. quo de genere præcipere quidquam difficile eſt, præſertim mihi, qui cum ab eadem culpa longè non abſim, tum etiam, niſi priores tibi partes in prudentia concedam, ignorare ſcilicet videar vtrumque noſtrum. verumtamẽ, cum te penitus philoſophiæ dedideris, vt eius præſidio fortunæ tela depelleres: debes eam ſequi ducem in actionibus tuis, quod ſi feceris: extrema vitabis, & omnem in medio laudem conſtitues. At mediocritatem mens in ſuo munere non amat: progreditur enim meditando, &, quo longiùs, eo iucundiùs. Verè: ſed immoderatis rebus natura frangitur: &, quamquam corpori mens dignitate præſtet, vtriuſque tamen

inco-

incolumitas ab vtriusque pendet officio. vt herus imperat seruis, nec tamen eos negligit, sed consulit, quatenus liceat, commodis eorum: idque facit etiam sua caussa: tam diu enim herus est, quàm diu habet quibus imperet: sic mens rationem corporis habeat aliquam, oportet. nam, si negligat eam sedem, in qua summus opifex illam constituit: primum faciet inuste, deinde, corporis compagine, qua ipsa includitur, breui dissoluta, vsum tractandæ quærendæque virtutis amittet. quod cum accurate vitandum omnibus est, ijs maximè, quorum & infirma valetudo requietem quærit, & ita viget industria, vt mediocri etiam labore non mediocrem ipsis gloriam, ceteris vtilitatem afferre possit. Cui porro ignota est vel ingenij tui, vel memoriæ præstantia? quibus, non modò vt emineres in Græca lingua, id quod omnes fatentur, sed vt, quacumque re proposita, peritissimè disputes, facilè consecutus es. itaque iure expetitur à nobilissimis viris amicitia, & consuetudo tua: iure te diligunt ac laudant quicumque in Patauino gymnasio doctrinis liberalibus excellunt. quorum tu virtute frueris, & illi vicissim tua, si valebis: &, vt valeas, in te ipso magna ex parte situm iudicamus. obsequere igitur in tua salute multorum studijs: parce valetudini satis imbecillæ, & quod libenter facis, da operam simul vt diutissimè facias, ita gloriam tuam, lætitiam nostram, dignitatem etiam litterarum augebis. quibus ornamenti plurimum è tuis aliquando scriptis, si valueris, accedet. Vale. Venetijs.

IO. BAPTISTÆ PIGNÆ. Ferrariam. 45

ALFONSO Duce creato, gratulatus Ferrariæ

sum: quæ tum ex noui Principis eximia virtute fructus capiet egregios, tum ipsa quoque ad omnem virtutem, eius, à quo regitur, exemplum secuta, diligentiùs incumbet. mores enim ciuitatis ex Principis moribus effinguntur, &, vt ait Plato: QVAE apud eos, qui dominantur, studia vigent, eadem reliqui ciues amplectuntur, & colunt. Ergo florebunt in vestra ciuitate liberales disciplinæ, ac debita iampridem ingenuis artibus præmia persoluentur. quod equidem tua potissimum caussa, doctissime Pigna, magnopere gaudeo. nec enim dubitat quisquam, aut dubitari omnino potest, quin, quantum ingenio, eruditione, iudicio, quantum etiam consilio vales, tantundè apud sapientissimum, optimúmq; Principem & auctoritate valeas, & gratia. quòd si, quam adhuc in cognoscenda, eandem posthac in ornanda virtute industriam locabis: quis te vno felicior, quis omni laude præstantior? quod vt facias, ne monendus quidem es. nec enim te dissimilem esse tui vel natura tua, vel consuetudo, vel studia patiuntur. hoc igitur tecum agendum non est. illa me potiùs, vt verè dicam, & simul omnes qui te diligunt, cura sollicitat, ne te nobis eripiant prorsus aulica negotia, sic, vt, ijs disciplinis, quarum vsus æternum decus parit, salute dicta, iacere patiaris ea, quæ multis antè mensibus instituta si quando perficias, maiorem in modum & posteris, & gloriæ tuæ seruies. quam multos enim egisse mecum diligenter existimas, vt hortarer te ad absoluendam poeticæ imitationis artem, aut, si absolutam habes, continuò diuulgandam? quibus vt aliquando satisfacias, etsi languere te in tua laude opinor, tamen peto abs te, quantum humanitas tua permittit. nec tamen, etiamsi tua res non ageretur, amicitiam nostram, quam ego sanctissimè semper

per colui, nihil à te impetraturam considerem. equidem nihil ei denegarem: idque te, quod tamen secundissimis rebus, ac sine molestia tua fiat, cupio experiri. Ego me ad litteras: à quibus inuitus discesseram, reuocare cœpi, adeptus vsum oculorum, quem antea desperabam: diuina primùm ope, in qua statuere omnia consueui, deinde Gabrielis Fallopij scientia singulari, cui viro, quanti hanc lucis vsuram: id est quanti vitam facio, quanti etiam præclara litterarum studia mihi sunt, quibus vix ipsa vita pluris est, vni planè totum acceptum refero. siquidem eius doctrina, humanitas, exquisita cura pristinam mihi valetudinem, omnino profligatam, ac perditam, conspectum liberorum meorum, amicorum colloquũ, librorum suauitatem restituit: vt si quem ab optimis artibus industria nostra fructum feret, ei gratiæ debeamur, cuius ope, ac studio factum est, vt intermissam diuturno, ac perdifficili morbo posteritatis adiuuandæ consuetudinem aliquando repeterem. Tu mihi de tuo statu, maximéque de Alfonsi Ducis conatibus egregijs ad honestandam virtutem, de quibus fama iam percrebuit, si quid significaueris: argumentum erit amoris in me tui, quo lætari vehementer soleo. Vale. Venetijs.

IOANNI SAMBVCO.

Patauium. 44

QVOD fratrem tuum Georgium Bona, florenti adhuc ætate extinctum, immoderate luges: ignosco mœrori tuo, nec tamen laudem tribuo, dolere enim fratris interitũ, & eius fratris, quo nemo amabilior, nemo fuerit virtute præstantior, hominis est: modum autẽ dolori nullum constituere, numquam

lacrumis sustinere, numquam ex animo mœstitiam pellere. Sambuci non est. Perijt frater: iure commoueris: ægrè enim deuellimur à natura coniunctis: quod ego quoque sum expertus. Perijt is qui familiam vestram, qui patriam, qui prouinciam vniuersam ornare vehementer suis laudibus, & illustrare poterat. hoc equidem expectandum ab eius virtute fuit: sed magnam habet Fortuna vim: ea sæpe, nobis ad eximiam laudem contendentibus, transuersa incurrit, sæpe nostra studia debilitat, sæpe moratur industriam. quo de genere quid ego te doceam, doctissimum virum, cui propè infinitam exemplorum vim vel Græca monumenta, vel etiam Latina suppeditant? florem igitur virtutis amemus: erepto ante maturitatem fructu, quando hoc singulare non est, sed commune cum multis, modicè feramus. Quid, si ne dolendum quidem est? omitto enim historias, ad philosophiam te voco. Quid igitur illa præcipit? si quid casus afferat, leniter accipiendum: nec enim, vt aliter accidat, in nobis est: si quid culpa contractum, angi æquum esse: certe enim, qui ad præclarè agendum nati simus, ideóque mente, & ratione, præter ceteros animantes, instructi, tantis bonis habitu, & quasi è natura desciscere turpissimum est. An tu igitur, mori quasi aliquid turpe, reprehendes? quòd si non turpe, nec dolendum. nisi si quis ita vixerit, vt nihil vmquam homine dignum præstiterit. quod abest longissimè à fratre tuo: qui probitate, ingenio, studijs artium optimarum, prudentia etiam adolescens ita excelluit, vt eum Pannonia pænè cuncta viuentem vnice dilexerit. mortuum laudibus, & memoria prosequatur. Quæ cum tibi veniunt in mentem; iniquus profectò nimis in te ipsum es, nisi luctum minuis, & ex animo dolorem penitus euellis.

Quin

Quin te decuit maximè, qui totos dies ponas in ijs libris, vnde vitæ moderatio, vnde animi tranquillitas petitur, ad propinquos, ad amicos in Pannoniam eiusmodi litteras mittere, in quibus illi sitam esse non minimam sui doloris medicinam intelligerent. nam vir eximius, Nicolaus Olahus, Archiepiscopus Strigonienſis, qui Georgium, & quia sorore sua natus erat, & quod in eo summa virtus enituit, in oculis gestabat, non dubito quin tanti vulneris remedia sumat à se ipso: quem non modò ætas, & vsus maximarum rerum erudierit, verum etiam prudentia quædam naturalis, quæ planè vincit omnem artem, numquum à constantia discedere patiatur. Nec tamen vereor, vt, qui mihi paucis antè mensibus in filioli mei ob[illegible] consolationem adhibueris, idem tibi in tuo casu mederi aliquando non facilè possis. quod si facies: fructus apparebit studiorum tuorum, & Georgij fratrem agnoscemus, cuius ingenium, ac mirificam prudentiam oratio illa, luculenter in primis à te scripta, declarat. Vale. Venetijs.

*, *Patauium.* 47

PERCVSSISTI me de Mariano Lezentio; quid ais? optimus adolescens, maiorum nobilitate, sua virtute clarus, omnibus animi, corporis, fortunæ bonis ornatus: ereptus repentè nobis est? ô miseram humanæ vitæ conditionem, quid ames, cùm omnia fluere, ac labi, nihil intra orbem Lunæ firmum esse, nihil idem à mane ad vesperam, quotidie cernas? quæ te arbitrabar antea cognouisse in sermonibus Reginaldi Poli Cardinalis, & Aloysij Prioli, quibus probiores, aut sapientiores viros non modò nostra, sed nec superior ætas tulit: nunc,

nunc, quando te biduum ſcribis lacrumando conſumpſiſſe, profecto tibi exciderunt illa præclara de contemptu mortis, quibus in illo diuino contubernio, in illo plane cæleſtium animorum cœtu aures tuæ ſæpiſſime perſonabant. Quòd ſi, quid doleas, cogitabis, aut quid dolendo proficias: non dubito quin iſtum luctum abſtergas, & Lexentio noſtro etiam gratuleris, quod, inſpecto Hieroſolymæ ſummi Dei monumento, quò illum, diſſuadentibus amicis, pietas, & religio duxerat, ſtatim ad eiuſdem Dei conſpectum, prædítus optima mente, purus ab omni labe, in cælum euolarit. quod qui optant, ſapientes: qui adipiſcuntur, felices iure dicuntur. Hæc tibi à me pauca pro noſtra neceſſitudine conſolationis loco dicta ſi attendes, vim habere maximam ſenties, & eam dolori tuo medicinam, quam dies aliquando afferet, ratione repræſentabis. quod cùm omnes deceat, tum verò ab excultis doctrina viris, quem te ad numerum aggregamus, præcipuè poſtulatur. Vale. Venetijs.

LAVRENTIO GAMBARÆ.
Ciliuerge. 48

CILIVERGE numquam videram, amabam tamen, amœnitate ſua iucundiſſimum, domino honeſtiſſimum, Lanterio Appiano, præſtanti viro non humanitate minùs, quàm eloquentia: nunc & elegantiam villæ, vt in tabula pictam, in tuis verſibus vidi, & mehercule non mediocri eius viſendæ, atque etiam tecum fruendæ ſtudio ſum incenſus. quod ſi quando contigerit, digito cælum attingam. quid enim iſto otio beatius? quæ ſpecies vrbis, quæ dignitas cum iſta ruſticatione, cum iſta ſurgentium virgultorum ſyluula conferri poſſit? equidem, cum

te

te mihi ante oculos pono, modò inter angustis distincta semitis fructeta decliui colle spatiantem, modò arborum proceritatem, atque ordinem in viridario mirantem, eadem penè voluptate absens tecum fruor. coniungit enim animos nostros mutua beneuolentia; nec est aut tibi quidquam sine me, aut mihi sine te iucundum. gratulor tamen tibi potiùs, quam mihi, & istos Ciliuergenses dies ita multorum annorum instar esse puto, si modò nec otiosus in otio, nec in solitudine solus es. id autem qua ratione consequi possis, opinor, me tacente intelligis. Patauij dum eras, habebas in manibus egregium illud poema de nouis insulis à Columbo inuentis: cuius ego cùm exordium, multis præsentibus, legissem, admiratus grauitatem, & elegantiam carminis, exclamâti, Cedite Romani. in quo, adhuc, qui à me dissentiret, inueni neminem. quo magis te hortor, quamquam, vt spero, currentem, vt approperes, habeásque rationem non exspectationis modò nostræ, verùm etiam gloriæ tuæ, cuius habes à natura præclarum seminarium; quod etiam studio excolis, ingenium tuum. Vrge igitur, nec institutum dimitte: quòdque adhuc humanissimè fecisti, in eo perge, vt nostrum tui absentis desiderium litteris aliquando lenias. Vale. Patauij.

LAZARO BONAMICO.
Patauium. 49

Ego verò & audiui de tuo casu, & tuam vicem mirificè neque minùs publicam dolui: veritus enim sum, ne tecum simul litteræ concidissent. nunc, quâdo te iam ambulare scribis, ita tamẽ vt scipione

vtaris; gaudeo, eóque magis, quòd in ista ætate morbi diuturnitatem pertimueram. sed, quia non planè animum meum libertas à cura, cùm pristinas vires nondum recuperaueris, rogo te, Bonamice, quanti optima studia facis, quæ tibi facienda sunt plurimi; quandoquidem ab ijs tuæ laudes emanarunt; tantum adhibe ante curando diligentiam. vides enim, neminem fere esse, qui, si quid tibi acciderit humanitus, rudem barbariem à Latinæ linguæ finibus arcere possit. Plautum à me emendatum, quem à me petis, dabo operam vt cum his ad te litteris mittam: sed, vt eum in multiplici meorum librorum congerie statim reperiam, sperare vix audeo. Ego, vt scis, hanc satis grauem prouinciam suscepi. tenui conditione, inquies. fateor; ne tua quidem, si tuarum virtutum merita spectentur, satis optima. quid agas? his temporibus anguste virtus habitat. bene tamen de suis ciuibus mereri, præclarum est. Vale. Venetijs.

GVLIELMO PACCIO.

Patauium. 50

SILENTII mei, quo tecum diu satis vsus sum, non exponam hic tibi causam pluribus verbis: ne si id faciam, videar & tibi ipsi, qui nihil adhuc ad me scripsisti, eandem quasi legem imponere. itaque hanc partem prætermittam: in qua si peccatum est, vtriusque certè est. ego autem spero me posthac & beneuolentiam tibi meam, & diligentiam hoc genere officij probaturum, modò nec litteras elegantes, quales videlicet Patauij, à summis ingenijs elaboratæ, tibi ostenduntur, à me expectes. ita scribam, non modò vt quod in mentem, sed planè quidquid in buccam venerit, in epistolã conjiciam.

non

non enim is sum, qui vnum quodque verbum ad trutinam, vt dicitur, reuocare vel soleam, vel possim. aliorum ista superstitio sit, mea quidem non erit, præsertim in epistolis: quæ si, vt ait ille, nihil habent simile neque iudicio, neque concioni; quid refert, vtrum dichoræo concluſns, an aliter, verborum ambitus insistat? Splendidior, inquiunt, nec paulo aptior ad mouendum, si numerosius desinat, oratio videtur. Rectè: nec ego secus existimo. verùm, quem tu tanti facis, eum ego magistrum sequor. quid igitur ille? EPISTOLAE NOSTRAE DEBENT INTERDVM ALVCINARI. nempe, quòd ijs negligentia quædam, cum ad familiares scribitur, etiam ornamento sit. Ita igitur tecum agam, vt si essemus vnà: &, quemadmodum præsentes quacunque de re sermones familiariter ferere solemus, sic in scribendo, nulla certa proposita sententia, libertatem illam, & quasi negligentiã imitabor. quod si reprehenderis, tacitum non feres. præstat enim malè scribere, quam omnino, quod à te fieri video, nihil scribere: cùm hoc voluntatis fortasse vitium sit, illud ingenij, quod ipsi nobis fingere non possumus. Vale. Venetijs. 1533. pridie id. Iun. qui mihi primus dies est anni 21.

PAVLO MAGNVLO.

Patauium. 52

CVM me vides præter institutum meum litteras ad te non tam sæpe, quàm solebam, mittere; nimirum, etiam nr etacente, quàm sim occupatus; intelligis. Ternas te dedisse scribis. omnes accepi: nihil amabilius: his autem recentioribus etiam nihil elegantius. sic enim censeo, recte eum, & Latinè scribere, non qui pauca multis, sed qui multa paucis

cis. quo ego in genere aliquando posse cupio, tu, vt video, iam potes. tribus enim versiculis quid non complecteris? tuam natras in scribendo diligentiam, meam obiurgas negligentiam: de meorum librorum instauratione rectè me admones, de tuorum venditione apertè. denique otiosi nihil est: sententiæ numero propè, quot verba: vt mihi, quemadmodum promiseras, argumentum satis superque dederis. Sed meæ cessationis causam, vt dixi, conjicis ipse per te. libros autem meos, propè adest, cùm edituros sum: de tuis egi diligenter, & ago. si quæris; quid profecerim: nihil adhuc: sed spem non abieci. quamquam incredibile est, quam difficile sit ab istis pecuniam exprimere, quem euentum res habitura sit, ignoro: à me nihil omittitur, quò minùs & ex sententia conficiatur, & quam citissimè. Vale. Venetijs.

EIDEM, *Patauium.* 52

PVTASTI fore, vt ego te abeuntem litteris prosequerer? non tu id quidem vnquam. conuenerat enim, vt argumentum à te expectarem. argumentum igitur potest exspectare meus in te amor? quo nihil vberius nec est, nec vnquam fuit. itaque statim, vbi tu profectus es, cùm me repentina quædam voluntas excitasset, arripui calamum, neque fum veritus, vt me scribentem sententia deficeret. hui, quam multa iam nunc mihi veniunt in mentem! sunt, quæ possim scribere, leuitates amatoriæ. quorsum, inquis? mecum habebo: neque tibi, neque cuiquam edam. volo enim parcere amicitiæ, qua mihi sunt coniuncti, qui tam suauiter, vt ipsi putant, viuunt; vt ego sentio, delirant. sunt item στεμμαχίαι quædam, & militaria munera populo data,

data, taurorum venationes, saltatorum lusus, personatorum ineptiæ. quid quæris? sexcenta: quæ mihi, & beneuolentia nostra suppeditat, & familiaritas permittit vt scribam. quia tamen vt leuiora sunt, omitto, ne grauem philosophiam offendam. Porrò, de meis rebus quod exspectes, nihil est. mutationem nullam fecerunt à discessu tuo. De te, quæ scire velim, hæc sunt, quo modo te redeuntem amici illi tui libri scilicet, acceperint, num eo ipso die ad eorum consuetudinem te dederis; an potiùs, dum hæ bacchationes deferuescant, in hortis cum Epicuro, quam in gymnasio cum Aristotele, velis viuere. Et, cùm hæc scripseris, adde verbum, si me amas, de pugiunculo illo tuo: quo ego te impeditum, & alligatum ense cùm vidi discedere, non tenui risum. ac volui pungere te dicto; sed veritus sum, ne tu rustice me gladio. Epistolam habes iocationis plenam: qua te esse delectatum cognouero, si miseris ipse pleniorem. Vale.

EIDEM, Patauino. 53

Non facilè dixerim, plus ne voluptatis, an doloris ex Epistola tua susceperim. est enim mihi gratissimum, cùm & me à te amari, & te amore in te meo delectari perspicio, ex quo fit, vt litteras tuas, beneuolentiæ plenissimas, & officij, iucundissimè legam. Cùm verò te vel angi video, vel aliquid triste cogitare; sic afficior, vt acerbissime viuam. sed vtinam, quanti ego consilium tuum semper feci, tanti item ipse meum fecisses. profectò in has molestias, in quibus hodie versaris, non incidisses. At, inquies, illa perpeti malum erat. Malum, nisi, istos ferre, longe peius sit, quorum quidem iniu-

iniurias tum ex eorum, qui istinc veniunt, sermonibus, tum ex litteris tuis facilè cognoui. Quæ quo magis intolerabilia sunt, eo clarius tuæ prudentiæ lumen ostendas oportet: neque committas, vt inuidorum, maleuolorumque peruersitas plus apud te, quam existimationis tuæ ratio, valuisse videatur. Quamquam ego, cùm hæc scribebam, satis intelligebam, quis ad quem: sed amorem meum, qui tibi præsenti perspectissimus fuisset, etiam apud absentē, quoquo modo licuit testatum esse cupiebam. Atque hoc loco mihi veniunt in mentem, quæ tibi proficiscenti futura prædixerim. quæ ego, non aliquam somniorum imaginem, aut alitis cantum secutus, augurabar: sed, quòd istiusmodi hominum naturæ plus etiam, quam vellem, exploratæ mihi erant; iccirco, ne illa acciderent, quæ nunc euenisse audio, timebam. Sed vteris, vt spero, fortitudine animi tui: &, quæ iniqui ad ignominiam tuam comminiscuntur, ita feres, vt non solùm in vetere optimorum studiorum cursu, fructus animo, ne consistas, sed vehementiùs etiam veræ gloriæ cupiditate incitatus, propositum tibi decus assequare. Me in omni fortuna tui amantissimum, tuæque laudis fautorem, atque adeo, quantum in me erit, amplificatorem habebis. Vale. Venetijs.

BEBASTIANO LEONI
CORDVBENSI.
Romam. 54

ROMAE te nunc esse, in ea vrbe, vbi multorum amorem, ac studium tua tibi iam antea virtus peperit, tantum abest, vt doleam, vt etiam summè gratuler. nec enim dubito, quin sedem studijs tuis non modò commodam, verùm etiam honorificam, adniten-

aientibus amicis tuis, facilime conquaris. Mequoque, vt ille inquit, mirum desiderium tenet vrbis: verùm aduersantur multa. quæ si Deus aliquando sustulerit, occurrã statim ad vos, ea spe, vt in vestra benuolentia, in consuetudine, ac sermone conquiescam. saluta interim amicos, Octauium nostrum, Sirletum, Gyllium, Phacinum, nam Episcopũ Allifanum abesse audio. Nicolaus Nathanaelus, egregiè moratus adolescens, magnos in Latinis litteris processus a discessu tuo fecit: is cùm mihi per se charus est, tum ego magis, quod de te sæpe loquitur amantissime, tuamq; erga, se, patremq; suum, insigni probitate, atque doctrina virum, perpetuam benignitatatem sic in ore habet, vt eius memoriam nũquam sinat intermitti. Vale. Venetijs.

SILVESTRO ALDO. *Brandino.* 55

IN ijs litteris, quas ad Angulum nostrum xvi. Kal. Sext. dedisti, valde mihi scripta vrbanè visa est illa pars, in qua nescio quid de me per iocum, sed cum quadam tamen amoris nota significasti. gaudeo, me tibi vsque eò esse familiarem, vt etiam facetiis lacessas: quo in genere si perges, gratiam referemus: ne tu homo ingeniosus nos tardiores impunè commoueris. mihi cum amico tuo rectè conuenit. doctum hominem cognoui, bonum virum esse audio. hæc cùm sunt in hominibus transalpinis, amorem conciliant: quanto magis in nostris? At in litteris aliquando dissensimus. ego verò nonnihil etiam à parente meo: neque tamen parentis manibus eam, quam debeo, pietatem minùs præsto. opinionum enim dissimilitudo tantum abest à simultate, vt sæpissime, non modò qui sententia discrepant, in

in amore consentiant; sed etiam, qui simultatem exercent, iudicio congruant. Quare amoue istam ex animo tuo suspicionem, meque cum illo ita crede esse reconciliatum, vt posthac ab eo, etiam si dissentienda causa sit, dissentire tamen nolim. Hic, vt in tantis caloribus, non iniucundè viuimus: vrbis mirifica elegantia: cæli summa salubritas: si quando æstus maior est, quam vt ferre possimus, confugimus ad aquas: innixi vtribus inflatis, remoto loco, nos inter nos ludibundi flumina perambulamus. quid quæris? si te haberemus, ad summam voluptatem nihil deerat. sed animus tamen meus, quem tu, credo, cantionibus quibusdam tibi addixisti, peruolat magna spatia terrarum, &, te insciente, sæpe tecum est. itaque non ego prorsus te careo: nam si minùs sermone, adspectu certè tuo fruor, dum de te cogito. quòd si aliquando contigerit, vt etiam sermone possim; ne ego collocutionum nostrarum fructum, interuallo temporis amissum, ita repetam, vt ne studijs quidem parcam tuis. in quibus audio te post nostrum discessum magna quædam effecisse. Caput etiam illud litterarum tuarum Cardinalis Accoltus mihi ostendit: in quo ita scriptum est, paginas te circiter octingentas iam impleuisse commentationibus ijs, quas in Pandectarum libros texis, puto magni laboris esse, magnæque difficultatis: sed, si considerabis, quæ tibi præmia proposita sint; vinces omnia. petis immortalitatem: quam multi sequuntur; tu iam pænè manibus apprehensam tenes. Vale.

EPISTO-

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER QVINTVS.

Scripsit hanc, liberalium disciplinarum nomine,

PIO IIII. PONTIFICE CREATO

GRATVM tibi, Pontifex optime, ad istam dignitatem nuper diuinitus elato, qua sublimius aut præstantius inter homines nihil est, mortales quam plurimi, alij absentes litteris & nuncijs, alij coram vultu & verbis gratulentur: non dubitamus, quin nos quoque, altrices tuas, in maximo gratulantium numero ad tuos sanctissimos pedes officiosè proiectas, excipias; & eo benigniùs, quòd alij, quia peruenisti ad eum finem, infra quem ceteri fines sunt, gratulantur; nos autem, quia scilicet, vt peruenire posses, ipsæ perficimus. Non est ad gloriam lata quædam, & communis via. peranguſta fuit semita, paucorúmque notata vestigijs, qua ierunt & heroes illi veteres, in Christiana militia fortissimi viri; maximè quidem omnium, patrum nostrorum memoria, Pius ille Pontifex, cuius tu nomen, in eadem sede meritò

meritò collocatus, & cum nomine virtutem refers. in istam olim semitam, ferentem ad æternum decus, nos te puerum adhuc, sed puerum præclara cupientem, manu prehensum duximus: né-ve quis te error auertere, ne qua morari posset offensio, cupidè procedenti quasi lumen prætulimus. confectum iam iter est: vltrà, quò progrediaris, non habes. inter te, & opificem æternum, cuius ministræ nos sumus, nulla iam interiacent humana. quare, quoniam eò te perduximus, quò sine nobis peruenire felicitatis non est, & quando de longa via ita fessas esse intelligis, vt consistere vix possimus; redde præmium bene merentibus; & permitte nobis, vt in tua beneficentia nixæ conquiescamus. nam, si tibi Deus Optim. Maxim. hoc elargitus est, vt in omni tua vita, præter rectum & honestum, nihil spectares: quis te laudabiliter antea cogitasse probauerit, nisi nunc, cùm est ad voluntatem adiuncta facultas, id ipsum, quod cogitasti, re perficias? si te ambitio delectaret, proponeremus illa inania, quibus ij, qui ex hominum sermonibus pendent, excitari solent: fore, si nos iacentes erexeris, vt orbem terrarum tui nominis fama peruageretur: vt oratorum & poetarum de te prædicantium vocibus aures tuæ personent: denique, vt imaginem tuarum virtutum, æternis excellentium virorum scriptis expressam, ipsa posteritas intuens, cupiat imitari. speciosa ista videntur: & sunt omnino: sed à splendore tamen veræ laudis absunt. nam, rectè facere, non ex ijs, quæ consequuntur, sed ipsum per se sapientibus viris amabile videtur. qui cùm innocenter sanctéque viuunt; minimè illi quidem de præmijs cogitant; ne probitas mercenaria videatur: aut, si cogitant, non ad hæc humana, quæ sunt locorum & temporum angustis sanè terminis cir-

circumscripta, oculos demittunt; sed ad illa diuina suspicientes, beatam immortalemque vitam & expetunt vnam, & vnam expetendam esse persuasum habent. hoc tu semper institutum probasti: probauit Paulus ille III, omnium seculorum memoria celebrandus: qui de humano genere vel hoc potissimum nomine optimè meritus existimatur, quia in suo Pontificatu effecit, vt tu pontifex esse posses: probarunt, hodiéque probant sodales olim aliquot tui: quorum alij, non vt vulgò vocantur, mortui, sed, vt sapientes propriè loquuntur, mortali vita liberati, nunc incolæ cæli, Deóque fruentes, non tam quia te Pontificem intuentur, gaudent, quàm quia facturum ea prospiciunt, quæ sunt optimo Pontifice dignissima: alij verò, nondum sanè ab hac terrestri materia discreti, aut simplicem naturam assecuti, sed ita tamen in terris commorantes, vt bonitate simplices animos; referant, non dubitamus, quin tibi nostram causam vnanimes commendent; & eo studiosius, quòd, & ipsi alumni nostri cùm sint, officio non solùm laudabili, verùm etiam debito fungentur. satis iam exagitatæ, satis inopiam & solitudinem passæ, ab omnibus fere Principibus neglectæ, supplices ad te confugimus: quid petentes? honestum otium: a quo petentes? à Pio Pontifice. Pius ne ille noster, cuius animum ac mentem saluberrimis præceptis ad omnem laudem conformauimus, atque effinximus; cui comites in omni ætate atque in omni fortuna non solùm iucundæ, sed etiam perhonorificæ fuimus; qui vt hoc tempore plus, quàm omnes homines, prodesse nobis vnus possit, id ipsum à nobis habet, is ne nos, aliquam tanti beneficij gratiam reposcentes, ab se rejiciet? non hoc illius natura, non doctrina, non consuetudo feret. Sint

sanè mutabiles eorum animi, neque satis in colenda virtute sibi constent: fit enim sæpe, vt voluntates simul cum fortuna commutentur: in te, Pontifex optime, non cadit huius inconstantiæ suspicio: tua est bene agendi perpetuitas: nihil in vita tua varium, nihil flexibile, nihil mistum cognouimus: semper idem tibi, semper directum quiddam placuit, & simplex. non te rerum humanarum picta & fucata forma, non illæ, quibus plerique falluntur, insidiosæ voluptatum illecebræ ceperunt. non tu in tabula picta, inani colorum specie captus, oculis immobilibus hæsisti. non sericam vestem, non argenteum vas, non aurata tecta paulo cupidius adspexisti. denique; ne singula persequamur: cùm plerique hominum siue gratia, siue metu ab officio deducantur: numquam te vel ita gratia deleniuit, vel ita metus deterruit, vt pietatem religionémque desereres. quid mirum? virtutum radices non ita leuiter bonorum in animis inhærent, vt eas euellere aut commodi spes, aut periculi dubitatio possit. quare tuæ consuetudinis & constantiæ memores non petimus à te; vt aliquid agas nostra causa, quod cùm egeris, non consentire cum tuis superioribus factis videatur: sed id petimus; quod à te non modò ipsa res, sed etiam consuetudo tua postulat; vt in vetere illo tuarum actionum laudabili cursu pergas. quod cùm facies, (facturum enim, quia te nouimus, non dubitamus) complecteris nos eodem studio, quo ipsi te aluimus; & in eum locum restitues, vnde nos aduersariæ nostræ insciția simul & auaritia, comites perpetuæ, detruserunt. Vale.

CAMILLO

CAMILLO PALAEOTTO.
Bononiam. 1

EPISTOLA tua suauiter, & amanter in primis, eademque elegantissimè conscripta, memoriam mihi nostræ consuetudinis, tuæque virtutis, & humanitatis, vehementer auxit, non enim dicam renouauit, qui te mihi, & ea, quibus omnibus caruses, ex animo nunquam excidisse, vere possim affirmare, sic enim velim existimes, nihil vnquam, á quo primum die mihi cognitus es, aut cogitasse me iucundius, aut curasse diligentius, quam vt me tui cupidissimum, tuorumque officiorum, si non referenda, quod opinor fieri vix posse, habenda tamen gratia memorem, atque gratum agnoscerem. quod si sum assecutus, mirifice lætor: sin minùs, delector tamen studio meo, & ipsa etiam voluntate mihi vtinam tibi quoque, satisfacio. Equidem, cum illa, quæ te video animaduertisse, ad Muretum scripsi, notum ei esse volui iudicium de te meum: ipse vero vt ea aliquando legeres, vel vt omnino quisquam, fore non putaui. Postea, cùm à nonnullis, bonas videlicet horas malè collocantibus, discribi epistolas meas audirem; veritus, ne quando mendosius etiam impressæ, quam a me scriptæ, vel negligentiæ culpa, vel fortasse etiam improbitatis, (late enim patet hoc vitium) ederentur: collegi quas potui; emisi, non quas probaui maximè, (nam huius generis inopia certe me ab omni prorsus edendi consilio reuocasset,) sed quas improbaui minime, ex eo numero fuit ea, quæ de te loquitur, vel potius balbutit epistola, nam ea, quæ tibi vel natura tribuit, vel adsciuit industria, vix aut mihi liceat, aut ijs etiam, qui plurimum eloquentia

valent, non modo litteris familiariter scriptis, sed nec elaborata oratione complecti. Quare non ego, mihi vt agas gratias, exspecto, quod te tamquam pictor bonus illustrauerim, sed potius, quod quasi decolorauerim, vt ignoscas, rogo, quod quidem, si te probe noui, impetrabo facilè, vel à sapientia tua, vel ab humanitate: quarum altera facit, vt ab vna totus virtute pendeas, de sermonibus hominum uon labores; altera, vt nihil vnquam à te non modo amici, & familiares, sed nec alieni frustra petant. Amoris in me tui, licet minimè necessaria, periucunda tamen commemoratio fuit, cui quidem amori, vel si absint officia, deberem plurimum: quid putas, cùm & accesserint iam merita non vulgaria, quæ nulla mihi ex animo dies euellet, & ea tamen alijs cumulare ita studeas, vt in beneficio dando beneficium videaris accipere? Vel hoc ipsum, quod me tam crebrò, tam diligenter, tam amanter Bononiam inuitas, quantam habet significationem beneuolentiæ tuæ? quæ si mihi omnia commoda omniaque ornamenta, nihil tamen afferet, mihi credo, se ipsa carius nihil, quo gaudeam, ac triumphem magis. Ad te verò, quem videre ita cupio, vt cupiditate etiam tua vehementius incendas, noli dubitare, quin aduolem, cùm primùm per anni tempus, &, vt spero, per valetudinem licebit. nam frigore vires imminutas tepor vernus, & cæli purioris adspectus restituet. Interim, si quid scire vis de rationibus meis, eo loco sunt, vt mihi, in summa animi æquitate, abesse potius multa quàm deesse videantur. Vigemus amicis: quo nihil optabilius, excepta sapientia, & ego existimo, & tu quoque, vt video, mecum sentis. Oculis, quibus ægrè diu fuit, nunc quidem vtor optimè viribus autem corporis non pessimè. reliqua

in

in congressum nostrum reseruabo. Vale, & propinquo tuo Francisco Bononietto salutem à me plurimam. Venetijs.

OCTAVIANO FERRARIO.
Mediolanum. 3

AMOR inter nos mutuus; meàque de tua virtute opinio facit, vt mihi nihil esse committendum putem, quod à tuis consilijs abhorreat. itaque, licet dolorem meum, ex interitu filij susceptum, valde iam & ratio ipsa, & communis condicionis recordatio leuaret; vix tamen credas, quantum profecerint litteræ tuæ. An ego te non audiam, cum ad animi vocor æquitatem? te inquam, cuius mihi grata semper voluntas, grauis auctoritas & fuit, & esse debet: quem dilexi vnice à prima adolescentia, quem respondere in amore, ac studio facilè perspexi, quod vtinam, quam diú seiuncti fuimus, vna viuere licuisset: esset omnino tua consuetudine melior, & doctior; tu autem ex officijs meis fortasse aliquam, ex beneuolentia certè in te mea non dubito, quin maximam voluptatem, lætitiamque cepisses, quod quando non contigit; vsus essem, pro mea quidem parte, litterarum bono; nisi me non tam occupatio mea quam tuæ valetudinis infirmitas, cui laborem imponi mea caussa nolui, à scribendo retardasset, nunc, si est, vt optimè valeas; quod vt credam, adducar non solum crebritate, verùm etiam subtilitate, atque elegantia epistolarum tuarum; gaudio: quodque habes ex animi tui sententia, id vt perenne, propriumque sit, vehementer cupio, litteris, vt amissi temporis vsura sarciatur, colloquemur interdum, nec deerit argumentum, si tibi placuerit idem, quod mihi, συμφιλολογεῖν

de studiis nostris, quibus vberius nihil est: Atque equidem (vt à priuatis ad publica diuertam) quando χαρακτὴρ tuus eiusmodi est, vt ab recentiorum philosophorum inquinato sermone longissimè distet, auctor tibi sum, vt in scribendo totus hæreas, nimium diu comprimis ea, quæ selecta habes, quæ scio quam sint præclara, in omni genere doctrinæ. ede, & auge vtilitatem nostram cum gloria tua nam hic liber, qui propediem exibit, de disciplinæ encyclio, studia multorum accendet quibus à te satisfieri æquum est, quàm vero in eius libri editione diligentiam exigis, ea, præstabitur, quatenus licebit, totum enim in vno me positum non esse, aut iam scis, aut mihi velim credas affirmanti. Vale. Venetiis.

LAEVINO TORRENTIO.
Leodium. 4

SANE permolestum mihi pro mea summa erga te beneuolentia, contigit, quod tuorum comitum, vt ais, importunitate factum sit, vt veniendi ad nos susceptum antea consilium deposueris, nihil enim potest esse iucundius, quam tui suauitatem sermonis, tuamque mirificam tum humanitatem, tum etiam doctrinam ex interuallo regustare, sed huius incommodi molestiam fere absterserit omnem scripta peramanter, atque adeo pereleganter epistola tua, quam mihi heri reddidit familiaris meus, idemque tui studiosissimus, plane iuuenis eruditus, Andreas Sylnius Oda verò in Pium Pontificem, quã epistolæ adiunxeras, ita mihi placuit, nihil vt vmquã legerim libentius; æquè libenter pauca, omnino, mi Læuine, cùm ad omnes excellentiam, tum vero ad hoc scriptorum genus ingenio te natura finxit aptissimo. Itaque nosce tua bona, poeticamque ea facultatem

tatem, si tuæ gloriæ consultum vis, ne dimitte. Carissium quo die primùm vidi, vt ederetur, optauit. idq; planè Cauchis adolescentibus, consilio tuo commotis, & communium studiorum, & sanè ipsorum etiam caussa gaudio. aliquid enim ad eos ex paterna laude redundabit, & aperietur fortasse aditus ad gratiam principis viri, misso, vt mos est, libro cum eorum epistola. putabam fore, vt Romæ liber ederetur. si Venetijs malunt; nostra, quæcunque est, industria non deerit: qua conditione, & quo tempore, scripsi ad optimum virum, Octauium Pantagathum. De Censorino & Prudentio mox videbimus: non enim tam facilè, quod præstare non possim, soleo promittere, quam, cùm promisi, diligenter præstare. premor autem oneribus multis, quæ sustinere cogor in aliquot menses: abjicere si velim, nec honor meus, nec res domestica patietur. Quod reliquum est, amorem in me tuum cupio conserues: quod erit humanitatis. ego, quod erit officij, te colam diligentissimè, deque ingenio tuo, de doctrina, de probitate quid sentiam, vt ipse aliquando intelligas, quod hic, mihi crede, iam intelligunt multi, operam dabo. Vale, & Cauchos fratres, moribus, ac litteris ornatos, meo nomine saluere plurimum iube. Venetijs.

PETRO MISCOVIO. 5

QVOD à me postulari videbatur, vt tibi, de studijs meis non pessimè existimanti. (sic enim audiebam) per litteras gratias agerem; in eo dedi operam, ne desiderari posset officium meum, atq; equidem restitui nonnihil à principio cupiditati meæ veritus, ne prudentis hominis non esset, ista dignitate ista virtute virū, cui nullū à publico munere tempus

vacet, appellare litteris: sed meam cunctationem viri optimi, atque eruditissimi, Andreæ patricij, omnia de humanitate tua pollicentis, discussit oratio. Scripsi igitur ad te, non, vt tibi rescribendi onus imponerem, sed, vt, quoad possem, testificarer observantiam meam. quod si sum assecutus, & si tu quanti faciam iudicium de me tuum, intelligis: ita lætor, quasi bona omnia contigerint, & cum hac mea voluptate vix puto voluptatem vllam posse conferri. Quod autem silentium etiam tuum excusas, & ea commemoras, quæ te à scribendo antea retardarunt; hoc equidem à te numquã exspectaui; à quo libenter legi meas litteras, de quo dubitare mihi non licuit, satis superque habui: sed quo exspectaui minùs, eo scilicet magis agnosco, quæ constanti omnium sermone prædicatur, benignitatem tuam. Gratulor autem, vt debeo, vehementer, & te à febri conualuisse, qua laborantem in reditu suo Patricius offendit, & exitiali illa lue prouinciam esse liberatam. Occupationes tuas puto, & audio grauissimas esse; sed leuiores fiunt gloriæ fructu, quem tu quotidie percipis, tuis debitum virtutibus, amplissimum. Porrò, quàm sit homine dignum, de multis, ac, si fieri possit, de toto hominum genere bene mereri, quid ego te doceam, nihil quod ad honestum pertineat, ignorantem, quem ita semper ad decus natura impellit, vt omnia tamen consilia, omnes actiones ratio, & sapientia moderetur? Quare, istis curis, istis laboribus, quos esse tuæ laudis segetem, ac materiam video, agnosce, obsecro, Miscoui: humanissime, si te serò admodum cupio liberariam, quod ad studia litterarium attinet, id est, ad eum animi cultum, vnde oritur artium ingenuarum præclara cognitio; primùm, cùm tu habeas iam, quæ petuntur à litteris. & cùm eloquentia, doctrinâque

ex

ex superiorum tẽporum vigiliis excellas; non intelligo valde esse, cur labores: deinde, tantine putas librorum consuetudinem, aut vllum cũ vlla doctrina commerciũ, quanti difficillimis temporibus, in sũma bonorum, & sapientium ciuium inopia, requirenti consilium, operamque tuam patriæ subuenire? quo in munere versanti, non committã, vt longiore molestus epistola sim: & hæc ipsa, fortasse nimis multa, amori largieris in te meo: cui dũ obsequor, teque alloqui præsentẽ videor, oblitus occupationis tuæ, memor humanitatis, prouectus imprudenter sum. Vale, Venetijs.

ANDREÆ PATRICIO. 6

MI Patrici, non te fugit, morosos esse, qui amant, quo me vitio laborare non inficior, adspectu, & consuetudine presentium amicorum carere non possum, si absunt igniculum desiderij ita non fero, vt litteras ab iis exigam potius, quam exspectem. hinc illæ interdum, vacuo prorsus iracundiæ, quæ abest à natura mea, amoris pleniſſimæ querelæ. de quibus audisse te aliquid gaudeo; vt ego quoque in querela tua mutuam erga me beneuolentiam, qua nihil habeo carius, agnoscerẽ, quod equidem lætari te quoque arbitror. quæ enim humanitas tua est, certe totus abesse non vis. nec eiusmodi tuũ in discessu consilrũ videbatur: nec nos, qui longinquũ memoria colimus, diligimus, laudamus, digni videmur, quique nullã tuauitatis, ingeniique tui partem restituas. Officiũ autem in rescribendo meum non committam, vt desideres; nec desiderare antea passus essem, si litteras tuas, à me vehementer expetitas, quas misisse te significas, accepissem. Prouocassem etiam, mihi crede pro meo

meo in te singulari studio, si vacassem, & si vacare te ab ijs negotiis existimassem, quorum onera gratissima, vigilantibus, & magna præditis virtute viris, id est, tui similimis, imponi æquũ est. Quod ais, omnia te conferre ad dignitatem meam; dupliciter gaudeo: & quòd me ames, (quamquam hoc antea perspexeram,) & quod id ex officijs erga me tuis homines intelligant: idque non mediocriter ad existimationem meam statuo pertinere. Miscouij quidem in beneuolentia, cuius habeo testem, refertam humanitatis, elegantissimam epistolam, scito me omnia ponere eamque, vt videor summo hominis beneficio consecutus, ita triumpho, quasi nihil iam aduersi à virtutis aduersaria fortuna possit euenire. tibi autem, quia mihi ad amicitiam viri aditum patefecisti, gratias tuo fortasse merito pares habere possum, & habeo sane quam maximas, referre certe nullo modo possum, ac ne agere quidem: quod tamen humanitas tua non ferret; &, si ferret, quæ mihi vmquã verba, ab intimo licet artificio deprompta, satisfacerent? Vale. Venetiis.

STANISLAO FOGELVETRIO.

Patauium. 7

Me quoque torquet exspectatio litterarum; de quo mihi, me quidem inuito, tamen aduersa quædam amor fingit, nec enim adduci possum, vt oblitum nostri, aut parum in colendo officio diligentem existimem; qui & humanitate omnes vincat, & quaternas iam à me litteras acceperit. vtinam valeat, atque illis negotiorum fluctibus vtatur secundis ventis: reliqua feremus facilè, eademq; absenti beneuolentia perpetuo præstabitur. Cũ litteras Italicas meas ad te misi, nihil scripsi, ne tibi rescribendi

di, præsertim de te minima, onus imponerem, at tu, gratiarum actione non contentus, etam me laudandum putasti, & iis quidem verbis, nihil vt esse possit illustrius, in quo probaui vehementer elegantiam ingenij tui; in iudicio, nisi me ipse diligam, desiderare aliquid cogor. aliquid autem? planè hoc totum, mi Fogeluetri, humanitati tuæ tribuo: de qua tamen ipsa valde te amo; velim existimes, te me mihi hærere in animo tum tua sane caussa, cui neminem probitate, ingenio, studio bonarum artium anteponо, tum quod in vno te nonnullam Patricij, ac * etiam imaginem videor agnoscere. idque tibi aliquando fortasse, Minerua, vt spero, non inuita probabo. Vale. Venetijs.

DIONYSIO LAMBINO. 8

NOLI existimare, mi Lambine, cum fructu consuetudinis tuæ caream, quidquam mihi tuis epistolis esse iucundius. facit hoc sane qui mutuus inter nos amor est, ortus à meo de tuis virtutibus iudicio tua vero de meis ad eandem laudem conatibus opinione fortasse nonnulla: sed scriptorum etiam tuorum subtilitate, & elegantia mirificè delector, vel hæc, quam accepi idibus Iunij, raptim à te, vt video, exarata epistola, quam nullis illustrata pigmentis, nullo, vt tu scribis, fuco, tamen nitet itaque nihil vmquam legi libentius. Quæsieram autem per litteras à seroris meæ filio, Iulio Catone, ecquid parturiret ingenium tuum, non tam, vt meæ, quæ summa est, quam vt eorum, qui ad me adeunt quotidie, cupiditati satisfacerem. scio enim, admirabilem hic esse quandam de studijs tuis opinionem, cum è sermonibus meis, eximia

eximia sæpe tua cum laude habitis, tum vero ex illa præstanti industria, quam in conuertendis Aristotelis de morali philosophia libris ita collocasti, nõ modo vt eorum, de quibus diu bona hominum existimatio fuit, errata patefaceres, sed vt ipse maximam & iudicij, & mihi quidem vt videtur, qui ea cum Græcis diligentissimè contuli, eloquentiæ laudem ferres. quod à te institutum retinere, & eandem operam ad reliqua conferri, si quis est, qui valde cupiat, ac te etiam tacita sæpe cogitatione hortetur, is ego sum. Publica, fateor, me mouet vtilitas, cui te video Græcæ, ac Latinæ linguæ peritissimum. præterea instructum ijs artibus, à quibus perfecta intelligendi, ac iudicandi ratio manat, vnũ in primis posse consulere: sed mehercule etiam gloriæ tuæ pro amicitia nostra vehementer faueo, vides enim profecto, (quid enim, quod ego videam, tu non perspicis) paucos omnino ex ijs, qui populari fama celebrantur, sine exceptione posse laudari, & hac tanta quotidie exeuntium liborum copia impediri potius, quàm adiuuari studia nostra. quare suscipe onus pro tua parte, neruos nouimus industriæ tuæ: quos si cõtenderc volueris, nihil est, quod sustinere, ac perferre non possis. Nam de Lucretio, suadeo equidem, vt absoluas; poeta est egregius, vel Ciceronis nostri testimonio: & in eo maximam à multis, nec à me ipso minimam gratiam inibis: sed voco te libentius ad illa præstantiora: nec tu meum consilium, atque etiam studium, si modi tibi aut sapere aliquid, aut velle tua causa videor, debes in tua laude contemnere. Si nauigatis in Galliam, quod à te scriptum confirmant multi, opto vobis facilem cursum, & secunda omnia: teque rogo, nisi me ineptum esse sentes, & nimis imprudenter petere, vt Cardinali Turnonio, principi sapientissimo,

optimarum

optimatum artium patrono, me in gratiam ponas; quem hic honoris gratia salutare, cum maxime vellem, per inualetudinem numquam licuit. Sigonius plane, vt ais, vir doctissimus, addas licet humanissimus, cui tu in transuerso litterarum tuarũ versiculo salutem adscripsisti, valde gaudet, amari se ac laudari à te, de quo ipse honorifice in primis loquitur, & sentit, is te resalutat amantissimè; euntique in Galliam, incolumitatem, & reditũ precatur. Vale. Venetijs.

IVLIO POGIANO
Romam. 9

QVAM libenter, & quam sæpe de te cogitem, Pogiane doctissime, conscius ipse mihi sum: mea verò quæ sit, ac fuerit semper, vbi temporis ratio tulit, de tuis virtutibus oratio, cùm honestos, & graues viros, ijs; quibus ipse excellis, doctrinis excultos habeam testes, non conabor tibi litteris exponere. nec tamen amori erga te meo, quem fateor impetrare à me posse omnia, tribuere quidquam in te laudando velim existimes, tua me scripta, in quibus excellentem quandam eloquentiæ præstantiam elucere vidi maximè verò præclaro illa pro illustri Rhodiorum Equitum societate ad pontificem habita oratio, quam efferre laudibus numquã desino, in hanc sententiã facile perduxit. Accedit humanitas, probitas, opinio de me tua, nec ea significata obscure, sed æternis ingenij tui testata, atque expressa monumentis: vt, si nihil ipse, contrà quam ad hoc laboraui, memoria dignum præstẽ, me tamen ex testimonio tuo posteritas ignorare non possit; sin aliquid à me sũ, tibi tamen debeam plurimũ, cuius ad eam, quæ cumque de me est, existimationẽ

mationem accedat auctoritas, quod si te antea, naturali quadam animi mei propensione, & communi erga omnes, qui optimis in artibus cum laude versantur, officio, non mediocriter diligebam: nunc, propria cùm addantur in me merita, nisi totus amore flagrem, ac studio tui nisi, quam excelso in loco sitam video, illustrari etiam magis omnium præconijs tuam laudem exoptem, malam referre gratiã litteris iis, quarum consuetudine ad humanitatem excolimur, & omnino hominem ex homine videat exsuere quamquam, mi Pogiane, non ita mei dissimilis esse possum, vt agnoscam ea, qua tu in illa omnium elegantissima epistola, ad eximiæ tum indolis, tum etiam virtutis adolescentem Octauianum Magium proximè, scripta verbis amplissimis in me constulisti. scilicet ego in eloquentia magnus, quis, & qua in arte? illa quidem, vt res indicat, omnium difficillima. ipse autem vix mediocri instructus ingenio, otio certè, sine quo in summis quidem ingenijs valde proficitur, numquam abundans, aduersa etiam per annos multos modo valetudine, modo fortuna vexatus, sed abfuerit nihil eorum, quæ laudem in aliena lingua cupientibus requiruntur: me tamen vobis, qui Romæ in ista luce, summa omniũ virtutum ingeniorumque præstantia viuitis, qui pedem quotidie ponitis in vestigia clarissimorum virorum, qui spiritum ducitis e Ròmano illo cælo, seminibus eloquentiæ referto, anteponendum esse numquam duxi; fortasse, vt comparari aliquando possem, operam dedi, sed hoc quidem nondum contigit, ac vereor, vt contingat vmquam, me enim in hoc studio, quo mirifice delectabar adolescens, rei familiaris occupatio non sinit esse diligentem. ætas etiam nescio quo modo gloriæ cupiditatem, si qua fuit in nobis, videtur exstinguere: qua sublata, non

minimũ

minimum langueſcit induſtria Contrà vobis, ab omni cura expeditis, tibi præſertim, non ætate minùs quam ingenio, florenti, quotidianum eſſe cum libris vſum, & cum omni liberali doctrina, non ignoro. Quanti verò illud eſt, quo quidem nos caremus, locorum admonitu excitari ad decus? quanti etiam illud? haurire aliquid poſſe omnibus horis ex mutuo ſermone, præcipuè verò ex perennibus illis, vberrimiſque optimarum ſcientiarum fontibus, Octauio Pantagatho, & Gulielmo Sirletto, familiariſſimis tuis: quibus, vt opinor, æquè diligemur; ſed æquè tamen eorum doctrina frui per interualla locorum mihi non licet itaque tot, ac tantis, quæ ſuppetunt vobis, diſtitutus adiumentis, tantum abeſt, vt glorioſi palmam certaminis audeam ſperare, vt haſtas etiam non inuitus abiiciam; qui præſertim facilè futurum intelligam, vt ad te, quem planè in oculis fero, & à quo mutuam mihi tribui voluntatem libenter credo, primæ partes in cognitione, & vſu Romanæ linguæ omnium iudicio deferantur. Quare primum illud te rogo, ne mihi tua prædicatione, quæ tota, vt ego interpretor, ab amore proficiſcitur, plus oneris imponas, quam mea ſuſtinere poſſit infirmitas; exiſtimeſque non minus me moleſtè ferre, ſi quando mihi falſa laus affingitur, quam nonnullos, cùm vera detrahitur: deinde, ſi ego abs te in mea laude diſſentio, ne propterea meum in tua iudicium improbes: quod ne ſi quidem ipſe prorſus à me diſſentias, immutare, cùm multis iam patefecerim, aut velim, aut poſſim. Vale, & Sirletto noſtro, ac Pantagatho meo, vel, potiùs vtrique noſtro, dic ſalutem meis verbis plurimam. Venetijs.

HORA-

HORATIO VRSINO.

Romam. 10

VT video, Magius, amores vtriusque nostrum, optimus adolescens, nec litteris tantum, sed humanitate etiam perpolitus, exquisitum ad conglutinandas amicitias tenet artificium. nam ille me primum, iam antea commotū ea fama, quæ de tuis laudibus percrebuerat: suo testimonio vehementer in tui benevolentiam impulit: deinde, vt integrum officij sui fructum ferret, te, quoque de meo erga te studio litteris admonendum putavit, quod etsi præter opinionem meā potius, quam contra voluntatē, factum esse confiteor: tamen eo mihi nomine abs te gratias agi molestè ferrem, nisi epistola tua, distincta luminibus ingenij, index amoris in me tui, quo equidem antiquius habeo nihil, omnes animi mei partes ea voluptate perfundere, vt molestiæ locus esse non posslit, aderat, cum eam attulit Magius, legitque me confidente, semel & iterum Carolus Sigonius; qui quantum iudicio, & eloquentia valeat neque tu, nec vt opinor, iam ignorat quisquam, is ornavit ingenium tuum diuinis laudibus me prorsus, assentiente: nam quid, Magio, dicam? qui te, qualem ipse antea in omni sermone prædicaverat, talem nobis videri, mirabiliter ob eximiam in te benevolentiam, fortasse etiam iudicij sui causa, lætabatur. Nimirum habet hoc nobilitas, vt quamcūque se in partem dederit, insigne quiddam præstet. sed, quo licentius de spatio curriculoque maiorum plerique deflectunt, eo præstantiorem apud omnes homines & gloriam, & gratiam, si qui cursum tenent, assequuntur, quod tibi gaudeo contigisse: qui cum multis tum naturæ, tum fortunæ donis abundares,

dares, natus in ciuitate, orbis terrarum olim domina, nunc religionis, pietatis, iustitiæ domicilio, ortus ex ea familia, cuius nomen præclaris partum & studijs, & factis multis iam seculis per omnes gentes fama disseminauit: tamen, quasi hæc ad te non pertineant, id agis, vt vna te nobilitet virtus, &, quantum honestatis à maioribus tuis accepisti, tantum ipse posteris relinquas. quod etsi difficillimum est, præsertim his temporibus, cùm aduersentur multa, &, vt vides, ad inania quædam, neglecta solida gloria, mores incubuerint: tamen à te, freti prudentia & ingenio tuo, freti etiam constantia, summa omnia expectamus. Quæ porrò laudabilior industria, quæ cura præstantior, quam quæ in animi cultu consumitur? cùm scilicet id quærimus, ne quando impendentem fortunæ vim, optimarum artium præsidio muniti, perimescamus: ne iactemur huc, & illuc, vel cupiditate, vel metu: sed in tantis vitæ quasi tempestatibus, tranquillissimo ac iucundissimo litterarum portu perfruamur? quæ qui non videt, nec de adipiscenda virtute, quæ rationis absolutio est, assidue cogitat: ne ille eo ipso rationis munere, quo vno ceteris præstamus animantibus, indignus est. quod quidem semper sensi; licet, quò contendi non peruenerim. te & sentire idem, & posse consequi quod vis, intelligo. quòd si de præmijs cogitas; quæ proposita sint, vides, æternum decus, & bonorum amor; quem debes omnibus rebus anteponere: equidem in eo summam felicitatem ab adolescentia constitui. ex quo quanti faciam amicitiam tuam, quem nemini aut probitate, aut studio liberalium doctrinarum audio concedere, facile potes intelligere: idque vt re ipsa aliquando experiaris, operam dabo. Vale & Iulium Pogianum, familia-

rem tuum, præstantem omni laude virum, ac Hieronymum Lyppomanum, eximia spe summæ virtutis adolescentem, salutes, rogo, meis verbis diligenter. Venetijs.

OCTAVIANO FERRARIO
Mediolanum. 11

Noli putare, me tantum amici tui φιλόμαθον tribuisse, vt adhuc rem ducerem. nam, etsi de illius ingenio, doctrinâque semper optimè sensi, idque primum litterarum tuarum testimonio, pòst etiam iudicio meo commotus: tamen de tuo libro ita iudico, nihil fieri posse non modò eruditiùs, in quo meam de studijs tuis opinionem æquauit industria tua, verum etiam elegantius: quod ab excellentibus in philosophia viris, qualem te iam omnes prædicant, hodie non admodum expectatur. Quid igitur obstitit, cur non aggrederer? causam si quæris; de qua te, si res pateretur, celatum vellem: pituita, repentè commota, satis per se molesta, mox etiam, cum tussis accessisset periculosa, moram iniecit: biduum iacui, medico non admisso, accurata victus ratione contentus: in qua tu quantum ponas, ignoro; ego vtilissimam experior. nunc, quæ supersunt morbi reliquiæ, do operam, vt eas depellam, quod eadem, vt spero, abstinentia consequar. Filio iam, & domesticis omnibus rectè est. Liber tuus, quemadmodum ex paginis, & diebus rationem duco, video fore vt idibus Sext. aut planè absolutus ab operarijs nostris, aut inibi sit. itaque velim significes, quot ad te eius exempla, & cui dari velis. chartam probabis: habet enim amplitudinem, & elegantiam: spero, item reliqua. mitterem Io. Antonio, bibliopolæ vestro; sed homo est, quod inter

nos

nos dictum sit, paulò ad rem attentior, quam, vellem, nisi remittit aliquid de sua consuetudine, vix puto inter nos posse conuenire, verumtamē quid ad nos? vtamur alio, qui se præbeat æquiorem in transigendo, deinde bonum virum in fide præstanda. quod totū prudentiæ tuæ cōmitto. Vale, Venetijs.

EIDEM, Mediolanum. 12

Ego vero nihil minus volo, quam, nisi vacas, à te responderi, nam etsi mirifice delector ingenio tuo, cuius imaginem in ijs, quæ à te scribuntur, epistolis magna sæpe cum animi mei iucunditate contemplor: tamen, ne me putes in ea hæresi esse, quæ ad se ipsam refertomnia, aliorum causſa minimum laborat. cogito valetudinem tuam: cogito maximarum doctrinarum studia; amicis, & propinquis horæ dandæ sunt, inuitat humanitas; pietas cogit; cur ego te ista velim deserere tam laudabilia, tamque necessaria, studium vt expleas meum crebritate litterarum, quod expleri tamen nullo modo potest? De libro teneo iam quid velis. Typis quos probas, charta, qua vis vtemur. initium fieri ante quam redierit is, qui totam officinæ curam sustinet omnino vix potest. erat autem in Forum Iulij, sui negotij causſa, profectus eius porrò diligentiam cum in charta, tum in toto hoc genere vtilem, & necessariā esse, sæpe sim expertus, quo æquius hoc, quidquid spatij interponitur, vterq; nostrū ferre debet. atq; etiam, ne quid celē, paulo eram conturbatior, ægrotante filio, quem de tribus vnū habeo reliquum, O mi Ferrari, quantam tu debes philosophiæ gratiam, quæ te à tot curis ad iucundissimum vitæ genus ab duxit quamquam fortasse

se hoc melius: & in agendo positam esse virtutem, ne tui quidem Peripatetici negant, sed hæc omitto. In pecuniæ permutatione agnosco tuam in me beneuolentiam, pænè dixi liberalitatem, quod si arcæ meæ consultum æquæ omnes vellent, quanto mecũ ageretur commodius, nunc mihi crede, secus est; nec me tamen reclamante. Vruccio, & Capræ salutem plurimam. Venetijs.

IO. ANTONIO TVRONEO.

Vrbinum. 13

SI quisquam est, qui ex aduersa bonorum virorum fortuna solicitudinem capiat; eorumque mederi studeat incommodis; eum ego me esse profiteor, sed, cum ad opem ferendam nihil mihi suppetere præter voluntatem intelligo; sic afficior, vt me ipso miserius esse nihil putem. quod si antea sensi, certè id in tuo potissimum casu mihi contigisse, nisi vel meam consuetudinem ignoras, vel ignorari à me tuum ingenium, tuam probitatem putas, debes opinari. Quamquam cum recordor, & eadem sæpe accidisse optimis viris, & vbique virtutem honestissimum habere domicilium; nec fieri numquam, vt calamitas etiam gloriæ sit; nec vllum in te dedecus, aut facinus turpe conferri; cum hoc æterna naturæ lege, vnde humanæ leges, tamquam ex archetypo describuntur, sancitum esse videatur, vt vim vi liceat repellere, & sua cuique incolumitas prima sit: hæc, inquam, memoria, & cogitatione dum pertracto, id quod, quasi solatium quærens, sæpe libenterque; facio; lenitur aliquantũ doloris acerbitas, atq; etiam tibi, quantum licet, in medio dolore gratulor, cui nisi loci mutatio grauis est, cetera, quæ videris amisse, leuiter ferenda

esse

esse sensco. In loco autem quid te torqueat? species vrbis? ea, quæ ad oculos pertinent, nemo vmquam sapiens neque in malis, neque in bonis esse duxit: & ego, qui longe à sapientia disto, hæc tamen prorsus non amo inania, solitudine fruor quantum possum: in hac mihi viuo, & Deo: quod vnum est beate viuere. Amicorum consuetudo? quid? absentes non diliguntur? non, si volumus & quoties volumus litteratum sermone coniungimur? equidem postea qui discessisti, nescio quo modo crebrius etiam, quam cum adderas, de te soleo cogitare: & mihi scito amicorum spectra. præsertim quos virtus, & integritas commendat, esse iucundissima. sin vtilitatem aliquam, tuis necessariam rationibus, cogitas; non dubito, quin istuc, quidquid iacturæ factum est breui maioribus etiam commodis resarciatur. Nec verò, si me audies, vtilitatem vllam cum ea doctrina conferes, quam tu auges quotidie in isto otio, neminem curans, præter se ipsum: quod hîc certe non contigit. magnum est; studia posse colere quæ velis, & quã tum velis, tibi vni sementem iacere, tibi vni fructum colligere, at quem fructum? cui nec imber immoderatus, nec æstus, nec vlla calamitas noceat, nec suauitatem detrahat, sed augeat, quæ cetera omnia corrumpit, dies. Quod si tibi multorum philosophorum exemplo, vitam in patria ducere, ob doctorum hominum paucitatẽ, non perplacet: an dubitas quin te ista cura nos amici tui, si quid noster in te amor, si quid pietas valebit, aliquando liberemus? quod tamen eiusmodi est, vt non tam lætandum videatur, cùm euenerit, quam non dolendum, si sero, vel si etiam numquam eueniat. nos enim in delectu rerũ sæpe fallimur: errore mentis tanquam salutaria, quæ noxia sunt, adsciscimus; vnus eventa

rerum prospicit, vnus igitur nostra consilia gubernet, ac moderetur Deus, cui si te totum permiseris; si minimum in te ipso, in eo posueris omnis: mihi crede, ex istis molestiarum fluctibus emerges: nihil que post hac aut mali metues, aut bona frustra cupies: multa etiam, quæ non cupies, nullis accersita laboribus, aut studijs, ad te sua sponte confluent. Ego tibi opera, cura, diligentia, quæ numquam in me desiderabis, fortasse etiam consilio prodesse aliquid possum: Rafarius, qui publicam personam gerit, etiam auctoritate adiuuabit, quē licet existimem, quantum valet, tantum tua causa velle; tamen, suadeo, literis eum interdum appelles; rogesque, vt respiciat fortunas tuas, & aliquid eis, atque adeo multum cōgratationis impertiat. Caluino optimo viro, mihique vetere benevolentia coniunctissimo, amoris, & studij ega te sum ipse optimus testis: sed ætas iam obstat quo minus ea quæres postulat, obire, & exsequi possit omnia. itaque, nisi me fallit opinio, totum in Rafario, est, nam ego, vt scis, vel infirmitate valetudinis vel diuturna iam consuetudine, & voluntaria quadam desidea, loca publica non admodum frequento: quo familiaritates intermitti, & ex eo amicitias si quæ penitus virtute non hærent, paullatim dissui necesse est, testimonium tamen iudicij de te mei nullo loco deerit, & de doctrina quidem, vt spero, fidem faciet oratio nostra: eloquentiam vero, in qua tibi quantum tribuā cum alij, tum omniū modestissimus, & ingeniosissimus adolescens, Franciscus Vianellus à mè sæpe audijt, tua scripta facile probabunt. Vale. Venetijs.

ITEM vt iam re purgas quod in discessu tuo, menses

menſes fere quatuor abfuturus, ad me non adieris, quem, vt opinor, tui cupidum ac peramantem cognoueras. ego autem, etiamſi repentinam illam diſcedendi neceſſitatem litteris minùs excuſaſſes; tamen vide, quàm faueam amicitiæ noſtræ, & quam non ſtricto iure tecum agam; numquam mihi perſuaderi paſſus eſſem, hoc abs te ſalutationis officium vel noſtri obliuione, vel contemptu, vel vlla omnino inhumanitate tua tuiſſe prætermiſſum. quare accipio excuſationem tuam: ſperóque, te operam daturum, ne vtaris ea poſthac: idque mihi ſcito fore iucundiſſimum. nam cum ſemper dilexerim plurimum. à quo primum die mihi cognitus eſt, parentem tuum; cui te cupio, & ſpero ſimillimum fore in ijs artibus, quibus honeſtius, aut glorioſius eſſe nihil poteſt: tum verò ſtudia tua, ingenium, quique lumen, & ornamentum ingenij ſunt, mores, ita me tibi adiunxerunt, vt omnibus te laudibus libenter cumulem, nihil de te, quod indecorum, aut turpe videatur, ne ſuſpicari quidem velim. Equidem mirifico tenebar deſiderio tui, tum vt mandata darem de quibus ageres cum patente tuo; tum etiam, vt, quo tibi ſtudiorum genere totam ætatem in patria traducendam ſtatueres, à te ipſo cognoſcerem: vt vel ex optima tuorum conſiliorum ratione voluptatem caperem; vel, ſi quid contra ſentirem, indicarem ſententiam meam. quamquam, cùm domi habeas, vnde diſcas, & vnde præclara quæque ſumas; neque te meis, neque cuiuſquam egere præceptis intelligo. verumtamen verus amor latere non poteſt, oſtentat ſe, vbi etiam minimè opus eſt. Ac tu quidem percommodè feceris, ſi, quod coram non licuit, fortunæ potius culpa, quàm tua, id tibi agendum per litteras exiſtimabis, vt aliquid de quotidiana tua tum lectione,

tum etiam, sine qua lectio pænè inanis est scriptione significes. non enim te puto vel desidiæ quidquam loci relinquere, vel ijs leuitatibus, in quibus pleriq; adolescentes insaniunt, operam perdere. scis, quod sapientissimi homines prodiderunt, imitatricem boni voluptatem falsa specie decipere, illecebrã esse turpitudinis, escam malorum omnium, qua capitur ætas improuida, nec se captam sentit, nisi cum imprudentiæ pœnas luit. atque hoc in genere labi, & errare, cùm cæteris turpe sit, ijs videtur esse turpissimum, quibus ad amplectendam honestatem præcepta non defuerunt, &, præcepta si valent, quæ tibi ego, pro meo in te singulari studio, deesse non patiar: quanto plus valere exempla æquum est, præsertim quæ posita ante oculos sunt, quæ tibi nũquam intueri non licet, quæque familiæ quantam quotidie laudem pariant facilè potes intelligere? itaque non à te mediocre aliquid, sed summa omnia expectari, nec expectari solum, sed exigi etiam quasi debita, debes cogitare. quæ si præstas, lætitia quidem parentes tuos, quibus potissimum, & patriæ natus es, afficies incredibili, te ipsum autem perpetuis instrues, maximisque bonis; nec illa timebis externa, quæ casus, & fortuna inuehit: sed, à te ipso pendens, nullis obiectus iniurijs, firmissimo artium optimarum præsidio munitus, vitam deges beatissimam, æternámque posteris tui nominis memoriam relinques. Vale. Venetijs.

OCTAVIANO FERRARIO.

Mediolanum. 15

O PRAECLARAM παλινῳδίαν! at ego, tuarum literarum memoria, contulciam in eum perpetuo

quodam

quodam ſtudio, quidquid præſtare poteram officij operæ diligentiæ, nec me tamen pœnitet, eo proceſſiſſe, vnde nunc tu ipſe pæne reuocas, mutare autem conſuetudinem, præſertim in bene merendo, vix licet: nam illa ſuperiora, ſi doctrinæ non vis, in quo me fefellit opinio humanitati certe dedimus. nunc dandum eſſe aliquid conſtantiæ, ne noſtrum damnemus inſtitutum, profecto vides. verum abſit iã hoc argumentum â litteris noſtris: valeant ea, quæ iucunditatem non habent, quam equidem non modo ex tuis elegantiſſimis epiſtolis, verum etiam cum ipſe ad te ſcribo, capere mirificam ſoleo, nihil eſt tanti, quod cum ſermonibus noſtris permutari debeat. Nec, de nobis ipſis quod ſcribamus; deeſſe vnquã patietur mutui amoris abundantia.

De libris tuis, dedi negotium homini domeſtico, vt à peritis de ratione vecturæ cognoſceret, eoſque quamprimum iſtuc mitteret, quo ille, vt eſt omnibus fere iucunda negligentia, fortaſſe nondum fecit, vrgebo litteris, & mandato renouabo, Suilla farcimina curaturum te ſignificas: in quo amo voluntatem tuam: quod autem addis, non antè, quam extremo menſe; ne, cum recentia ſint, incluſa corrumpantur; conſilium probo: quoniam veſtra iſtius generis obſonia, qui palato ſapere putantur, ſine exceptione laudant; nec arte, quæſtuoſas officinæ temere dediſcunt: puto fore ſuauiſſima.

Sed audi, quod eſſe totum aliud intelliges, id eſt aliquanto magis ad me pertinere. κακοσόμαχοι ſumus, & cruditate laboramus, id quidem à puericia: ſed auxit vitium aſſiduus litterarum vſus, quo adempto, quæ nobis, qui vulgaria contemnimus, delectatio, vel potius quæ vita ſupereſt? quare ignoſce, ſi mihi non impero: quod ne quidem, opinor, facis quæſitum inter medicos eſt, ecquid adiumenti

iamenti aque sulphureæ potus afferre posset, variè sentientibus, recusani; ne, quod aiunt, de sorte etiam in dubium venirem, de gutta capiti instillanda sermo fuit, ne hoc quidem placuit; ne memoriam perichitarer. venturo denique ad victus rationem, præbui me facillimum, quidquid vellent, in primis radicem probarunt; quæ Irios vocatur: quam condiri apud vos egregie, ferunt. eam igitur, quod tuo commodo fiat, velim perquiras, inuentamque & mediocri vasculo diligenter inclusam, cures aliqua ratione perferendã. quidquid erogaueris, bona fide, cui voles, hic numerabitur. Alexandri παράφρασις nondum ab eo, cui frater commodauerat, extorqueri potuit: nec ego vtsi vehementer, posteaquam, non ab Aphrodisiensi, cuius in eo libro mentio fit, sed, à posteriore Alexandro scriptum cognoui: quod etiam χαρακτὴρ declarat. Vale, & Cruceio, Capræque; communibus amicis, familiaribus tuis, quos vtinam aliquando complectar, salutem plurimam. Patauij.

IO. BAPT. RASARIO.

Venetias. 16

AMO te vehementer de Ferrarij epistola: quæ mihi ita placuit, vt nihil vnquam legerim libentius. sane causam suam diligenter agit, & mihi quidem egregie probat: quamquam multis iam annis eam imbibi mimo de illius ingenio, doctrinaque opinionem, vt errare nihil credam, si quis multorum rationibus vnam eius auctoritatem anteponat. quam tibi quoque sententiam probari, cum intellexerim antea, cumque, vt vere dicam, hoc ipso nomine plurimum accesserit ad beneuolentiam in te meam:

cupio

cupio de nunc ne leuissime quidem à te ipso diffidere, idque mihi cum facile, pro eo iudicio, quod de tua virtute semper habui, tum etiam, pro meo erga Fertarium singulari studio, libenter persuadeo. Sed vt redeam ad epistolam; uides quam erudita, quam ingeniose disputet: quam tecum amice, quamque (vt apertus, nec vlla rectæ simulationis labe suffusus eius animus est,) ingenuè & simpliciter agat. alienatæ vero à te voluntatis, cum caussa nulla subsit, ne signa quidem vlla te eius litteris mihi videor agnoscere. de quo quia te nonnihil exposita tua sensi laborare, nec iniuria: vetus inter vos amicitia fuit, eritque, vt spero, vitæ æqualis, maximis illius in te meritis, ex cui mihi prædicatione cognitis, nou vulgaribus tuis in illum officijs cultaque purgabo, te apud eum primis litteris accuratissime. nec ab illo probata damnasse, aut omnino in dubium reuocasse, sed quæsisse nonnulla tanquam à magistro tuo, veteremque in eo consuetudinem retinuisse, si volueris, ostendam. non dubito, quin, si qua ei de tuo sensu, quod equidem vix opinor suspicio hæsit, amouear, ac se tibi quam primum restituat, nouit hominis lenitatem: beneuolentiam in te vidi: isque meæ in te beneuolentiæ fons, ea primum origo fuit. nec enim, quæ de te olim ad me scripserit, possum obliuisci, nec si possim, velim. Illud à te, mi Rasari, si quid nostra etiam caussa vis, etsi necesse non arbitror, tamen vehementer peto, & si pateris, rogo, non vt optimum virum, doctissimum hominem, Fertarium, tuæ laudis auctorem, quod is tibi ad philosophiam aditus aperuit, viamq; muniuit, obseruies, ac diligas; quod à te fieri, certo scio: sed vt in omnibus officijs, quæ ad illius non modo dignitatem sed etiam voluntatem pertinebunt, certare mecum velis. in quo te mihi parem

esse

esse percupio, vinci nunquam patiar. vale, & Magistrum nostrum, singulari adolescentem ingenio, tibi pro tua doctrina, mihi pro meo in eum nō mediocri studio deditum, saluta. Patauij

Hæc dictaui, vt soleo, filio meo: nam vt scriberem ipse mea manu, neque per medicum licebat, nec sanè stomachi ferebat imbecillitas.

ANTONIO ROLANDO. 17

STVDIVM tuum in exhauriendis mandatis meis, celeritas in rescribendo, quorum ego à te alterum pro nostra coniunctione exspectabam, alterum autem pro tuis occupationibus postulare vix audebam, magnam habent significationem amoris in me tui: cui quidem, si paribus non licebit officijs, pari saltem vt amore respondeam, operam dabo; nec dubito, quin consequar: atque etiam, quod mihi vel iniurato velim credas, me iam esse consecutum intelligo, qui enim, tua quæ fuerint erga me officia meæ quæ sint partes ignorare possim, aut non assiduè cogitare? Ego, Rolande, quo primum die, cum lectissimo adolescente, familiari tuo itemque meo, *, accessisti ad me, dilexi mores tuos, in quibus ingenui multum pudoris, qui probitatis index est multamque prudentiam elucere vidi paucis diebus, cum de nostris delectationibus, id est de communibus litterarum studijs, colloqueremur, probasti mihi ingenium doctrinamque tuam, & ad meam de te opinionem, * testimonio excitatam, plurimum addidisti, posted facile inter nos exorta familiaritas: vel quod multis in rebus nostri sensus congruere viderentur, & latentis quædam naturæ vis animos vtriusque coniungerent: vel quod assiduitas tua pæne quotidiana, vsusque domesticus

nihil

nihil amicitiæ noſtræ deeſſe pateretur. Me deinde Venetias rationes meæ, te non ita multo poſt Lutetiam vocarunt ſtudia tua, manet amor tamẽ, in me quidem is, qui fuerat præſente te, vigetque memoria tui, nec locorum, aut temporum interuallis vnquam euaneſcet. quod niſi me tuæ laudis magna quædam cupiditas teneret; angerer, quod abes, &, vt audio, futurus es: ſed verſari, te in iſta eruditorum hominum celebritate, fruí conſuetudine, doctrina que Hadriani Turnebi, quem iam pridem omnes cantant, ego orno, quantum poſſum, in ſermonibus meis, niſi vehementer gaudeam; te non amem, nec quem ames ipſe, quod in primis cupio, dignus ſim. Quare noſtra etiam cauſſa contende, vt, quo conſilio Lutetiam petiuiſti, id quàm maximè, quamquam licet celerrimè conſequaris, referad nos illa præclara, quorum gratia diſcedendum tibi à tuis, perferenda longi itineris incommoda, aſperimarum alpium perpetuis obſeſſa niuibus iugã ſine magno periculo ſuperanda exiſtimaſti. Quo de genere tecum agam breuibus; quia, ſenſus cum optimè tuos habeam cognitos, non dubito, quin ſæpe tibi veniat in mentem, ex iſta vrbe, quo, tanquam ad ampliſſimum artium ingenuarum mercatum, libenter omnes confluunt, inanem redire, quàm non deceat. Quod ſi te, ſtudio cognitionis incenſum, cetera, quæ iſtic habes plurima, liberalium doctrinarum adiumenta delecerint: vnus tamen idemque ille, quem paulo antè nominaui, qui præter ceteros cum litteris humanitatem, Græca cum Latinis, antiquæ philoſophiæ ſcientiam, quod è ſcriptis eius facilè cognouerim, cum elegantiore doctrina coniunxit, vnus, inquam, tibi inſtar eſſe omnium Turnebus, vnus & ſuo te commouere exemplo, & ſuis adiuuare plurimum documentis, con-

consilijsque posset, cuius vt a latere, quo ad hominis permittet humanitas, ne vnquam discedas, & istam vrgeas occasionem, diuinitus datam, adipiscendæ virtutis, si tu is esses, qui naturam humanam sola perfici virtute nescires, hortarer etiam, atque etiam: idque libenter tribuerim amicitiæ nostræ: sed cauendum intelligo, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας; cum tu ibi sis, vnde ad alios præclara instituta, vnde laudabilis vitæ ratio, & sapientia fere manat omnis. Viam & rationem Latine scribendi, obsecro, mi Rolande, cur a me petis, cum is, quo ego vno magistro sum vsus, & tibi, & omnibus Cicero pateat? an tu me vel huius generis reconditum aliquod te nere artificium putas, à quo longe absum, vel, si tenerem, posse fieri, vt ab vllo, præterquam ab hoc ipso, cognouerim? nec tamen, vtiliter quædam præcipi, & ad artem posse redigi, negabo: sed mihine tantum oneris imponis, cui nec à domesticis curis otij multum est, & id ipsum, quod est, vel amicis officij caussa, vel valetudine necessario tribuitur? Scripsi olim de meis exercitationibus nescio quid, à nobilissimo viro, bonarum artium patrono, Stephano Saulio rogatus: & fortasse digitum ad eum fontem intendi, quo si accesseris, non dicam equidem istam eloquentiæ sitim explebis, sed, vt arbitror, nihil inde non purum, nihil inquinatum hauries. exstat ea, cũ aliis edita, epistola, si videbitur, leges: aut, si legisti, & quæris amplius; à me cur exspectes, quem respirare negotia non sinunt, hoc quidem tempore non est: pete ab istis, qui vacant, optimis, & scribendi, & iudicandi magistris. De Laertio, & quod egisti, pergratum est; &, quod acturum te ostendis, id si præstabis, maximam inibis á me gratiam. Turnebus, vt me plurimum diligat, quod certè mutuò faciet, exopto: plurimum vt mihi tribuat, quod litteræ

teræ tuæ significant, non postulo. quid enim ego sum? aut, si esse aliquid videor, præ illo tamen quid sum? non enim χαλκια χρυσείοις vnquam conferam ne cum Homerico Glauco errem, sed χρύσια χαλκείοις anteponam semper. Ille est cui iure omnia tribuantur, qui iam peruenerit eò, quo nobis adspirare non licet. Saluta, eum meis verbis, cum veterrimo amico meo spectatæ virtutis, & industriæ viro Carolo Stephano. Vale. Venetiis.

CAROLO SIGONIO.

Patauium. 78

Egi diligenter, quod mandaueras, præcisè negauit, ac vsus etiam nonnihil molestè ferre, sed mihi crede, huius generis pæne magistro, vestri sensus non congruerint, nihil morosius. ô multa in omnibus intolerabilia! quæ nobis tamen, mi Sigoni, qui à libris nescio quid plus, quam ceteri, sapere didicimus, ferenda sunt, quamquam tibi quidem, pro tua prudentia, atque etiam pro superioris vitæ perpetua consuetudine, nihil difficile. Sed, Patauij te nunc esse, in celeberrimo Italiæ theatro, vbi spectatur, & notatur acerrimè, quidquid agas, quidquid dicas, & sæpe misi, nec vnquam sine aliquo metu, in mentem venit. sic sunt, qui amant: omnia cupiunt, omnia timent. Vides, quo te in loco tua virtus, quanta omnium exspectatione, constituerit, nihil mediocre præstandum est: nec, vt cum alijs, quibus te iam doctrina, industriaque antecelluisse omnes iudicant, sed tecum ipse certes, teque ipsum, si licet, vincas, omnique laudis genere cumules, elaborandum, quæ, cum, ad quem scribam, considero;

& cum

& cum mihi singularem tuam rectissimis in studijs cupiditatem, ac diligentiam propono, mirificè lætor nec me tamen pœnitet hoc nostræ necessitudini tribuisse, vt ea legas à me scripta, quæ minimè necessaria duxerim. Hesternum diem puto te mutuis cum Pace Scala sermonibus iucundissimè traduxisse: quem volo à te amari plurimum: vel quod ab illo te quoque amari plurimum sensi; vel quod eo nihil humanius, nihil amabilius, præterea, quod te vehementer mouebit, multis nominibus ego illū in oculis fero. nec in eo riuales habeo paucos. Faloppio nostro si discessum meum acculaueris, cum vxoris morbus vrgeret; gratissimū erit, nec tamen diutius hic me commoraturum puto, tanti nihil est, vt vobis carere possim. Interim vale, &, si vacat, scribe, non accurate, sed, vt ego nunc, quidquid in buccam: ne pereat omnino fructus nostrorum sermonum: quem litteræ restituent; paullo feram leuius absentis tui desiderium: cuius igniculum, à cubiculo meo cum discederes, sentire cœpi: nec deinde tuum spectrum discessit ab oculis meis. Venetiis.

MARCO. ANTONIO MVRETO *Romano.* 19

GAVDEO, mi Murere, quod profecto etiam me tacente existimas, te nauare operam Regibus, ingeniumque tuū, quod ego semper vnice dilexi, extulique laudibus, à tanto Pontifice, & ab vniuerso Cardinalium Collegio vehementer probari. nam, si qui aliter sentiunt: quamquā quis est, qui aliter sentire possit veruntamen si qui fortasse reperientur, quos liuor impediat, quo minus rectè ac

sincere

sincere iudicare possint; de ijs laborandum non erit: cùm te præsertim ille noster, quem sequuntur multi, sed ille præter cæteros, qui nobis quasi μητὶ ἐταζεὺς debet esse, non mediocriter ornet, atque diligat. Hæc altera tua oratio priorem illam vel æquat, vel vincit, sententiarum, verborum, ordinis præstantia. quo in officio, ac munere cupio te pergere. simul enim perges in expedita, maximéque directa gloriæ via, per quam processisti iam longissimè, nemine præcurrente, me fauente plurimum. De tua in me beneuolentia, cùm recordor meam, dubitare non possum. meum in te animum expertus iam es. eundem si & esse nunc, & perpetuò futurum arbitraris, non fallam opinionem tuam. nam & mea non solùm consuetudo, sed etiam natura ita postulat: & tu perficis eas laudes, quarum principia me olim, exspectantem id, quod præstare te nunc video, in tui amorem impulerunt. Habeo summas gratias, quas agi à te cupio, Archiepiscopo Beccatellio: eumque meo nomine, vt quàm licebit officiose, quamque plurimum salutes, valde rogo. *, vt scribit ad amicos, floret honoribus in patria, carus Imperatori, iucundus omnibus. nosti humanitatem, & ingenium: doctrinam auxit à discessu tuo, quantum vix credas: itaque summa omnia de illo adolescente sperare nobis licet. Duareni obitu, de quo heri primum à Germano homine, qui ex Gallia recens venerat, accepi, damni plurimum in iure ciuili factum est. equidem dolui vel tua caussa, quòd eum à te amari senseram. quamquam hæc, si ferret humanitas, prorsus dolenda non essent. quid enim proficimus? angi quidem grauiùs, neque communis conditionis necessitas concedit, & vitæ commutatio, breuissimæ cum æterna, miserrimæ cum beatissima, valde vetant. Ego nunc, quod accep-

tum diuinæ benignitati refero, quódque tibi puto fore iucundissimum, valetudine vtor satis commoda, oculis quidem optimis, quod aliquot annis non contigit: itaque, cùm otium non feriem, (scis enim me quiescere non posse) commentarios in reliquas Ciceronis epistolas cœpi texere: &, vt initia sunt, prorsus industria non οἰχεῖα. absolui, vt mihi quidem videtur, maiorem partem, id est tres primos libros. &, extra ordinem, octauum. in quibus, vt dixi iam, nisi me communis φιλαυτία decipit, non videtur opera malè collocata. Habebis in causula de Petro Fabro, tuo dicam, an meo? ita me tiduo cepit, sibiq; deuinxit ingenio, humanitate, prudentia. planè vixi quàm diu mecum fuit: nec mediocri sum amore discedentem prosecutus: næ tu, si nihil præterea mea causa velles, qui & vis, & egisti iam plurimum, tamen hoc vno munere, quòd auctus per te sum tam ornati adolescentis amicitia, meis omnibus in te studijs, quæ tu merita vocas, optimam gratiam retulisti. Vale. Venetijs.

HIPPOLYTO CAPILVPO
Episcopo fanensi.

SANE postulabat mea peruetus in te obseruantia, ex ingenij tui præclaris orta monumentis, vt aliquid ad te litterarum darem: sed me dignitas tua semper, & persona deterruit, verentem, ne talem virum, tantarum rerum occupatione distentum, inanibus appellare litteris, pudentis hominis non esset. nunc, vt verè dicam, pænè accuso modestiam meam; quòd, dum cogito ad te scribere, nec tamen consilium explico, interea tua fecit singularis humanitas, vt anteuerteres. quãquam cur ego apud te, maxi-

maximarum virtutum laude præstantem, ad quas mihi adspirare non licet, plus residere officij molestè feram, cùm præsertim hoc ipsum amoris in me tui, quo equidem antiquius nihil habeo, non obscurum argumentum esse videatur? Quocirca, vt interdum me pudet pudoris mei, quòd nihil ad te scribere sim ausus, cùm tamen maximè cuperem: sic ista tuæ voluntatis erga me declaratione, istis etiam laudibus, quibus me ornat epistola tua, mirificè delector, noli enim existimare, si quid vnquam meis laboribus ac vigilijs non contemnendum præstiti, me fructum vllum, aut mercedem præstantiorem exspectasse, quàm quæ ex tuo, tuique similium iudicio, ac testimonio percipitur. quod si assequor, triumpho. sin, quod suspicari facilius possum, ita me laudas, vt quasi deficientem in cursu tua voce impellas, ne sic quidem vulgari me munere obstringes; cùm ad cohortandum, atque incitandum, si vlla res, certè tua plurimum valeat auctoritas. itaque enitar, ne tu me non bonum tuarum litterarum interpretem fuisse putes. incumbam enim paulo acriùs ad ea, quæ qui possidet, iure laudem fert. Tibi verò, quod ad me tam humaniter scripseris, quodque vltrò ipse mihi diu exoptatum ad tuam amicitiam aditum aperueris, si, quam debeo, gratiam referre non potero, habebo saltem, vt priores officij partes reponàs tibi, quàm studio & voluntate concedam. Vale. Venetijs.

NICASIO CASLETANO. 11

QVANTVM mihi voluptatis attulerant litteræ tuæ, summæ tum humanitatis, tum etiam doctrinæ notis insignes: tantum postea doloris, ac molestiæ, erepta ob aduersam valetudinem respondendi

facultate, susceperi. non enim aut is ego sum cui quidquam prius officio sit; aut eum te esse ex * litteris cognoui, cuius amicitia contemnenda potiùs, quàm appetenda videatur. sed omitto * vel testimonium, quod apud me ponderis, sicuti debet, habet plurimum, vel voluntatem, cui libenter omnia tribuerem: ipsa, quam ad me misisti, epistola, quid est, quod impetrare non possit? scripta primùm humanissimè, cùm beneuolentiam in me tuam significes, meam exoptare videaris; deinde ita eleganter, ac disertè, (ne viuam, si mentior) vt ego tibi in hac eloquentiæ laude comparem sanè pauciss imos, anteferre debeam neminem. Quare cùm istam animi tui singularem in me amando, atque etiam laudando liberalitatem libenter amplector: tum verò, me tibi parem in vtroque voluntatem reddere, idque non tam officij tui magnitudine prouocatum, quam iudicio facere, velim existimes. Tu videris, quid de me sentias, & quo me loco reponendum statuas: non enim ita laudem aspernor, præsertim quæ ab ijs, de quibus bene omnes existimant, proficiscitur, vt quã de studijs meis opinionem suscepisti, eius deponendæ, aut imminuendæ, tibi auctor esse vnquam velim. Ego, quod ad me attinet, si qua tui dabitur facultas ornandi, plena manu tuas virtutes ad cælum tollam: studio quidem. & amore ne vincar, & enitar, vt soleo, diligenter, &, vt spero, consequar. præsentem scilicet mutui sermonis suauitatem longinquitas aufert: litteris tamen, si valebo, quod adhuc non contigit, ne prorsus abesse videamur, operam dabo. Vale, & * meo salutem. Venetijs.

IVLIO BELLOGRADO.

Vinum. 22

AMABAM te antea, mi Iuli, quod esses eo patre natus,

natus, cuius excellentem probitatem, atque doctrinam non præsentes modò, sed longinqui etiam prædicant, ego summam in me humanitatem sæpe sum expertus: nunc, ista indole, isto te ingenio præditum esse cùm intelligam, vt paternam virtutem, tanquam amplissimum patrimonium, non modò conseruare, verùm etiam augere possis; an dubitas, quin omnia in te studia, libentissimè conferam? quibus addam officia, cùm licebit: &, vt sæpe liceat, exopto. Perge, adolescens egregie, mihi carissime, in isto ad laudem cursu. viam iniuisti, quæ te ad immortalitatem feret, directam, expeditam, à vulgi erroribus longè remotam. quo tibi nomine gratulor, mihi gaudeo plurimum, &, vt perpetuò gaudeam, futurum confido. species enim virtutis eximia, quo propiùs eam adspexeris, eo te commouebit magis, & amorem sui mirabilem excitabit. interim contemplare actiones prudentissimi viri parentis tui: ad eius te imitationem totum finge, atque conforma; vt haurias ab eo laudem tuam, quam capere vberiorem ex nulla disciplina potes. Me velim existimes omnibus de te maximè polliceri, & in te amando, si patrem excipias, nemini concedere. Filius meus te sibi maioris fratris loco ducit; nec vllum tui ornandi, quantum in ipso erit, locum prætermittet. Vale.

HIERONYMO SERIPANDO CARDINALI CREATO.

Romam. 23

A quo primùm tempore aliquid sapere, id est à vulgi opinionibus dissentire cœpi, semper ita iudicaui, multo esse optabilius, multóque præstantius, consequi virtutem ipsam, quàm ornamenta virtu-

tis. itaq; nunc, allato de tua dignitate nuncio, quem hic ingenti lætitia boni omnes exceperunt, non sanè tua cauſſa magis, quàm antea, pro communi quidem Eccleſiæ bono, cui tantum ex honore tuo præſidij, tantum ſplendoris acceſſerit, magnopere ſum lætatus. tu enim is es, cuius animus hæc humana numquam ſpectauerit, ſemper omnem ſpem, omnémque gloriam, ac felicitatem in vno Deo, & in illa cæleſti vita, rectè, ac laudabiliter agentibus propoſita, collocarit. Cui ſunt occultæ mirabiles illæ tot animorum cogitationes, actiones, conciones tuæ? quæ ſi obſcuræ fuiſſent, vno illo facto illuſtrarentur maximè, cùm illa Præfecturæ generalis inſignia, quæ libenter omnes aſſumunt, multo ipſe libentius depoſuiſti. Quocirca non equidem magis, quia Cardinalis nunc es, quàm quia ſemper ita vixiſti, vt Cardinalium collegio digniſſimus eſſes, & mihi, & omnibus lætandum intelligo. nec verò ſingularem, ac diuinam Pij 4. Pontificis Max. ſapientiam admirari, & efferre laudibus vmquam deſinam, qui vexatam aſſiduo prauarum opinionum impetu, nec mediocri periculo fluctuantem Chriſtianæ reip. nauem, auctoritatis, & doctrinæ tuæ pondere conſtituendam putauerit itaque non iam illas à ſeptentrione horribiles procellas, à quibus antea naufragium impendere videbatur, poſthac timebimus. Pio 4. gubernante, quod vtinam diuina benignitas diuturnum eſſe patiatur, tua. Seripande, tuorúmque ſimilium ope, ſumma tranquillitate perfruentur. id & ſperamus, iam indicto Concilio, quod vnicum tantis malis eximia ſuperiorum Pontificum ſapientia remedium inuenit: & mihi quidem ſi contigerit, vt ad eam diem ſpiritum ducere liceat, cùm ſublatas in perpetuum exitioſi diſſidij cauſſas, vnam in communi ſalute voluntatem, vnum gregis

vni-

vniuerſi paſtorem, ac moderatorem videam; ſatis me vixiſſe arbitrabor, & planè lætus ex hac vita diſcedam. Interim fruar expectatione; & tibi tuiſque virtutibus, quas omnes laudant, vtinam imitari multi vellent, eam, quam debeo, obſeruantiam, beneuolentiamque præſtabo. Vale. Venetijs.

ALOYSIO ESTENSI CARDINALI CREATO.

Ferrariam. 24

MVLTA, & magna Principibus viris, inter quos, Aloyſi præſtantiſsime, tua præcipuè nobilitas elucet, ad ſtudium eximiæ laudis adiumenta ſuppetunt: quæ ſi comitetur voluntas, excellunt facile, ſic, vt ad immortalitatis præmia, cum quibus non opes, non imperia ſapientes comparant, expedita quadam, & quaſi compendiaria via perueniant. Hoc tibi contigiſſe, cum omnes antea fatentur, grauiſſimum acceſsit Pij 4. Pontificis Maximi teſtimonium, qui te, diu experitum, pænè recuſantem, non rogantem quidem certè, in ampliſſimum Cardinalium Collegium, ipſo maximè comprobante Collegio, ſumma honorum lætitia, prouimè cooptauit. Reſtat, quod futurum nemo dubitat, & tua ſuperior vita pollicetur, vt iſtum honorem pro tua, maiorumque tuorum dignitate adminiſtres. quod facilè conſequeris, ſi te quidquid ſtatues, quidquid ages, Cardinalem eſſe cogitabis, id eſt ex eo Ordine, vnde maximi, ac præpotentis Dei Vicarij, rectores humani generis, Pontifices deliguntur. Locum tenes, quem ſumma dignitas illuſtrat, & in quo nullum neque dictum, neque factum obſcurum eſſe poſſit. nec tibi aut à natura quidquam,

aut à fortuna denegatum est, quo minùs amplissimo te dignum sacerdotio præbeas. operosum alijs, & perdifficile sit, vt est omnino, ac semper fuit, rectè, & laudabiliter agere: Aloysio Estensi, in tanta ingenij, animíque præstantia, tam propensa ad honestum voluntate, tantis etiam opibus, quis aditum veræ laudis non patere, quis æternæ viã gloriæ non esse facillimam existimet? Gaude igitur tam excellenti bono; & incumbe totus in eam curam, vt antiquum familiæ tuæ decus, per tot secula, tot Ducum, tot Regum, & Imperatorum virtute partum, non tueare solum, verùm etiam vehementer augeas. nam nunc quidem eo tantùm nomine tibi gratulamur, quòd simul cum isto honore præclaram sæpe exercendæ virtutis occasionem accepisti. cumulabitur lætitia & erit aptior gratulandi locus, cùm hæc honorum insignia, quæ multis oneri fuisse constat, iustitiæ, pietate, omniq; beneficentiæ genere ita sustinebis, vt & optimi Pontificis iudicio, & bonorum exspectationi, qua nulla maior vnquam fuit, egregiè satisfacias. quod euenturum breui, omnes confidunt: ego, pro meo in te singulari studio, quasi iam euenerit, præsenti gaudio cupiditatis meæ fructum capio, Vale. Venetijs.

IO. BAPTISTÆ SARACIO.

Ferrariam. 25

SEMPER equidem existimaui, quod tu quoque sentis, doctissime Saraci, non minimum fortunæ præstare virtutem; in qua etiam vna satis esse ad bene beatéque viuendum putarunt multi: tamen incidunt quædam tempora, cùm ipsi etiam habenda fortunæ gratia videatur. quod mihi nunc gaudeo contigisse. nam cùm, aliquot adhinc annis, consentiens mul-

multorum sermo, eximias ingenij tui suauitates assiduè prædicantium, in eam me voluntatem, ac mentem adduxisset, vt diligerem te vehementer, & colorem: casu accidit proximis diebus, vt auctoritas tua, magnis atque perpetuis erga principes tuos meritis, virtutibusque parta, expedire me hærentem, atque impeditum perdifficili negotio posset. hoc ego fortunæ meæ non vulgare beneficium esse duco. alterum est tuæ virtutis, quòd, cùm tibi meam cupiditatem vir egregius, omniumque humanissimus, Paulus Sacratus ostendisset, contulisti statim ad rationes meas studia tua, spémque nostram, iam propè languentem, atque abiectam, erexisti, & confirmasti promissis primùm, deinde etiam officijs tuis quo quidem in me singulari merito, quibus tibi verbis gratias agam, planè non reperio. vincit enim, vincit prorsus, optime Saraci, ingenium meum humanitas tua. sed hoc ipso fit virtus illustrior, cùm in eos beneficia conferuntur, qui satisfacere non modò ipsa re, sed ne verbis quidem vllo modo possint: quod tibi persuasum esse quis dubitet, qui consuetudinem benemerendi tuam, à præstanti quadam natura ortam, liberalium doctrinarum studio mirabiliter auctam; cognouerit? veruntamen, quando mihi non simul cum facultate voluntas quoque eripitur remunerandi, nonnihil in molestia gaudeo, & fruor tacitus officij conscientia, nec tamen futurum despero, vt, quæ mihi nunc ad grati animi significationem deesse verba sentio, eadem aliquando abundent, in tua benignitate apud alios prædicanda. Interim sine me hoc impetrare ab humanitate tua, vt multo maiorem esse putes obseruantiam, ac beneuolentiam in te meam, qu m vllo vmquam à me exprimi, ac declarari officio possit: quod si, vt spero, facies; mihi crede, præsentem gratiam,

tiam, quam ex primis Sacrati mei litteris absolutam exspecto, haud paulo maiore gratia cumulaueris. Cupio, nisi graue est, à te salutari meis verbis Io. Baptistam Pignam. Vale. Venetijs.

PAVLO SACRATO.

Ferrariam. 29

SOLET interdum euentus esse gratior, quàm caussa, interdum etiam caussa, quàm euentus. me delectauit vtrumque pariter in litteris tuis, nam, & vt Latinè ad me scriberes, homo tum domesticis curis, tum etiam sedandis, vt audio, multorum controuersijs assiduè distentus, certè amor impulit, atque humanitas. & epistola tua ita mihi ornatè, ita copiosè omnes non modò animi, verùm etiam ingenij tui partes expressit, vt nihil vmquam legerim libentius. Ego tibi antea, optime Sacrate, tribuebam, sanè multo, quæ pauci consequuntur, prudentiam, integritatem, doctrinam, maximè verò præstantem quandam ad excolendas officijs amicitias & voluntatis, & naturæ propensionem: istam verò orationis exornandæ facultatem, quæ cùm multi temporis, magnaq; videtur esse industriæ, tum verò, vt ego sentio, atque vsu etiam didici, ab intimo quodam: planèque recondito depromitur artificio, vix putabam tibi inter diuersa planè studia posse contingere. sed videlicet me fefellit, quòd ingenium tuum communibus metiebar exemplis: nec mihi veniebat in mentem, auunculi tui Cardinalis, Iacobi Sadoleti, præceptis, & consuetudine domestica aditum tibi ad omnem gloriam esse patefactum, nam, cùm ille cunctis virtutibus, quas laudabit posteritas omnis, assequetur fortasse nemo, bonorum, ac sapientium iudicio virorum excelluerit: hac tamen

men in primis Latine scribendi laude ita floruit, vt veteres illos propemodum æquauerit, nos quidem, per eandem viam cupientes excurrere, longè reliquerit. sed vt ex epistola tua conjicio, conseruabis hoc quasi patrimonium, familiæ vestræ proprium; & hæc tibi communis hæreditas erit cum patrueli fratre tuo, Paulo Sadoleto, quem omnes homines ad egregia quæque natum intelligunt. Equidem in hoc mihi ipse primùm gratulor, qui tibi harum litterarum, quibus nescio an quidquam non modo humanius, verùm etiam ornatius esse possit, caussam dederim. nam Iosephum Fasinardum, quem ob eius doctrinam, & mores egregios vehementer amo, oblitum arbitror modestiæ suæ, cùm de me loqueretur, & vtrumque vestrum in eo consensisse, vt ille, te libenter audiente, pro veris falsa narraret, aut certè veris plurimum affingeret; tu illi, plena manu, vt sæpe prodigus amor est, ea, quæ prorsus non agnosco, in me conferenti, pro tuo in me studio libenter, & facilè crederes, vtinam quidem, qui vobis nunc esse videor, is aliquando esse possim: quod quia sperare non licet, ne cur optem quidem est. Meus in te animus (quid enim præterea polliceat?) officio erit, mihi crede, singulari: quæque à te in meis rebus opera, atque benevolentia nanatur, perpetuo quodam erga te studio ita compensabitur, vt mihi nemo omnium, excepto amore domestico, te vno carior, aut iucundior vnquam esse possit. Franciscus Morandus, cuius ego contubernio, & quotidiana consuetudine mirificè delector, vir egregius, nec iuris tantùm ciuilis peritia, sed poetica etiam laude, & litterarum elegantia vehementer excellens, mutuò te diligit, &, qua ego tuis verbis eum salute impertiui, eandem tibi vt eius nomine his litteris adscriberem, diligenter mandauit.

Tu

Tu saluere plurimum à me iubeas Io. Baptistam Saracium, deditum semper optimis disciplinis, maximéque cupidum ornandæ virtutis, itémque *, quem vidi numquam, amo tamen sic, vt mihi te riualem esse vix patiar. Vale. Venetijs.

FRANCISCO ROBORTELLO.

Bononiam. 27

MAGNAM habeo gratiam Hieronymo Seripando, optimo Cardinali, omniumque virtutum gloria præstantissimo, quod ab aliqua nos ob imitationem virtutis exorta simultate ad summam beneuolentiam, coniunctionémque traduxerit. te quidem cum eximia doctrinæ opinione, quam apud omnes meritò consecutus es, humanitatis laudem velle coniungere, tum mea causa lætor, qui tua consuetudine nimium diu molestissimè carui, meæque in te perpetuæ voluntatis ipse mihi egregiè sum conscius: tum verò, quòd inter te, & Sigonium meum, viros tales, & planè duo nostræ Italiæ lumina, non optimè conuenire, ferendum vix erat. itaque, cùm de nostra, auctoritate Seripandi, reconciliata gratia ex ipsius Sigonij literis cognouissem; feci statim, quæ meo partes erant, vt animo te complecterer, méque tibi, leuiter antea, nec sanè mediocri cum dolore immutatum, libentissimè totum restituerem. A te peto, non vt me mutuò diligas, quod te iam facere, perpetuóque facturum certò scio: sed vt officijs etiam ita mecum certare velis, quibus & cupidè vincam, & vincar tamen non inuitus, vt nihil omnino neque de mea in te vetere obseruantia, neque de tua in me beneuolentia detractum esse videatur. quamquam hoc, tua fretus bonitate, & sapientia, cùm speraueram antea, nunc vt planè confi-

dam*

dam, litteræ tuæ fecerunt, ad hominem bene doctum, & vtriúsque noſtrum amantiſsimum, Raphaelem Cyllenium proximè conſcriptæ: quibus in litteris partim de me, quo ſum nihilominùs lætatus, amantiſsimè loqueris, partim etiam typos Græcos fratris mei, neſcio qua culpa amiſſos, benigniſsimè mihi pollicetis, ac defers. Ego, mi Robertelle, etiam vehementer amo voluntatem, quam tibi certè emetior: liberalitate verò tua etſi delector maximè, tamen, cur vtar, non eſt; cùm officinam ſatis ampla & pereleganti huius generis copia magnis iam ſumptibus inſtruxerim. tibi tamen, quia de commodo meo tua ſponte cogitaueris, quod ſine ſummo erga me amore fieri profectò non potuit, æque debeo, ac ſi rem omnium maximam meo pernecceſſario tempore detuliſſes. quòd ſi à me paria, ac multo etiam præſtantiora in omnibus rebus, quas ad tuæ laudis, tuique commodi partem aliquam pertinere intelligam, ſtudia, & officia exſpectabis; numquam te fallam. atque huius quidem teſtem promiſi, & quaſi loco fœderis, quod à me violari numquam patiar, hanc eſſe apud te epiſtolam volo. Camillum Palæottum, cuius excellentem humanitatem, coniunctam pari virtute, non dubito quin præclare cogniram habeas, & communem amicum, dignum Romulo parente filium, Pompilium Amaſæum, rogo te, ſalutes meis verbis diligenter. Vale. Venetijs.

ALEXANDRO CRISPO. 28

HABET hoc virtus, vt amicitias nullo interceſſore conciliet: itaque, cùm de ſtudijs tuis, & incredibili quadam ad liberales artes voluntatis propenſione, ex Sebaſtiani Leonis familiaris mei, litte-

ris cognouisſem: dilexi te ſtatim, idque vt intelligeres, vehementer optaui nunc, quando opinionem meam de ingenio tuo ſuſceptam epiſtola tua confirmat, ego quoque aliquanto magis ad te amandum impellor. quòd verò etiam in amore mihi reſpondeas, tuámque operam, curam, & auctoritatem nullo vmquam loco defuturam promittas: vtrumque facio plurimi, & eſſe perpetuum cupio, quod vt confidam, tua probitas facit, multorum ſermonibus præcipuè verò Leonis noſtri teſtimonio comprobata. Hic ego hortarer, pro mea in te ſumma benevolentia, vt actius te ad omnem laudis cupiditatem incitares. ſed neque induſtria tua cuiuſquam indiget præceptis: nec te res vlla magis ad gloriam accendent, quam nobilitas tua, quam, non dubito, quin ſæpe mente & cogitatione contempleris. tantum igitur te rogabo, vt iſtum teneas, quem cœpiſti, curſum, nec te vmquam aut voluptas, quæ adoleſcentibus maximè ſuis blanditijs, & ficta boni ſpecie pernicioſas inſidias tendit, aut fucatus rerum humanarum ſplendor à ſtudio virtutis, id eſt à vera, ſolidáque gloria deducat. Vale, & Leoni noſtro, doctiſſimo atque optimo viro, dic ſalutem meo nomine plurimam. Venetijs.

SCRIPSIT HANC ROGATVS *à nobiliſſimo viro.* 39

CVM in ſummis moleſtijs, quibus me fortaſſe immerentem fortuna vexat, quæ quidem tibi ſatis notæ ſunt, vnicum mihi ſolatium fuerit benevolentia tua, quam opinabar me ſingulari quadam ac perpetua erga te obſeruantia, & ſtudio quodam incredibili conſecutum: eo me ſolatio magna ex parte priuatum eſſe, ex eo ſermone, quem habuit mecum proximè

proximè Drusis tuis, vehementer doleo. quod quidem eo patior acerbius, quia, si posset augeri amor in me tuus, augeri potius debere pro mea in te egregia voluntate, maximisque tuis officijs, existimabam. quid enim, à quo primum tempore aditus mihi patuit ad amicitiam tuam, de te senserim, ipse mihi optimè sum conscius: quid verò prædicauerim, testes habeo, non leuissimos homines, sed præstantes viros, eósque minimè paucos, quorum auctoritas, & probata vita vel sine iureiurando facile fidem facere possit. quæ cum recordor, magnam ex officio meo voluptatem capio: propterea quòd nihil vmquam mihi grati animi memoria iucundius aut est, aut vmquam erit. & quamquam animum tuum non nihil imminutum Drusi verba significabant; cum ego perpetuitatem amoris tui exspectauerim; eamque tanti fecerim, vt ex omnibus rebus humanis nihil pæne pluris æstimauerim: tamen, non vt animatus nunc in me sis, sed vt antea fueris, in omni mea vita iucundissimè cogitabo; quæq; in amicitia colenda à doctissimis viris constanter tributa laus est, eam vt omnino consequar, enitar quantum in me erit; non quòd tua virtus cuiusquam hominis laudationem, vel tua fortuna cuiusquam opes, aut merita desiderent; sed profectò apud sapientissimos homines quem ego te in numerum refero, significatio bonæ voluntatis, etiam si merita non habet, pro meritis tamen est. Te verò, Principem egregium, omniumque virtutum apud omnes homines, maximèque apud omnes Principes laude florentem, præterea ista ornatum dignitate, quæ ad omnem laudem tacita quadam cohortatione videtur impellere, figmentis commoueri hominum improbissimorum, & alienis fortasse bonis inuidentium, prorsus æquum non est. Quid enim? an ego tam prauus esse possim,

vt

vt optimo viro coner vnquam in sermone detrahere? an tam stultus, vt, qui mihi multis rebus prodesse, multis etiam obesse possit, eum indignissimis lacessiam iniurijs? an tam ingratus, vt, cuius erga me summam humanitatem, ac benignitatem senserim, de eo quidquam cogitem, aut etiam loquar iniquius? Quid honor meus? an apud me nullius est ponderis? ille verò mihi vel ipsa vita carior adhuc fuit, eritque in posterum. Ita sum à puero educatus, ita natus: ita etiam didici ab exemplis maiorum meorum. an igitur honor meus tamen ferre posset inconstantiam? ille certè cùm omnes maculas, tum hanc, quæ turpissima est, leuitatis, & intemperantiæ, respuit, ac reformidat. Quare, si peccarem in te, magne Princeps, simul in me ipsum peccarem quorum alterum ab officio meo, alterum à voluntate nimis abhorreret. Quod igitur neque committere debeo, neque possum, id mirarer equidem à te credi; si planè, quæ ad me delata sunt, vera omnia putarem. sed primùm haud libenter id credo, quod iucunditatem, ac solicitudinem affert animo meo: deinde, quod indignum videtur bonitate tua, quam ego, vt maximè omnium habeo cognitam, ita maximè omnium efferre laudibus vbique soleo: postremò, quod cum ipsa veritate pugnat. Quod autem, quidam etiam de liberalitate mea glorioſe à me iactatum, ijdem comminiscuntur: impudens mendacium, est, ac, ne alijs vtar argumentis, te ipso teste falsum. nam, fuisse me tui perstudiosum, omnia tibi, tuisque, quæ potuerim, obsequia, atque officia præstitisse, verè dixeris, & multi sciunt: quo tamen ipse nomine gloriari non soleo; contentus ipsa re sum: verùm fuisse me, cui multa desunt, in te, qui cunctis rebus abundas, liberalem, & de meis riuulis pænè aridis affluxisse aliquid ad tuos vberrimos fontes,

certe

certè nemo dixerit; nec, si quis diceret, ego agnoscerem. Hoc igitur vno quod inanissimum esse constat, reliqua mihi obiecta refelluntur. patent insidiæ malevolorum infirmatur, vt sæpe solet, à se ipsis, & suo quasi gladio iugulatur improbitas. itaq; recreor paululum in acerbissima molestia: vt etiam hoc sperem, si qua voluntatis tuæ facta mutatio sit, quod quia meritis minimè sum, ideo minimè possum credere, me tamen ab humanitate tua facilè impetraturum, vt te mihi totum restituas. nec enim decet apud talem virum, tantúmque Principem, natura bonum, iudicio, & consuetudine optimum, consilijs & artibus locum esse hominum perditorum. quam mihi spem vt confirment litteræ tuæ, peto à te pro mea peruetere non solum erga te, verum etiam erga tuos omnes obseruantia: idque à te summa tua, tuæq; familiæ dignitas postulat. Vale.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER SEXTVS.

FRANCISCO RICHARDOTO EPISCOPO ATREBATEN. I

GVM antea tibi, ex hominis mihi amicissimi, tuiq; studiosissimi, singularis viri, Octauij Pantagathi, sermone tribuebam plurimum, ac te, nondum mihi de facie notum, colere tamen, & diligere non vulgariter cœperam: tum verò, vt legi orationem tuam, nuper habi-

bitam in Synodo Carneracensi, qua nescio an quidquam adhuc viderim praestantius; dici vix potest, quantum ad meum de te iudicium, quantum etiam ad amorem accesserit. vidi enim, vt in tabella pictam, atque expressam, ingenij, doctrinæque tuæ imaginem excellentem: quam intuens, ardore tui sum incensus incredibili, sic, vt ardentius esse nihil possit. & quamquam assiduis distinebar curis; feci tamen, studio scilicet impulsus, vt his tibi litteris aliquam voluntatis in te meæ significationem darem. nam, etsi tu is es, cuius virtutes, quasi pleno theatro spectatæ, iam ita notæ sint, vt nec augeri cuiusquam præconio, nec minui vituperatione possint: me tamen ita animatum esse velim existimes; vt, cùm multi certatim te ornent laudibus, ego tamen in eo vel principatum appetam, vel superiorem certè feram neminem. Nam, quod te de studijs meis non pessimè sentire, & Ioannes Richardotus, præclara indole iuuenis, natus ad omnem laudem, planèque id auunculo dignus, affirmat & litteræ tuæ, ad illum scriptæ, significant: valde triumpho, atque istam opinionem mihi crede, beatorum hominum copijs, atque opibus non comparo solùm, verùm etiam antepono. quid enim optabilius, quàm ijs placere, quorum virtus, & vita tum principibus viris, tum etiam populo placet vniuerso? quid autem accidere cuiquam possit illustrius, quàm à te laudari, qui ita viuis, vt nihil agas, nihil expetendũ putes, nisi cum eximia laude coniunctum? notũ enim genus est institutorũ tuorũ, notæ inuentutis, notæ curæ pro salute animarum vel tuenda, vel recuperanda. Scimus, quos ex ingenio tuo fructus attrebates sui partim iam colligant, partim etiam expectent: dicerem, nobis inuidentibus, si aut in Christianũ inuidia caderet, aut ex eo genere virtus esset

quæ

quæ non longè distribui, non communicari passim facile posset. quod cùm ita sit, non committa n tamen, vt te horter, vt ad nos quoque tua scripta peruenire velis. quod enim publice profuturum videtur, in eo neque cuiusquam hortationi bonitas tua, neque consilio prudentia locum relinquit. lætabor potiùs, quod ea sis & voluntate, & virtute præditus, vt optime de Christiana rep. mereri, eamque miseris temporibus labefactatam confirmare maximè possis. quo facto, inibis maximam gratiam ac omnibus bonis tibique perēnem gloriam, & ea quæ summis meritis proposita sunt, præmia consequeris. A me velim, si quid tua, tuorúmue causſ a præstare possim; quamquam, & quam tu firmus ab omni re sis, & quam ego imbecillus, intelligo; verumtamen, si acciderit, vt vel amplitudini, gloriæque tuæ, vel eorum, qui tibi cari sunt, commodis seruire possim, expectabis ea dem à me, quę soles ab ijs, quorum valde cognitam habes fidem, beneuolentiam, obseruantiam. dabo operam, & assequar, vt spero, vt opinioni tuæ officia mea respondeant, studium quidem, si res poscet, exstabit eiusmodi, vt nec obscurum esse, nec mediocre videri possit. Vale. Romæ, pr. id. Sept. 1565.

NICOLAO GOTIO.
Epidaurum. 2

MVLTA virtus præmia, sed nullum habet seipsa præstantius. itaque, nisi te ipsum prorsus ignores, valde te lætari necesse est, mi Nicolae, tum doctrina, tum etiam eloquentia tua: quarum alteram ex hominis mihi amicissimi, cuius testimonio plurimum tribuo, Pauli Bosij litteris iampridem habeo

cognitam, altera sese ostendit in epistola tua, sic, vt speciem egregiam veteris Romanæ linguæ propemodum in te vno mihi videar agnoscere. Quocirca patriæ tuæ gratulor, quam præclaris institutis, opibúsque florentem præcipua quadam scientiæ tuæ gloria nobilitas. Gratulor etiam mihi de amicitia tua: cum qua, mihi crede, neque Regum opes, neque vlla omnino fortunæ bona confero. Nec verò Imperatores illos veteres, quorum bellica facta historiæ celebrant, tamen è suis triumphis, atque ex insigni illa laurea cepisse voluptatē exiltimo, quantam haurire me sensi, cùm eam partem legerem litterarum tuarum, in qua, rationem studiorum meorum probari tibi vehementer, significas. quod si tu aliter sensisses; mutassem institutum; méq; ad consilium tuum, tuáque præcepta totum contulissem. Et, quoniam, quid præstare possis, video; cupio, te aliquid mandare litteris, quod ad posteros perueniat. Plura vellem, sed auocant negotia. vnum illud addam, te mihi esse in oculis, idque tuo mérito. ferus enim, ac ferreus nimis est, qui te amore singulari non amat, tot præditum suauitatibus ingenij. Ego tibi à me singularem beneuolentiam, & perpetuam tui nominis obseruantiam polliceor. Vale. 1 v. id Sext. 1561.

10. SARIO ZAMOSCIO.

Patauium. 3

Saepe mihi antea litteræ Caroli Sigonij, cui quantum tribuam non ignoras, præclarum & humanitatis, & ingenij, doctrinæque tuæ testimonium dederant: itaque te eram complexus amore non mediocri, sic vt fauerem tuæ laudi mirabiliter, idque vt ipse illustri aliquo signo intelligeres, vehementer

menter cuperem. vt optabam, ita contigit. nam, cum tu animum induxisses valere me gratia apud Petrum Miscouium, florentem virum honoribus, opibus, omniq; virtute; facilè impetrauit à me Sigonius, cùm tuo nomine rogaret, vt ei te commendarem litteris quàm possem diligentissimè. verum, vt est Miscouius in liberales doctrinas egregiè animatus, & ingeniorum existimator intelligens; non dubito, quin tibi plus apud eum virtus tua, quàm mea commendatio profutura sit, vt vt erit, ego mihi interim facultatem esse datam testificandæ beneuolentiæ in te meæ, etiam atq; etiam lætor, quod ita velim interpreteris, vt accepisse me beneficium, non dedisse existimes: quando hinc vel orta inter nos, vel certè aucta amicitia est, & mutuo iam litterarum quasi pignore confirmata. quòd si ad hanc animorum consensionem, qua tamen coniungi absentes videamur, communicatio sermonis & suauitas consuetudinis posset accedere; id quod forsitan optamus pariter, sperare mihi per meas rationes, tibi per studia tua non licet: præstantes, opinor, fructus caperemus eorum studiorum communione, quæ qui verè sapiunt, sola esse instar vitæ putant. quamquam hanc mihi aliquanto iniquius, quam tibi, ferendam esse iacturam intelligo. tu enim istic & abundas otio, cuius mihi fructus, nisi commentarer interdum aliquid antelucanis horis, planè eriperetur omnis: & cùm te Sigonio nostro, humanissimo viro, non ijs modò artibus, quæ specie quadam alliciunt, & delectant grauibus curis animum recreant, verum etiam ijs, vnde ratio sumitur, & moderatio vitæ, instructissimo, totum, vt audio, dedideris: mihi crede, non est, quod aliunde quidquam petas, aut cuiusquam præterea viuam in hoc genere vocem desi-

deres. Quare iſto bono fruere, dum licet: in quo tamen admonitionem, & conſilium meum prudentia tua non exſpectat, atque hoc equidem nomine tibi plurimum, vt debeo, gratulor: me verò abſentem dilige; itaque ſtatue de mea voluntate, vt multos credas vſu, & familiaritate, quotidianiſque officijs coniunctiores tecum eſſe poſſe, quam me; amore autem, & ſtudio, prorſus neminem. Vale. Romæ, Kalend. Nouemb. 1561.

PETRO MISCOVIO. 4.

A QVO die, accitus à ſummo Pontifice, ad Vrbem veni, otioſe numquam eſſe mihi licuit. &, quantum diuino, eadem perpetuò erunt omnia: neque verò ſalutationibus quotidianis, quarum pleræque mihi quidem voluntariæ ſunt, neceſſarias quaſdam alijs ambitio facit, valde me deditum eſſe velim exiſtimes. valeant, hæc, & ſi quid eſt generis eiuſmodi: ego in ea cura, quam ſuſcepi, vt emendati edantur ſacri libri, mihi eſſe hærendum intelligo, & eo magis. quòd, ad res præclaras, communemque animorum vtilitatem, ita pontificis voluntas incumbit, vt excitet ſtudia multorum, eaque intermitti, aut langueſcere non ſinat. quæ ſi tibi, vt arbitror, iam nota ſunt; non dubito, quin me, ceſſantem in officio litterarum, omni vel negligentiæ, vel obliuionis amicitiæ inter nos inſtitutæ, culpa liberes. ſin ex me primum hæc accipis: æquiorem ſaltem in poſterum te mihi præbere debebis, & exiſtimare id, quod res eſt, me tibi ex ijs, quos in longinquis terris viuentes, ſimilitudine mihi ſtudiorum coniunctos, libenter cœpi diligere, præcipuam vni præſtare memoriam atque obſeruantiam, nec mei iam in hoc officio diſſimilem eſſe poſſe,

posse, quando tu quoque, vt audio, quotidie tui similior es, id est earum virtutum laude præstantior, quarum fama tibi multos non mediocri voluntate, me verò aliquot abhinc annis planè singulari studio deuinxit. Ac vide, quid verus amor valeat. ego, cùm tibi me comparare nulla re audeam, ne vtrumque nostrum videar ignorare, tamen, cuius in te animi sum ipse mihi conscius, in eo te respondere. libenter credo. fert hoc humanitas, postulat consuetudo tua, exigit etiam amicitia nostra, cuius equidem recreor memoria, honestor etiam nomine. hac spe fretus, à te peto, vt Ioannem Sarium Zamoscium, qui hanc epistolam cum suis litteris ad te mittet, ita complectaris, vt meam commendationem, quod ille sibi persuasit, valuisse plurimùm intelligat. est in familiarissimis, atque intimis Caroli Sigonij: & excellit, ipso teste Sigonio, moribus, ingenio, omni denique indole virtutis. iam, quæ mihi cum Sigonio intercedat necessitudo, quanta studiorum, animorúmque coniunctio, quàm consentiamus in litteris, aut quàm suauiter interdum dissentiamus, vt ego mihi illum semper anteposerim, ille mihi semper tribuerit plurimum, vtriusque scripta declarant. suscipe igitur, si quid non modò mea, verùm etiam Sigonij causa vis & ora. quantum potes, excultum doctrinis iuuenem, præstantis animi, natum ad patriæ suæ decus. tui verò mirificè studiosum, atque peramantem. nos enim simul in illo ornabis testimonio benevolentiæ tuæ, quàm cognosci à quamplurimis, & nos aliquid apud te esse, quia vehementer hoc ad nostram laudem pertinet, propterea vehementer cupimus. Vale, & patricio meo, nisi graue est, salutem meis verbis plurimam. Romæ. XII. Kal. Octob. 1561.

IOANNI SARIO ZAMOSCIO.

Patauium. 5

Est, cur gaudeam, capere te fructum aliquem ex ijs litteris, quas ad ornatiſsimum virum, Petrum Miſcouium, de te ſcripſeram. quamquam hanc ego iam lætitiam animo præceperam, quippe qui & Miſcouij præſtantem humanitatem cognitam haberem, & in te ipſo eſſe multa, quæ amorem concilient, non ignorarem, quòd ſi te nobis, id eſt alienioribus, tua virtus ita commendat, vt cupiamus tua cauſſa, quidquid poſſumus: cur eadem virtus omnia tibi à tuis, nulla cuiuſquam commendatione, non impetret? hoc te quoque exiſtimare, cùm intueor ſtudia tua, facilè mihi perſuadeo: nec dubito. quin, ex quibus artibus manant hæc, quæ tibi propoſita ſunt, quæque adeptus in ſummo ſplendore ac dignitate viues, eæ tibi artes chariores quotidie ſint, cùm præſertim excellere te intelligam induſtria, doctrina, eloquentia, ſic, vt alios tua laude commoueas, exemploque doceas, malè ſuis rationibus conſulere, ſi quem à ſempiternis præmijs paucorum annorum labor euertat. Patricius denuo cupit Venetijs imprimi ſua Fragmenta. in ea re meam operam videtur expoſcere, nec mihi voluntas deeſt: amo enim hominem amore non vulgari: ſed, abſens quid poſſim, non video: nec libenter ſuſcipio, quod ſi parum ſuccedat, amici animus offendatur & ego illius angar moleſtia. ſcribam tamen ad eum, cùm vacabo. nam nunc occupationibus valde vrgeor. Vale. Romæ.

IOAN-

IOANNI TVRRITIANO.
Sermonetam. 6

ETSI eram valde districtus earum rerum cura, quæ ad sacrorum librorum editionem pertinent: cui toto muneri, me esse à Pio 4. Pont. Max. non contemnenda conditione præpositum, credo te audisse: tamen, acceptis litteris tuis, humanissimè scriptis, & elegantissimè, vicit occupationes meas, nec à me responderi nihil est passa recordatio nostræ veteris amicitiæ, quam à virtute ortam eadem postea virtus aluit, atque conseruauit. Ego te, mi Turritiane, quo primùm die cognoui, dignissimum duxi, quem omnes homines in oculis ferrent: ita sum delectatus ingenio tuo, ita doctrinam, ita mores probaui. Consuetudinem tuam, atque vsum inter nos assiduum, cùm vehementer expeterem, per vtriúsque rationes consequi non licuit. nunc siue casus, siue nostra voluntas ita tulit, vt ego Romæ, tu Sermonetæ viueres; lætor plurimum hac locorum propinquitate, & spero futurum, vt maiores mutuæ beneuolentiæ fructus, si minùs præsentes, litteris saltem consequamur, ego tibi omnia, quæ potero, diligenter officia præstabo, memoriam quidem, & beneuolentiam, vt debebo, singularem. De tuo statu audieram antea sæpe à Laurentio Gambara, proximis autem diebus à familiari tuo, iuuene suauissimis moribus ornato, cognoui ea, quæ mihi lætitiam attulerunt incredibilem: valere te gratia, & auctoritate apud Sermonetanum Cardinalem omni laude cumulatum, eiúsque fratrem, Bonifacium, Principem, maiorum suorum virtute similimum: in Auditoris munere nunquam te à iure, & æquitate discedere, consequi tamen humani-

manitate, & ingenij præstantia, vt summis, & infimis carus æquè iucundúsque sis: filiolum te habere indole optima, quem patris domestica virtus ad verum decus excitabit. Hæc de te, vt optabam, quæ spero fore perpetua. de me, præter ea, quæ ab alijs accepisti, nihil fere habeo, quod significem. valeo satis commodè: filius discit apud me diligenter: nec pœnitet, quantum proficiat. viuimus, mediocri fortuna contenti. Vale, & clarissimo Principi, cuius ego parentem, cùm viueret, auum autem pater meus omni obseruantia coluit, salutem plurimam, officiosè manum osculatus, meis verbis dices. Romæ, VI. Id. Nou. M. D. LXI.

ANDREÆ SILVIO.
Venetias. 7

VIX credas, mi Silui, quàm sæpe in magnis occupationibus tangar desiderio tui. non enim tuæ suauitatis, non ingenij, non etiam pudoris ingenui quo delector in primis, exemplum facilè reperio. moueor etiam promisso illo tuo interpretationis Horatiani, de qua te absentem interdum admonere possum, præsentem quotidie appellarem, ac pænè conuicio exigerem. quis enim, qui de poetis modò iudicare aliquid possit, vni inter Latinos omnes Horatio, vel acumine ingenij, vel sententiarum grauitate, palmam non tribuit? quis igitur non magnopere tuarum lucubrationum cupiditate capiatur? dixeras, velle te omnia, quæ ille à Græcis plurima transtulit, vt suam poesim, tanquam auro purpuram, illustraret, diligenter colligere, oculisque omnium, vt imitandi ratio patear, subjicere. totum opus erit egregium: sed hanc maximè partem, in qua non admodum

admodum aliorum elaborauit industria, à te homines eruditi vehementer exspectant, & augetur exspectatio sermonibus meis. Quare velim, si quid ego apud te sum, vel potiùs, si tibi ipse carus es, ad vrbem te conferas ineunte vere. nusquam certiora, aut maiora bonis artibus proposita sunt præmia. alijs in locis tanquam peregrina, procul adspicitur virtus: hic statim colitur, vt domestica complexu excipitur, fouetur sinu. quis autem ipse sibi tam iniquus esse velit, vt, vbi aliquem possit, atque adeo maximum suorum laborum, & vigiliarum fructum ferre, ibi non & sedem ponere, & perpetuam vitam ducere animum inducat? Exempla ne quæras: vndique enim suppetunt. Hæc tantùm scripsi raptim, in magnis temporis angustijs, vt intelligeres, me esse memorem amicitiæ nostræ, &, eùm assiduis distinear curis, de tuis tamen commodis, & ornamentis cogitare. Vale. Romæ. Id. Nou. 1561.

IO. BAPTISTÆ TITIO.

Florentiam. 8

CVM, qnid ageres, ignorarem, uec iam, vt ingenuè fatear, tui desiderium satis ferrem: quippe tua mihi suauitas, tuum ingenium, tuæ litteræ sæpe occurrunt: amore tui impulsus, vt hæc in magnis occupationibus ad te scriberem. Et, vt ordiar à rebus Romanis, id primùm cognosce, tranquilla hic esse omnia, nihil turbulenti, nihil aduersi: ciuitas quotidie magis hoc Pontifice reuiuiscit. ita non modò ipse excellit iustitia, pietate, beneficentia, verum etiam suos omnes, egregiæ illos quidem ad virtutem indolis, verumtamen suo etiam exemplo, quales esse debent, tales præstat. quod in magna potestate, rerúmque copia, quàm non facilè contingat, vtinam

vtinam veteribus tantùm, non etiam recentibus exemplis cognitum haberemus. Multis locis ædificatur strenuè. nam Pontifex, vt præstanti animo est, antiquæ illius Romæ speciem eximiam, & formam cogitatione, ac mente complexus, excitari præclara monumenta, vias restitui veteres, nouas muniri, aquas etiam à longinquis fontibus impensa maxima in vrbem duci iubet. quæ cùm erunt absoluta, nihil aspectu pulchrius, nihil magnificentius, aut etiam commodius esse poterit. Ego, quanquam tum alijs rebus, tum officio salutandi molestissimo quotidie fere distineor, iucundè tamen satis viuo: si modò homini, scientiæ cupido, sine librorum vsu, quo careo perinuitus, iucundi quidquam esse potest. Præla nostra, comparatis iam fere omnibus rebus, quæ ad imprimendum pertinent, propediem in officio erunt, & à Cypriani epistolis, quod felix, faustúmque sit, initium fiet. De tuo statu exspectabam omnino aliquid ex litteris tuis: idque postulare videbatur amicitia nostra: sed, cùm ea spes me fefellerit, nolui committere, vt vicissim ipse officium meum desiderare posses. Vale, & salue à filio meo, cui raptim hæc manè dictaui, cùm in Vaticanum, negotij caussa, properarem. Romæ, nonis Dec. M. D. LXI.

IOANNI TVRRITIANO.
Sermonetam. 9

IN magna iucunditate, quam tua mihi attulit epistola, molestiæ nonnihil, ac doloris adspersit illa pars, in qua, Bonifacij Caietani nomine, Principis egregij, cuius caussa velle me omnia, atque etiam debere confiteor, accuratè petis, vt ad eius filium liberalibus excolendum disciplinis conferam studium,

dium,& industriam meam. quod idem antea cum & sæpe, & vehementer peterent Cardinales aliquot, optimè de me meriti, inuitus equidem, tamen pernegaui: neque verò ob eam causſam,quia, priuatim docere, prælertim in vrbe Roma, dignitatem non habere, arbitrantur multi: quod mihi quidem videtur secus. quod enim scire honestum est, id cur docere turpe sit, non intelligo; sed multo magis, quia publici muneris cura, libenter à me pro communi vtilitate susceptа, vacui sanè temporis minimum relinquit: & id ipsum, quod relinquitur, iure quodam suo sibi postulant, atque exigunt studia mea, quamquam ab his me sæpe vel salutandi necessitas, vel amicorum auellit interpellatio. ita traducuntur dies. honestè, inquies, fateor, addo etiam, satis iucundè non enim me μισάνθρωποι quendam, abhorrentem à consuetudine hominum, & humanitatis expertem, natura finxit. veruntamen, cùm illa,tibi non ignota,studiorum nostrorum suauitate voluptatem nullam comparo. quod si nobilissimi adolescentis confirmandum optimis artibus ingenium susciperem; valde mihi cogitandum esset, quid patri eius, & patruo, quid etiam aui memoriæ, quem colui studiosissimè; quid familiæ claritati deberem, sæpe mihi occurreret mea fides, & susceptі ratio muneris, & hominum quoque opinio, cui seruiendum esse non ignoras. quæ profectò vel singula tanti sunt, vt maximam à me diligentiam flagitare videantur: cùm in hac tot rerum. occupatione tanta ne mediocrem quidem præstare possim. Filius meus, cui te bene ominari gaudeo, mea voce iam, qua quotidie fere aures eius antea personabant, in discendo non vtitur. sic enim in vtraque versatur lingua, vt suo iam studio potiùs, quam nostra proficiat industria. Quare velim eo

te

te esse loco fingas, quo ego sum: &, si nec officij me putas ignarum esse, nec obstare, quo minùs officio satis faciam; voluntatem vides: tribuas hoc amicitiæ nostræ, & æquitati tuæ, vt causam meam apud optimum Principem diligenter agas; eique de meo sensu & studio ita fidem facias, nihil vt tibi tam esse deditum sentiat, quam operam omnem meam, atque curam, nec malle me quidquam, quam eius, cum possim, obsequi voluntati, &, cùm non possim, vehementer angi. hoc tu cura, & perfice, si me graui sanè sollicitudinis onere leuatum vis. facilè, vt opinor, vel humanitas illius, vel ratio ipsa, quod cupimus, impetrabit, idque à te, ne videar humanitati tuæ diffidere pluribus verbis petere non debeo. Vale. Romæ, XV I. Kal. Ianuar. 1561.

COLÆ ANTONIO CARACCIOLO MARCHIONI VICI.

Neapolim. 10

AVVM tuum, Marchionem Vici, virum omni laude cumulatum, vita excessisse, amicorum litteræ significant. quo equidem nuncio, primùm vehementer sum commotus, cùm mihi venitre in mentem doloris tui, quem ex illius interitu, conspectu erepto carissimi hominis, & fructu amisso maximarum virtutum, quibus in vita excelluit, iure suscepisti: deinde, vt me collegi, occurrebant multa, quamobrem animus meus à mœrore abductus, non mediocri solatio conquiesceret. Quid enim est in hac vita exoptandum? vita ipsa, dixerit aliquis. numquid præterea? virtus, & bona existimatio, sine quibus ipsum viuere sapientibus iucundum non est; amplæ fortunæ, quas Peripatetici non neglexerunt; amicitiæ, quarum vsus in secundis rebus delectationem, in

aduer-

aduersis vtilitatem semper, interdum etiam salutem affert. At hæc auo tuo, diuino quodam munere, omnia contigerunt, cui & ad vltimam fere senectutem vitam perduxit, & sempiternam laudem, militari scientia, ac fortitudine partam, posteris reliquit: opibus autem non abundauit solùm, verùm etiam optimè vsus est: amicitias, & clientelas, officijs, & liberalitate quæsitas, coluit diligentissimè. Quæ cùm ita sint: non tibi dolendum est eius interitu, quem sciebas natum esse mortalem: sed lætandum potius, quòd ita vixerit, vt minimum ei mors, quæ multorum nomina cum corporibus exstinguit, admere posse videretur. viuet enim auus tuus, viuet, inquam, in hominum memoria, quamdiu probitati, consilio, virtuti locus erit. atque ille quidem lætari vehementer solebat, cùm te nepotem suum, omni decore florentem, heredem sibi futurum cerneret, non earum modò rerum, quæ fortunæ bona dicuntur, sed etiam virtutis, ac sapientiæ, quæ neque à fortuna dantur, nec eripientur vnquam. itaque debes eniti, & curare, quod te iam egregiè præstare audio, vt eius in te virtutes agnoscantur; &, quam veræ gloriæ viam iam ingressus es, per eam celeri cursu eodem pergas. sic enim breui ad ea, quibus iam, bonis omnibus mirificè fauentibus, ac lætantibus, appropinquas, immortalitatis præmia peruenies. me quidem perpetuò præconem laudum tuarum, si quid mea vox valeret, fore pollicerer: studio tamen & conatu, si minùs re ipsa licebit, fortasse consequar, vt, quæ mea sit erga te obseruantia, quæ de tuis virtutibus opinio, quæ tua simul in me merita, homines intelligant. Vale. Romæ pridie Kal. Mart. M.D.LXII.

IO. AN.

IO. ANTONIO SERONI.

Neapolim. II

ETSI non dubito, quin tu, pro tua prudentia, quibus assiduè distinear curis, & quæ negotiorum onera sustineam, præclarè intelligas: tamen peccasse mihi videor, nec à meipso veniam facilè impetro, qui, acceptis litteris tuis, humanitate simul, & ingenio conditis, respondendi officium ad hanc vsque diem protulerim. hac enim me esse mente, velim existimes, vt nihil aut à fortuna consequi, aut ab industria possim, quod tui similium amicitijs anteponendum putem. itaque, nullius mihi non modò culpæ, sed nec erroris conscius, magno tamen in dolore versor, appellasti me prior suauissimis litteris, ornasti laudibus: amoris nulla significatio est, qua vacauerit epistola tua, quibus in rebus gratiæ referendæ facultatem non habeo: studio tamen, & memoria benignitatis tuæ, partes meas facilè tuebor. quamquam, quod ad laudes attinet, quas in me plena manu congessisti vix possum constituere, lætitiæ ne plus, an molestiæ mihi attulerit iudicium de me tuum. nemo fere amat, nisi de quo bene existimat: cur igitur, à quo amari vehementer cupio, ei me talem videri, qualis nunc quidem certè non sum, atque vtinam aliquando esse possim, non vehementer gaudeam? rursus, cùm ad me ipsum cogitationem conuerto, meique vires ingenij cum opinione tua confero statim illustrat veritatem ratio, errorémque meum tuum cum pudore meo, atque etiam, vt verè dicam, non mediocri cum dolore patefacit. quamquam, cur ego errare te credam, qui studio, & doctrina iampridem es assecutus, vt minimè omnium

in

in hoc genere falli possis? nec seruire auribus certè vis homo ingenuis disciplinis eruditus. quid ergo est? Socratem videlicet imitaris, & ironia te delectat. nam quod tua bona minuis, nostra vero, si qua sunt, auges; amo equidem in altero modestiam tuam, in altero humanitatem: verum hoc scito, & patere æquo animo; me de te ipso contra te sentire, persuasum iam elegantia, & subtilitate litterarum tuarum: quas qui legerit, quam longè per eloquentiæ viam processeris, intelliget. De me autem, vtinam sententiam tuam scripta mea non refellant: quibus vt ingenium non defuerit, quod tu existimas, ego aliter statuo, diligentia certè, quæ subleuare ingenium potuit, in magnis occupationibus, & valetudinis infirmitate semper defuit.
Quare omitte, quæso, ironiam istam, & æqua lance virumque nostrum perpende. ita fiet, vt, quæ in me ornamenta contulisti, maximam eorum partem in te tranferas. Ego enim, si quis voluntatem, vel si etiam industriam in me laudet, facile patiar, cetera non agnoscam, te vero quamquam antea eruditissimi & in primis acuti iuuenis, Io. Vincentij Pinelli testimonio magnopere credebam, tamen, ex vna tua epistola, tanquam ab vngue leonem, planè totum cognoui: itaque, cum tibi de ista præstantis ingenij facultate, doctrinæque copia plurimum gratulor: tum vero vt tua bona noris, id est, vt aliquid litteris mandes, quod omnis posteritas in manibus habeat, pro instituta inter nos amicitia non hortor solum, verum etiam rogo. Quid reliquum est, licet inter bonos haud valde necessariam officij promissionem existimem, præsertim in ea necessitudine, quam studiorum similitudo peperit: omnia tamen, quæ præstare possum, quæ summa esse cuperem, sed ea tamen, quæcumque sunt, in

omnibus tuis rebus, minimis maximis, æque tibi polliceor, ac si iam pridem amare cœpissemus inter nos, hoc enim, & aliis frui priuilegijs decet eas amicitias, quæ á studio virtutis emanant Vale. Romæ, Kalendis Mart. M.D.LXII.

NICASIO CASLETANO.

Patauium. 12

PATAVIVM te venisse, quæ semper vrbs, officina quædam est habita doctrinæ, lætor equidem communium studiorum caussa plurimum, cerno enim iam animo, vbi tu philosophiam cum eloquentia coniunxeris, quanti ornamenti litteris nostris, quantum splendoris accedet; sed mecum actum est in commodius, qui, quo tempore nobis, vnius diei tantum interuallo disiunctis, præsentes amicitiæ nostræ fructus nullo negotio capere licuisset, quo mihi optatius, aut iucundius esse nihil potuit, tunc abesse á te cogar, & omnem suauitatis, delectationisque nostræ spem in mutuo litterarum officio reponere, crede mihi, hac ego cura vehementer angor: quippe, cuius imaginem humanitatis, ingenij; eloquentiæ iampridem vidi in epistolis tuis ac sæpe sum animo contemplatus, ea si propius adspicerem, qua lætitia, qua voluptate perfunderer. valeant, si qui opes, aut honorum insignia, vel illustrium viorum ambitiosas salutationes tanti æstimant, vt hæc bonis, iucundis, sapientibus, id est tui quam simillimis amicis anteponant. Accedit ex occupationibus molestia, quibus impedior, quo minus tecum per litteras quàm sæpissime colloquar quod ad eam quoque caussam ad te scribo, ne mihi vitio vertas, neue obliuione, aut negligentia mea potius,

potiùs, quàm negotiorum multitudine, factum ſuſpiceris, quòd paulo ſeriùs fortaſſe, quam exſpectabas, epiſtolæ tuæ reſponderim. nulla enim re magis, quam deſerti officij memoria, crucior, nec tamen ab amicis plus, quam commodum eorum, aut etiam voluntas ferat, vnquam poſtulo. itaque, amicum noſtrum cur excuſares de infrequentia litterarum cauſſæ nihil fuit. quiduis enim mihi potiùs perſuaderi patiar, quam ei me abſenti effluxiſſe ex animo, quem ego præſentem quibus coluerim officijs, quæque ad eius laudem ſtudia contulerim, optimus ipſe teſtis eſt. At ſcribit perquam rarò. Fortaſſe aulicæ vitæ conſuetudo ita fert. fortaſſe etiam, cùm velit, per negotia non licet, vel priuata, vel publica: aut, ſi licet noſtram amicitiam, quæ ſatis per ſe firma eſt, non modò litteris, ſed nec vllo protius officio putat eſſe fulciendam, qua ego quoque in ſententia ſum. & tamen ita me comparaui iampridem; ſi quid ab amicis præter meam exſpectationem omittitur; id ne accipiam duriùs, & malim omnia mitiorem in partem interpretari, quàm committere, vt ſanctiſsima neceſsitudinum iura ſuſpicio, plerumque falſa, violare poſsit. Atque hæc ipſa, niſi graue eſt, ad eum perſcribas velim: & hoc addas, me, cùm primùm Romam veni, de meo ſtatu litteras ad eum dediſſe: quas à communibus amicis fideli, & certo tabellario commiſſas, periiſſe non arbitror: ab eo tempore noui nihil in meis rebus contigiſſe, niſi hoc nouum videtur, mihi cum hoc cælo, cuius multi grauitatem non ferunt, adhuc quidem optimè conuenire. quod ei fore incundiſsimum, certò ſcio. Tibi ad Carolum Sigonium, & Michaelem Sophianum, præſtantes viros, mihique & ſtudijs, & amore coniunctiſſimos, cur litteris opus eſſe commendaticijs exiſtimem?

ſtimem? quaſi non eorum vtrique, vt doctrina, ſic etiam humanitate excellat. & profectò iam tibi ad eorum amicitiam, qua vir bonus & ſtudioſus nemo excluditur, aditum aperuit, nullo interceſſore, virtus tua, illique te cognitum diligunt; tuaque in primis conſuetudine delectantur. qua ego interdum cogitatione ita fruor, vt hac etiam ſpecie falli me ſinam, quaſi ipſe veſtris deambulationibus, & ſermonibus, interſim. Ego hîc, niſi me noctes aliquando adiuuiſſent, caruiſſem prorſus litterulis noſtris, quarum ſuauitate paſcor. nunc, æquato iam noctibus dierum ſpatio, vereor, ne non otij quantum vellem relinquatur. Tu quàm libenter Patauij ſis, quamque diu te futurum putes, quo vtaris in philoſophia doctore; (nam Genuam, omnium facilè principem, rariore iam dentium ordine, minùs explanatè loqui aiebant) hæc ſi ad me ſcripſeris, & ſimul de ſingulis publicè interpretantibus quid ſentias; duplicem fructum capiam, & quod ea, quæ ſcire aueo, cognoſcam, & quòd ex litteris tuis, in quibus vernaculum illum Romani ſermonis leporem, & planè Ciceronianam elegantiam mihi videor agnoſcere. Vale. Romæ. IV. id Mart. M. D. LXII.

HORATIO CARDANETO.

Perufium. 13

DE virtute rectè ſentis. ea coniungit abſentes, & in eos, quos numquam vidimus, amorem conciliat, quòd autem, vt me, quaſi aliqua virtute præditum, diligeres, adductum te ſignificas: amplector voluntatem tuam: de amoris cauſſa non diſputo. ſit ita, vt exiſtimas; vel potiùs, exiſtimes, quod lubet. nam ego me tibi, qui ſim, numquam aperiam; ne de

amore

amore in me tuo, quem video esse non vulgarem, aliquid atque adeo multum detrahetur. Ego tibi, primùm quòd honorificè de me sentias, deinde quòd id ipsum elegantissima mihi declarandum epistola putaueris, tantum debeo, quantum intelligo. persolui à me vix posse. nam, etsi nullum à me officium, aut studium, quod ad tuam laudem, aut rem pertineat, desiderari à me patiar: tamen, quòd tu me prior tua sponte ad iungendã inter nos amicitiam prouocaueris, par pari referre, vel si omnia tua causa præstem, numquam videbor. Quid, quòd ista humanitas, qua me tibi deuinxisti plurimùm, ingenij, eloquentiæ doctrinæque laude cumulatur? quæ facilè apparent in litteris tuis. itaque dedi statim eas legendas filio meo: vt exemplo tuo commoueretur, & quasi tua per vestigia ad eandem gloriam contenderet. Tibi autem vehementer gratulor, quòd tam præclaram Latinè scribendi facultatem sis adeptus, proprio tu quidem naturæ munere, verum nisi accessisset Grifoli mei; viri doctissimi, atque integerrimi, egregia disciplina, & ad disciplinam studium, & industria tua, numquam is fuisses, cui possent inuidere multi, similes esse paucissimi. Roma discessisse Io. Baptistam Titium, probum iuuenem, & in primis eruditum, antea magnopere dolebam, nunc eo minùs angor, quòd vos vna esse, & colloqui de studijs communibus, ex litteris tuis intellexi: ex quo, non dubito, quin fructus ad vtrumque vt in litteris vtcrque excellit, maximi perueniant. Salutem ei meo nomine, si modò adhuc istic est, dices; sin discesit, quod tua causa nolim, litteris adscribes. Vale. Romæ. 11. Kal. Quinct. 1562.

CHRISTOPHORO SAXO.

Perusiam. 14

HORATIVM Caidanetum, licet ignotum mihi de facie, tamen, ob eius excellentem doctrinam, & eloquentiam, vehementer diligo. is mihi disertissima epistola non vulgarem virtutis tuæ significationem dedit: cuius testimonio commotus, vel si tua scripta numquam legissem, nihilque ex aliorum sermone de tuis optimis institutis, ac studijs cognouissem, tamen ita statuerem, te mihi non modò amandum, verùm etiam, quantum in me esset, ornandum: si modò ornamenta desiderat virtus tua, quæ te ipsum iampridem, istámque ciuitatem illustrat. Sed mihi crede, vberiùs nemo de te, aut honorificentiùs loquitur, nemo mihi pluris est, quàm Rhetor tuus: cuius facultate, & copia facilè sum adductus, vt comparem te maximis viris, tuáque causa, quæ possum, quæque etiam non possum, cupiam. quod si credideris, iure à te fieri senties, quod tunc si facis, tua sponte, non meo merito, facis vt me diligas. & exspectabis à me eadem, quæ à familiarissimis tuis: quorum, pro tua probitate, & eruditione summa, numerum audio esse quàm maximum. Tuis oculis restitui cupio, vel quod assiduus librorum vsus, vel ætas iam ipsa, ad omnem corporis infirmitatem procliuior, ademit. tu tamen, quando animo, ac mente vides ea, quæ simul cum oculis amitti non possunt, fruere cogitationibus tuis, & forti animo feras hoc quidquid est incommodi. malum enim, aut calamitatem, quo tu vocabulo vsus es numquam vocabo id, quod à culpa seiunctum esse crediderim. Vale. Romæ.

* 15

CVM tuas litteras legere cœpisſem, in quibus mihi amantiſſimè, quod ad vrbem migrauerim, gratulabaris, primum accuſaui tabellariorum incuriam, qui eas tam ſero pertuliſſent: deinde, cùm ad clauſulam legendo deeueniſſem, liberaui culpa tabellarios, de te cœpi quærere, quod etiam nunc quæro, quid conſilij tui fuerit. vt qui primis diebus aut etiam primis menſibus aduentus mei nullam omnino lætitiæ tuæ ſignificationem dediſſes, idem poſt annum denique; & eo amplius, omiſſum antea conſilium gratulandi repetendum putaueris. neque enim hanc afferre cauſſam potes. quod eo tempore minus commode ſe haberent. Romanæ res, nunc autem in eo ſtatu ſint, vt gratulationem dignæ videantur. nam contra, quæ tunc tranquilla ſatis erant, nunc turbulenta multi putant. ego tamen, vt opto, ſic etiam auguror, & ſpero; fretus infinita ſummi Dei clementia, & conſilijs optimis Pij 4. Pontificis, qui, publicæ quieti vt conſulat, nullam ipſe quietis partem capit, omneſque ſuas curas intento ſemper animo tum in Eccleſiæ dignitate, tum in communi ſalute defigit. At metuebas, ne cæli nobis, præſertim grauioris, obeſſet inſolentia. Eſto: tamen hunc diſſimulari metum decuit: & ego, amaciſſimo homine gratulante, bonum omen libenter accepiſſem. Mores hominum fortaſſe, & conſuetudo aulica, & hæc prope quotidiana ſalutatione neceſſitas occurrebat, me contra otij cupidum huius ignarum ambitioſæ obſeruantiæ, quam hic veteres incolæ humanitatem, nos inquilini fucum appellamus vix putabar hæc probare poſſe, nedum imitari vel le, quod ſi ita eſt, pauliſper, mi *, tuam in me

beneuolentiã possum requirere, partes enim videris eas abiecisse, quas tibi imposuerat amicitia nostra, tuũ erat, idq; ego sane exspectabã, vel præceptis erudire me, ad hanc disciplinam aptis; vel, si tibi quoq; hoc artificij genus incognitũ, est, hortari saltem ad Romana studia ne contemnerẽ, habendãque loci, ac temporis, quod etiam sapientes probauerũt, rationem putarem. Hæc ego, à te omissa, etiem in exigendis officijs paulo seuerior, & si id pateretur amor in te meus, iure forsitan expostularem. Sed nihil est tanti: & cupio mihi persuaderi quiduis potius, quam, quo ipso animo erga te sum; eodem te erga me non esse. ac vide, quam non inique tecum agam, atque adeo quanto æquior in te sim, quam in me ipsum ego, si quid in hac scribendi tarditate peccatum est, sæpe id vtrique nostrum pariter adscribo, interdum etiam auerto à te culpam, & in me totam transfero. nam, si tu hoc dixeris, non abiecisse te officium scribendi, sed ignoratione rerum mearum distulisse, exspectantem quotidie, vt aliquid de meo statu non ex humanissimi, optimique viri, Pauli Sacrati sermone, sed ex meis litteris cognoscerem: quidquid enim scripsissem, ad id tuas litteras accommodaturum fuisse: hoc, inquam, si dixeris, in tuto tua caussa est: neque solum excusationem tuam agnoscere cogar & probare, verum etiam, quod contra afferam ad amouendam à me culpam, fortasse non reperiam. itaque absit omnis querela: &, si quid offensum in hoc genere à nobis est, vicissim alter alteri largiamur. verus amor, ac summus, quo tu me, vt opinor, ego certè complexus te sum, numerari inter nos, aut perpendi officia non sinit. quod si fructum requireret amicitiã nostra, quis esset vberior conscientia mutuæ voluntatis? sed profecto non requirit, ipsaque tibi fructus

est,

est seque ipsam alit, ac sustinet, atque equidem recordatione ipsa amicorum meorum ita pascor, vt in secundis rebus nihil iucundius, in aduersis hoc sæpe maximum solatuum inuenerim. Honores autem illi, quos tu sperare à me vis, in quo aduersantur multa, modicé me capiunt, quid enim habent, quo melior fiam? quod curandũ est vnum: aut si hoc non habent, cur expetendi? cur igitur hac specie falli me patiar, aciemque mentis, homini a Deo datam, vt à malis bona distinguantur, inani splendore præstingui? illud optemus potius, vt honesti pulchritudinem, nulla interiecta rerum humanarum nube, contemplari liceat, quod si assequemur, contemnemus ea, quæ cè teri mirantur, & in priuata vita, minimo contenti, regum fortunam adæquabimus. Vale Romæ. 4. Id. Octob. 1561,

MARIO NIZOLIO.

Parmam. 16

DVM aliquid ad te scribere quotidie cogito, & tamen diem é die exspecto; spe vacui temporis, non modo te commodius, sed etiam vt vberius possem scribere: fecit, vt anteuerteret humanitas illa tua, quam ego coniunctam pari doctrina, in amore, & in ore semper habui: ac mihi quidẽ siue ratio ipsa, siue amor in te meus facile persuadet, vt præceptum abs te officij priorem locum, non solum æquo animo feram, verum etiam gaudeam, quid enim mihi aut est, aut esse consecutum intelligam? Quod autem eorum librorum, inquibus & sig[illegible]arum, & argumentandi, amplificandique vari[illegible]nera complecteris, quasi specimen quoddam ad me mittendum putasti siue tu id feceris, vt obsequerere studio meo, cúm id me valde cupere intelligeres; siue, vt elice-

elicereres iudicum meum; quod me velle tua causſa multum, poſſe aliquid fortaſſe, hac quidem in re animum induxiſſes; vtroque nomine eſt ſanè, cur te amem, ac tibi debeam plurimum; nec deeſſe patiar, qualecumque eſt, voluntati tuæ iudicium meum. Egoenim; vt verè dicam, iſtam excellentem ad bene de litteris merendum animi tui propenſionem ita probo, vt efferam laudibus: agere autem hæc te ſimul omnia & implicari tot rebus eodem tempore, quas curare ſingulas, & conficere, permagnum eſt, æque probare non poſſum. Nec me fugit argumentandi, amplificandique ratio, præſertim a te tradita, quem afferre fructum poſſit: ſed figurarum via, natura obſcurior, præceptis ad hanc diem minus cognita, vſu certe parum trita, poſcere ptimo loco videtur lumen aliquod doctrinæ tuæ, vt ad exoptatam omnibus eloquentiæ laudem certum iter aliquando vnius induſtria patefaciat, duo reliqua mox: ſunt enim præclara, planè, que ſtudio tuo digna: interim, hoc vnum ſi ages, primum tibi ipſi laborem valde minues; ſine vlla tamen imminutione laudis tuæ; deinde communis deſiderii expectationē, ex inuererata iam tuæ virtutis opinione ortam, explebis aliquanto maturius. quam multi enim ſint qui hæc Latinæ orationis lumina nōdum viderint, ac ne eſſe quidē vlla ſuſpicētur; quā pauci vero, qui, cum ea videant, imitandi tamen viam, & rationem ignorent; ſcis ipſe omniū optimè, & iudicaſti iam ab illo tempore, cnm re hac ipſa de re confecturum eſſe artē quandam, eāmq; illuſtraturum vnius Ciceronis exempli, profeſſus es, nimium diu debes, mi Nizoli quod olim petentibus à te tribus, familiariſſimis tuis, tuæq; gloriæ cupidiſſimis Petro Bunello, Paulo Magnulo, mihi tunc adoleſcentulo, ſæpe promiſiſti, nec tamen vrgere te

audeo

audeo, hominem ætate infirmum, oculis non bene vtentem, publico etiam docendi munere districtum: sed meam sententiam de re dicendam putaui: quo habui rationem in primis valetudinis tuæ, veritus, ne cum multa senex admodum susceperis, omnia perferre vix possis: de tempore autem, etsi iam indicaui non tam, quid ego, quam quid omnes cuperent, tamen ipse moderaberis ex prudentia tua. & eo quidem animo, vt, in magna exspectatione nos quoque de tuo commodo vehementer laborare, tibi persuadeas. Equidem, si me audis, etiam illud suaserim, ne ad figuras oratorum similia aggregares poetarũ loca. quorsum enim? cum ab vno Cicerone omnis vbertas, & quasi silua tum rerum, tum verborum sumi possit, quod si poeris prodesse vis: hoc quoque seperatim fiat: bene locabitur industria: nec ego aspernor, ea studia, quæ colui adolescẽs, & quorum ope fateor me ad aliquam oratorij numeri scientiam facile peruenisse, nunc elabores velim & hanc vnam, & simplicem, omnium, vt ego sentio maximam, ac difficillimam eloquentiæ partem. quo in genere, siue tu verborum, siue sententiarum ornamenta quæras, non video, cur vno Cicerone cõtentus esse non possis, mihi quidem, cùm immensas eius opes intentis oculis contemplor, egere interdum ipsa pene Græcia videtur: certe de nostris, qui ad eandem laudem aspirare potuerit, neque fuisse antea, neque fore quenquam puto. Dixi, quid sentirem, ingenuè pro mea consuetudine, libenter pro amore in te veterrimo, atque verissimo, tu quid statuas, vtrum instituta commutes, an vt cœpisti pergas, pro tua singulari sapientia iudicabis. Commentarios meos in Epistolas Ciceronis, quæ Familiares vocantur, cum à te expectari video, augere mihi animos ad scribendum sentio:

& quamquam tu non instes: admoneri tamen videor, vt absoluam, sed hoc nec sine otio fieri potest: & Romæ otium optare, eius est, qui Romam ipsam ignoret, aut, qui, quod accidat vniuersis, in eo sibi præcipuam conditionem sperate solus audeat. Sed quia cessamus inuiti; & quia, quod fuit in opere difficilius, id transactum iam est: enitemur, vt reliqua diu non desiderentur, augustiæ temporis obstabunt: at detrahere aliquid somno, & conferre ad elucubrandum licebit. turpe enim nobis est qui versamur in artium nobilissimarum studiis, anteluciana vinci leuiorum opificum industria; præsertim cum illi nihil preter ea, quæ corpori seruiunt, & vetustate corrumpuntur, nos animi fructum cum nominis immortalitate quæramus. Vale Romæ. 4. Kal. Decemb, 1562.

ANDREÆ GOSTINIO.

Cracouiam. 17

RECTE coniecisti, obrui me plane negotiorum fluctibus. nam, qui antea, cum essem Venetiis, vel infimi ordinis hominibus respondere ad me scribentibus consueßem; scilicet Andreæ Gostinio, doctissimo, & eloquentissimo viro, summa apud principes auctoritate, & gratia humanissimè scribenti, nihil rescriberem, tum vero me hominem non esse, minimeque dignum iis litteris putarem, quibus ab ineunte ætate ita meum studium dedi, nihil vt antiquius habuerim, nihil omnino duxerim præstantius. Feci tamen in summis occupationibus, vt orationem tuam legerem: de qua sic statuo, scriptam esse grauiter, & ornate, sic, vt ex ista prouincia, quæ nũc egregiis florer ingeniis, tibi comparem paucos, anteponam neminem, quo sane nomine vehementer

tibi

tibi gratulor, & liberalibus disciplinis, quibus ab ista eloquentia quantum ornamenti, possit accedere, mente iam prospicio. Perge, mi Gostini, per eam viam, quæ te ad immortalem gloriam ducit, nihil optabilius sapienti, quam ea quærere quæ vulgus contemnit, eos vitæ terminos quos natura præscripsit, virtute proferre, quod tu potes, & velle debes, &, vt velis, ego te, amicitiæ causa nuper inter nos institutæ, non solum moneo, verum etiam rogo. De migratione nostra video de te ex aliorũ litteris cognouisse, nunc ex meis hoc scito amplius, cũ hic honestissimorum hominum & beneuolentia, & consuetudine fruar, nec mihi quidquam in mentem venerit optare, ac petere, quod a summo Pontifice Pio IV. non facile sim consecutus, angi me tamen, quod studijs nostris, quorum quæ sit nauitas, ipse optimè nosti, ita diuellar, vt ex iis, quæ pro communi vtilitate non pauca eram exorsus, pertexere nihil liceat. quam iacturam, fortasse re minimam tamen, vt ad iuuandas bonas artes animi mei propensio est, fero molestissimè. Quo circa tibi iam tuique similibus, qui mihi voluntate parès, doctrina, & otio præstant, cogor tradere vigiliam meam; idque facio libentissimè, qui publici commodi rationem ipsam per se, non cum mea laude coniunctam, plurimi semper fecerim. Ego tibi, si quod operæ nauare possum, id totum polliceor, ac defero, seruiam libentissimè, quantum in me erit, voluntati commodisque tuis. Vale, & Petrum Miscoiuu, Andream Patricium, singulares, viros, quibus fortasse excidimus, intermisso litterarum officio, rogo te, meis verbis diligenter saluta. Romæ.

FRANCISCO MORANDO.

Venetiam. 18

Ex omnibus officiis, quæ in me plurima contulisti,

liti, quæ cogitare sæpe soleo, nullum mihi scito pluris esse, quam, quod operâ dederis, vt Iulij Iusti, Comitis omni laude cumulati, amicitiam cõsequerer, nam etsi antea, testimonio adductus tuo, præstare cum litteris, ingenio humanitate existimabam: tamen vicit opinionem meam illius epistola, sane ita luculẽter scripta, vt ad antiquorum eloquentiam proximè accedat. non loquor ad gratiam: neque id amicitia nostra, nec natura mea paritur. huic viro, si cum generis nobilitate spectatur virtus, quamquã nihil est ipsa virtute nobilius, qui præferri possit, neminem video, itaque illum in oculis fero, ornare etiam laudibus cogito, & meam obseruantiam, si fieri poterit, apud posteros testatim relinquere, tu, si spoponderis ei de me, quæcumque ab homine coniunctissimo exspectari solent, gratissimum feceris. Naugerius, controuersia quadam impeditus, tibi, vt arbitror, non ignota, suam profectionẽ distulit inuitus, nunc nihil obstat, præter anni tempus, quo minus in viam se det quantum diuino, si Pontifex Bononiam se conferet, de quo rumor pænè raucus factus est, itineris comitem se præbebit; sin minus, circiter Kalendas Martias, remissionem frigoris, discedet. Orationem tuam licere tibi diutius, quã volueris, limare, ac perpolire, non molesta fero, at obtrectatio laudem minuet: quasi præstare id em, si temporis ad scribendum tantundẽ daretur, quiuis posset, tu hoc suspicaris, ego secus, nam boni, & recte intelligentes, ipsam rem æquissimis animis æstimabunt; improbi, & imperiti quid sentiant, laborãdem non est, aliqui negotium nobis numquam deerit. De rebus meis hoc vnum, quo lætari possis, accipe: frui me multorum beneuolentia: cetera satis frigent, causam conferamus in tempora: nam ab hominibus libenter culpam auerto. Pontificis quidem

præ-

præstantem animum ita variè, itaque graues distrahunt curæ, vt ignorare multa cogatur, multa etiam delegare alijs, qui præter suum negotium nihil curant: Valet filius, & res Romanas cupidè tractat, quibus libellum suum de Orthographia non mediocriter locupletauit. Vale. Romæ. x i i. Kal Febr. MDLXIII.

IVLIO IVSTO.

Veronam.

FRANCISCVS Morandus, vir sanè ita probus, verique cultor, vt neminem vmquam fallat; ita ingenio, doctrina, prudentiaque excellens, vt falli ipse non possit, multa mihi Venetijs, cùm vna iucundissime viueremus, de tua singulari scientia, integritate, suauitate morum, & eximia quadam ad omnes artes, nobili viro dignas, propensione sæpe prædicare solitus est credebam facile tali viro affirmanti, teque amabam vehementer, eius testimonio permotus: sed quanto eadem vidi illustrius, atque apertius in litteris tuis, quas ad me quo longiores, eo gratiores proximè misisti; itaque ad priorem illam voluntatem, quam in te antea tantam contuleram, vt ad eam accedere nihil posse videretur, accessio tamen eiusmodi facta est, vt eorum studijs, qui te & summa, & peruetere necessitudine attingunt; facile se æquauerit amor meus. nec vero me officiunt illa, quæ multis prima, sunt, familiæ dignitas, amplæ clientelæ, & earum rerum quas fortuna suppeditat, copia, neq; omnino hoc de genere nunc disputo optent, si qui hæc non habent; & qui habent, honestè fruantur, sed, esse quædam haud paulo præstantiora, quæ neque extrinsecus affluant, & semel adscita numquam remoueant, quis, nisi sanæ mentis expers, dubitauit vm-

vmquam? quæ tu, cùm illa quoque possideres, à maioribus parta, à præstanti viro parente tuo aucta, ita tibi acquirenda existimasti, quasi hæc sola tui iuris, vereque tua propria futura essent; reliqua ad te parum, aut etiam nihil attinerent, inacte ista sapientia, eaque virtute, qui enim subducta rectè viuendi ratione, corpori se minimum, animo debere plurimum sentit: qui ita factus, itaque institutus est vt imperet ijs rebus, quibus alij seruiunt; voluptatem nullam amet, ob honesto, seiunctam, ipsamque honesti speciem ita contempletur, vt in ea totus hæreat: is vitæ fluctum capit, is honorum vocabula contemnit, quique verus horor sit, & vnde manet, quidque vera nobilitas à fucata differ, solus intelligit. Hoc te olim videre, ac sentire adolescentem, cum tibi ipse dux esses in rebus egregijs ita strenuus, itaque certus, vt nec ætas illa, quam plurimos in optimo cursu remorari solita, languidiorem faceret, nec æqualium errorà proposita gloria deflecteret, iure mirabantur multi nunc isto ductum sensu, ista incitatum voluntate, mirabiliter adiuuante natura fortuna numquam aduersante, cuius etiam commoda, quibus ad nequitiam abuuntur multi, ad vertutis vsum conferristi, peruenisse adeam laudem, quo aspirare paucissimus licet, cur miremur? incendi potius imitandi cupiditate, & commoueri exemplo debemus. equidem è qua hora legi epistolam tuam, qua nescio an quidquam grauius, aut elegantius ad huc viderim, tantum abest, vt assentatus mihi sim ob eas laudes, quas in me pleno modio contulisti, vt etiam, si quam antea de me ipso opinionem susceperam, quæ sane perexigua fuit, planè omnem deposuerim, quod si, se ipsum nosse, tanti semper fuit, vt inter saluberrima, humanæque vitæ necessaria præcepta hoc præcipuè veteres il-

li Apollinis oraculo tribuerent; quantum à te habeo beneficium, quas tibi debeo gratias, quòd, vt ipſe me penitus inſpicerem, ac mihi poſthac eſſem notior effeciſti? neque hoc ſimplex lucrum eſt, quòd, reuocata ad veritatem ratione cœpi me minus diligere ſed accedit illud quòd acuiſti induſtriam meam, vt conformarem me, quatenus liceret, ad iudicium tuum, &, quibus me laudibus ornandum putaſti, ijs aliqua ſaltem ex parte reſpondere poſſem. quamquam, ſi tu me quem ames, dignum iam exiſtimas: cuius præmij ſpe euigilem, aut quid laborem amplius? vberrimum cepi fructum ſtudiorum meorum: nulla mihi merces amicitia tua præſtantior, nulla carior eſſe poteſt; in ea tantum pono quanti virtutem æſtimo, quam certè omnibus rebus antepono. Congreſſum noſtrum ita exopto, vt tibi non concedam: nec tamen ſperare audeo futurum. vt vna eſſe poſſimus: niſi ſi, qualia ſæpe multa contingunt eiuſmodi aliquid præter ſpem dies afferat, præſertim publicis rebus ita fluctuantibus, vt mutari multa poſſint; vtinam iactura leui: quod equidem ſpero: verumtamen, ſi qua res orbem conuerteret rationum mearum: lenietur incommodum ſpe conſuetudinis tuæ; [illegible]orandi quidem noſtri, hominis huma[illegible]ſſimi, atque doctiſſimi, conuictu domeſtico, quotidianiſque ſermonibus non dubito quin perfruar. Vale. Romæ, XII, Kal. Febr. 1563.

MARIO CORRADO.
Brundiſium. 20

SI mihi omnia planè hic eſſent ſecundiſſima: quod vtinam aliquando contingat; adhuc quidem aduerſi nihil eſt quod ad rem domeſticam & me-

am meorúmque valetudinem pertinet: aliquis tamen in summo gaudio dolori locus esset, quòd nec ipse ad te, vt interdum Venetijs solebam, præoccupatione quidquam possum scribere, & simul fructu careo litterarum tuarum suauissimo: quo nihil ferre molestius possum, captus elegantia sermonis tui, eáque maximi erga me amoris significatione, quæ licet minimè necessaria sit, si quando tamen in litteris elucet, amanti nihil gratius, nihil iucundius est. quamquam hoc ipso nomine, quòd ad me tam rarò scribis, cur ego te, mi Mari, non amem magis etiam, quàm soleo, si modo id fieri possit? agnosco enim modestiam tuam: agnosco humanitatem. numquam tu hoc officium, quo absentes colloquimur, & cogitatione saltem coniungimur; quo quidem vtrique nostrum nihil optabilius existimo; intermissum esse patereris, nisi veritus esses, ne mihi diligentia tua, curis assiduis detento, rescribendi onus imponeret, quod si ita est, cessare tamen te, qui vacas, prorsus nolim. mihi verò hoc iuris non arrogo, ne numquam rescribam: sed hoc, te permittente, sumo, vt quod commodo meo fiat. negligentia me peccare in hoc genere non putato quòd si memoriæ meæ parum confides, & diu reponsum tibi à me deberi non patieris, admonebis, cùm videbitur, atque adeo exiges. numquam mihi in appellando, modò, vt soles, Latinè appelles, molestus eris: quin etiam gratiam inibis, quòd efficies, vt cum aliquo soluam lucro, crebrò reguitandis epistolis tuis, quas lego libentissimè. Vale.

EIDEM, Brundisium. 21

NOLI, obsecro, secus quàm debes, & quàm te dignum

dignum est, aut de mea in te voluntate, aut de filij obseruantia suspicari, vnicè enim te diligimus, sic planè, vt in ijs necessarijs, quibuscum quotidie viuimus quóque in oculis pro summis eorum meritis gestamus, Marium Corradum, quem numquam vidimus, numerare soleamus. si dubitas, testes dabo. testes dico? cùm vnus instar omnium esse possit. nam Petrus Perpiniamus, de cuius probitate, & doctrina non tu sentis melius, quàm ego, ex multis meis sermonibus, quo tu apud me loco sis, quantúmque tibi tribuam, optimè coniecit. de filio autem quid putas? an tenero eius animo persuaderi quidquam posse, quod à meo iudicio, meáque consuetudine abhorreat? mihi crede: cum illum egregijs imbui studijs exopto, vt imitari cum laude possit domesticam industriam: tum hoc volo in primis, & hoc illi præcipio semper, vt amet eos tantum, qui virtute excellant, & quos amari, ac laudari à me senserit. in quo magnam capio voluptatem, quòd eum video præceptis meis locum non relinquere, & in hanc sententiam sua sponte ita propendere, quasi propriam in eo sitam esse laudem existimet. itaque sumus erga te pariter animati, nec amicitia tua quidquam carius, aut antiquius habemus: merito id quidem: quid enim te amabilius? quis te vincit humanitate, litteris, eloquentia? nosti verò, nisi me signa fallunt, quæ tamen obscura non sunt, quis cupidior, aut etiam studiosior? At nihil ad te litterarum per tot menses. Vis tu nos alieni peccati culpam sustinere? non arbitror te esse tam iniustum. neque hoc humanitas, & consuetudo tua fert. accusa eos, quibus id negotij dederas, vt litteras ad nos tuas perferrent quarum in desiderio diu fuimus, & mirabamur, cùm sis in scribendo minimè impiger, &

cùm ad Perpinianum bene longas epistolas mitteres, nos à te, tuos veteres amicos, ne schedulam quidem, aut litteram accipere; cum præsertim de Inscriptionibus antiquis à filio meo, qui M. Brutum in eo imitatur, quia, quod vult, valde vult, rogatus esses. Quare nostram causam debes æquum iudicare, & arbitrari id, quod res est, si tuas litteras, aut etiam sine litteris, inscriptiones accepissemus, numquam nos commissuros fuisse, vt officium nostrum desiderare posses. nam Palia tuus Aldi mei sitim suis promissis incendit, re nondũ sedauit. Vale. Marcello, fratri tuo, salutem dices meis verbis. Romæ, XV. Kalend. Febr. 1565.

*, EPISCOPO CREATO. 22

ETSI, de futuris rebus affirmare, grauitatis, & prudentiæ non videtur; coniecturam enim sæpe fallit euentus, & obscuritatis plena sunt omnia: si quis tamen eas persequitur diuinandi vias, quæ ab excellentibus & ingenijs, & studijs, à cognita industria, à spectata virtute ducuntur; hunc ego opinionis errore numquam labi, hunc optimum esse vatem existimo. quæ me ratio mouit ante aliquot annos, vt de tua dignitate prædicerem ea, quæ partim consecuta iam sunt, partim à me exspectantur, quasi longè non absint. quid enim agebant & quo spectabant curæ illæ tuæ, ab ipsa pæne pueritia susceptæ? quæ res, quæ spes tibi proposita, fuit, cum Reginaldi Poli Cardinalis, innocentia & litteris eximij, contubernium, ac domesticam consuetudinem experebas? quid, cum Lutetiæ, post obitum Poli, Vicomercato, Patauij Genuæ, præstantibus in philosophia viris, operam dabas?

quid-

quidquamne sequebare præter ea, quæ qui adipiscuntur: omni honore digni & habentur, & sunt? nos quidem te, amici tui, Patauij præclara studia ita cõplexum, vt diuelli vix posses, cum & creberrimæ propinquorum litteræ in patriam reuocarent, & præsens frater non modò hortaretur ad reditum, verùm precibus etiam peteret, atque obsecraret, vi propemodum extrusimus, inuiti omnino, quibus carendum te esset, cuius consuetudine nihil suauius; sed ita duximus expedire tuæ laudi; cùm intelligeremus, quanto futura esset illustrior ingenij tui facultas, ab otio litterarum ad res gerendas traducta, præsertim in ista prouincia, in qua tibi maiorum tuorum virtus tritum iter ad gloriam reliquisset; isto Imperatore, quo nemo bonas artes excipit liberaliùs; his etiam temporibus, cùm Christiana Resp. domesticis hostibus vexata, ab ijs, qui eam doctrina, probitate, prudentia iuuare plurimùm possunt. id est à tui similibus opem poscere videatur. Quo circa primùm tibi gratulor ob actiones illas Tridentinas, in quibus ostendisti sæpe, vt audio, pro communi salute lumen animi, ingenijque tui, numquam inops à consilio in ambiguis rebus, numquam in maximis ac difficillimis à constantia relictus: deinde verò, quod tantorum meritorum egregiè memor optimus & sapientissimus Imperator non solum Quinqueeclesiensi te ornauerit Episcopatu, qui summis viris deferri solitus honor est, verùm etiam ad arcanas res admissum ijs interesse consilijs voluerit, vnde manat cum Christi gloria prouinciarum salus, vnde proficiscuntur ea, quæ multis re, exemplo omnibus expediunt. omnibus enim vtile illud est, quo Principibus Christianis rectè imperandi ratio, & emendatæ disciplinæ formula præscribitur. Atque

equidem videre iam videor, & planè coniectura prosplcio, qualis & quantus in isto munere, bonorum omnium, beneque intelligentium sententia, sis futurus, tum eloquentia qua excellis, tum ratione, prudentia, integritate; quæ in omnibus natura ipsa inchoat, industria perficit in paucis. quod nisi ita fore considerem; & nisi tuos ad laudem impetus iam inde ab eo tempore, cum te mihi quasi meis informandum sermonibus tradidisti, probè cognitos haberem, facerem id, quod tu, vt opinor, amori in te meo facilè concederes: hortarer te, & precibus etiam agerem, ijsdem scilicet, quibus agerem cum filio meo, si isto loco esset: vt assiduè cogitares, quam personam gereres, quam grauem quam illustrem, à quo impositam Principe: qui cum suum de te iudicium beneficio maximo declarauerit, beneficium tamen ipsum significatione iudicij sui vehementer auxit. quid enim putas esse in rebus humanis optabilius, quam ei non displicere, qui nisi Deo valde placeret, valdéque carus esset, incursione & vi barbararum gentium vastarentur omnia, legibus, moribus, hominibus, vrbibus denique ipsis extremmum impenderet exitium? Multa sunt opinionibus hominum excelsa, atque ampla: quæ si quis consequi velit, curas suscipiat, labores perferat, de ipsa interdum vita periclitetur necesse est. hæc tibi, mi *, (meum enim adhuc appello, nec, vt spero, ista mihi te dignitas immutauit) hæc, inquam, tibi cogitanda non sunt. nam quid tu non habes, cùm hoc habes vnum, vt mores, ingenium, studia tua Ferdinandus Imperator probet? hoc eiusmodi est, vt neque diu solum esse possit, &, si omnia consequantur, omnia tamen vnum vincat. Quare isto bono sic fruere, quasi fonte & capite bonorum omnium, & quasi omnium

maximo.

maximo. Tuos verò sensus, tuas actiones in omni vita, non dubito, quin ad immortalis Dei gloriam conferas. sic educatus, sic eruditus es. hanc ego tibi laudem tribuebam adolescenti: nunc, si verear vt robustior aliter sentias, ac tui te dissimilem præbeas, faciam imprudenter. Retine igitur institutum, & persuade alijs exemplo tuo, verum decus in bene agendi perpetuitate positum esse; nihil opes ad laudem, nihil præfecturas valere: obsolescere prorsus honorum insignia, nisi splendor virtutis accedat. quod quia te sentire certò scio; propterea tibi ex animo, vereque gratulor accessione dignitatis tuæ; &, quanquam variis distinebar curis, feci tamen libenter, vt hanc ad te, indicem lætitiæ meæ, testémque voluntatis, epistolam mitterem: cui si responderis, iucundum tibi fuisse officium meum intelligam; sin minùs, molestum tamen fuisse numquam putabo; & occupationibus hoc tuis, illud amori tribuam. Vale. Romæ, Kalendis. Ian. 1564.

DECIO BRANCALEONI.

Neapolim. 23

NISI tibi non esset occupatio mea, vererer in primis, ne accusares officium meum, qui litteris tuis, amantissimè scriptis, nihil adhuc respondeam. Ego, mi Deci, hoc mihi iuris assumo cum amicis, vt, si quid ad eos magnopere non pertinet, à me vero non satis commodo meo fieri possit, omittã interdum, aut in aliud tempus rejiciam. te verò cur in meis necessarijs non numerem, vel Cambij mei testimonio, qui tuam in me beneuolentiam prædicare solitus est, vel affirmatione tuarum litterarum ex quibus duplicem voluptatem cepi, & quòd amari

me abs te cognouerim, & quòd eum te esse quem qui non amet, hominem non esse, contenderim? Nec me putes blandiri velle. sic equidem loquor, vt sentio. Præclara virtutis fundamenta iecisti: signa video non obscura, nec dubia tum studij, tum ingenij: nec hortari magis, quam gratulari debeo: cùm tu, qua ætate multi ad inanes voluptates deflectunt, in ea solidam laudem quæras, & propemodum inuenta gaudere possis. Nec dubito, quin istam mentem, & aliquid ex ea tibi manat gloriæ, vel cõmodi, totum, quantumcunque futurum est, acceptum Deo referre velis. quod si facis; næ tu mihi multò amabilior es: tibique ipse optimè cõsulis, cum falsam speciem felicitatis humanæ à veri boni possessione distinguis. Vale, & Cambium nostrum, iuuenem eximiæ humanitas, cupidúmque omnium liberalium doctrinarum, saluta meis verbis Romæ. 8. Id. Quinct. 1564.

EIDEM. Neapolim. 24

MIRAMVR vterque; tu, quòd litteris tuis non respondem; ego, quòd eo me nomine appelles, atque officium meum requiras. quid? tu solus ignoras, quibus distinear curis? quantis rerum oneribus premar? quam numquam vacem? nec tamen deserere officium soleo. numquam id mea vel consuetudo, vel natura pateretur. At non rescripsi. Excusat me litterarum tuarum argumentum. petebas à me scripta mea. quæ corrigere cùm vellem, otium numquã nactus, comprimenda potius, quam emittenda, iudicaui: idque sum arbitratus licere mihi per humanitatem tuam. Hoc ipsum, inquies, scripsisse te vellem. Hoc ipsum te quoque suspicari, decuit: & erat amoris; & ego id te cogitare aut

aut ad aliam saltem causſam referre silentium meum, libenter mihi persuasi. in quo si tu me putas indulgere mihi plus, quam oporteat: assentiar, cum ea fortasse conditione, vt te quoque plus à me, quam par sit, exigere fatearis. nam in ijs, quæ tua interesse cognouero, nulla, mihi crede, impediet occupatio, quo minùs amicitiæ nostræ debitum officium præstem, inanes autem litteras vt mittam, vix impetrarem à me ipso, si otio abundarem. quid, cùm egeam vel maxime? Equidem, in te amando partes vt meæ desiderentur, nunquam committam. idemque à te peterem, nisi voluntatis in me tuæ testes epistolas tuas, Cambium autem nostrum, quem æquè diligimus, quasi sponsorem haberem. Aduentum tuum, de quo spem rursus iniecisti, auidè exspecto. Vale. Romæ. iij. Non. Feb. 1565.

ANTONIO FVRNARIO.

Neapolim. 25

Et æqua petis: & nihil est, quod tgo tibi, pro tua præstanti virtute, non libenter tribuam. icaque, licet ijs distinerer curis, quibus respirandi locus non esset; potius tamen habui nihil, quam vt adirem ad eos, qui cùm Indicem correxerint, eiusdem interpretandi scientiam maximè omnium tenent. ij sunt quatuor viri, doctrina, & dignitate non vulgari, humanitate etiam tanta, quantam ego sumpsam cognouerim. quorum vnus vetere mihi necessitudine coniunctus, eloquentia princeps, Mucius Calinus, Archiepiscopus Iadrensis, cùm litteras tuas legisset, inàendi aliqua tui cognoscendi cupiditate visus est, extulitque laudibus ingenium tuum, assentiente me, deinde, acturum se cum collegis de tua re diligenter, pollicitus, biduo pòst ita mihi respondit:

si

si qui sint Astrologiæ iudiciariæ libri, qui certò aliquid non affirment, eos legi tutò posse: totámque hanc esse partem in Indice desertis verbis ita explicatam, vt nihil addendum videatur: Episcopis prouidendi, ne peccetur, facultatem esse permissam: ijs se nihil præscribere neque velle, neq; posse: nec dubitandum, quin ij, pro salute animorum, & religionis nostræ commodo, atque ornamento, egregiè administrent omnia. Hæc de negotio tuo: in quo præstiti, quæ sunt in me, diligentiam, & fidem: reliqua, pro tua prudentia, & æquitate, nisi fallor, à me non requiris. Amicitiam tuam, vt debeo, facio plurimi: idque vt intelligas, elaborabo, & fortasse perficiam. Vale. Romæ, viij. Id Quinct. 1564.

EIDEM, Neapolim. 26

OFFICIVM meum, quod ab optimo erga te animo profectum est, iucundum tibi fuisse, vehementer gaudeo. equidem vellem, quantum in me voluntatis, & studij, tantum esset auctoritatis, & gratiæ, ne tu intelligeres, quo apud me loco sis, quantúmque ijs, quæ vulgò bona appellantur, antiponam ea, quæ verè bona sunt. in quo puto non discrepare iudicium tuum à sententia mea. exculto enim virtute animo nihil inane placet; recta, & honesta, & cum ipsa virtute coniuncta, prima sunt. Quare velim ita planè existimes; patere me totum tui similibus, id est, probis, & eruditis hominibus; nihil mihi pluris esse, quàm ijs operam nauare, eorúmque commodis inseruire: quod vbi contigit, ita lætor, quasi beneficium acceperim, non dederim. Tu autem, quasi magnum aliquid tua causa præstiterim, gratias mihi agas: & suauissimam epistolam condita tot adulcione facis: amanter tu quidem, & benignè: sed

è stu-

è ſtudiorum ſimilitudine, præſertim artium liberalium, quibus vterque noſtrum deditus eſt, contractus amor munera non deſiderat, ſeipſo contentus eſt: nec mihi quidquam eſt, aut eſſe poteſt te ipſo præſtantius, & beneuolentia tua: quam ſi conſeruas, omni me officiis beneficiorum genere: & hoc nomine maiores tibi habeo gratias, quam ſi mihi Adonidis hortos donares. Ego te, vt debeo, in oculis iam fero, licet nunquam viderim. Vale. Romæ, iiij. Kal. Sex. 1564.

EIDEM, Neapolim. 27

MAGNI amoris indicium, quòd ſcribere ad me volueris, cùm tamen, quod ſcriberes, nihil eſſet, argumento ſcilicet nunquam indiget verus amor: verè autem quis amat, niſi qui, ſpeciem virtutis intuens, hæret in ea, vnam expetit, cetera floccifacit? hoc idem qui ſentiunt, facilè coniunguntur animis, licet longiſsimè diſtent. quod, opinor, vtrique noſtrum contigit. nam ſtudiorum ſimilitudo contraxit amicitiam noſtram, nec vulgarem, vt video, ſed qualem ſæpe multorum annorum obſequia, officiaque plurima, & familiaris conſuetudo non peperit. quod tu ſi cogitas, vt ego non mediocri cum voluptate ſæpe facio: contentum eſſe me, & lætari vehementer voluntate, ac ſtudio tuo, munera verò prorſus non eſſe neceſſaria exiſtimabis. quamquam amplector equidem officium tuum, & de paſtillis aromaticis ago gratias, cùm præſertim ſtomacho languenti vtiles admodum experiar. quod verò de muliere dulciaria addidiſti; amo diligentiam tuam; vel quòd eius excellenti opera vſus es; cùm vulgaris tibi confectura, qui tuus eſt in me amor, non ſatisfaceret; vel quòd ipſum mihi

significandum putaueris. Cymbæ tuæ secundos ventos exopto: & libenter spero fore, quod vehementer cupio. res tamen ipsa quæ sit, quidque sibi velit Aquilonaris illa tempestas, planè nõ assequor. sum enim aliquanto hebetior, quàm tu suspicaris. De minutis auibus, risi, & consilium tuum, licet causam ignorem, tamen improbare non audeo, nimirum, cauere, sapientis est: & satis cauet, qui non temere credit. quod Epicharmi poetæ Siculi, celebrato versiculo monemur, Vale. Romæ, xij. Kalend. Febr. 1565.

NATTÆ. 28

NOTVM tibi esse arbitror statum rerum mearum: de quo tamen, & de mea valetudine, ex familiari tuo, qui has litteras perferet, cognoscès. Voluntatem in te meam, atque obseruantiam, quæ antea fuit, eandem esse, ac semper futuram, tibi persuadeas, vtinam reipsa aliquando experiaris. habet hoc virtus, vt languescere animos in amore non sinat. te verò, quis iam ignorat, cum pauciſſimis in omni genere laudis esse conferendum? Perge in cursu laudabilis industriæ tuæ: quando nec otium deest, quod mihi occupationibus eripitur, & præclara habes adiumenta doctrinæ, atque ingenij, quæ tibi gloriam, nobis fructum afferent. Me verò vt ames amore illo tuo singulari, ita cupio, vt nihil magis Hæc scripsi raptim, in summa vacui temporis inopia. Vale, iij. Id. Quinct. 1564.

PETRO MAFFÆIO.

Genuam. 29

ET otium tuum significas, quod equidem vehementer optabam: & Latinè scribis, & coralia quoq; polli-

polliceris. nil profectò tuis litteris iucundius. hoc enim verbo per vxoris, & filiæ valetudinem iam vti licet. vnum requiro, quòd otij rationem prope nullam reddis. atqui me id à te, vel si taceam. exspectare tamen, ne dicam exigere, poteras opinari: si modò, te à me diligi, & diligi propter studia tua, putas. Iurisconsultus ille adhuc litigat, cum damno lucrum quærens. quem diligat, ignoro: vtitur quidem perpaucis, & amare tenebras videtur, fortasse illi persuasum est, desiderari se posse ab oculis multorum, si rarus in publico sit. id populus curat scilicet. Hæc de illo. quod ad me attinet, non libenter: tua verò caussa scripsi non inuitus, ne prorsus amiculi desiderio tabesceres. Venio ad Antonianum, quasi à ruta ad pulegium: nihil enim hoc adolescente amabilius, siue mores, siue doctrinam spectes. Gratulatus ei sum tuo nomine de oratione, qua Cæsarem in funere laudauit. is tibi vicissim gratulatur de statu rerum tuarum: speratque fore, vt aliquando te ad nos referas bene nummatum, & fruaris nobiscum simul tranquillo animo, litterulis nostris, certo vectigali, tua virtute parto, quòd hîc, vt sunt tempora, pauci consequuntur. nihil autem miserius, homini præsertim liberaliter educato, quam suspensas habere viuendi rationes, & aliunde pendere, dubia spe, quam sæpe fallit euentus. Tu igitur fruere isto otio, & colloca in tuto fortunas tuas: quod vides facere discipulos tuos. πολλοὶ μαθηταὶ χρείττονες διδασκάλων. Camillum Seuerinum, doctum iuuenem, & probum, rusticari cum nobili iuuene, optimèque erga ingenuas artes animato, Io. Baptista Nigro, valde lætor. non enim dubita, quin multas diei horas iucundissimè traducant, animum egregijs de virtute sermonibus oblectantes, corpori tribuentes, quantum satis

est

est. vtrumque cupio, quod tuo commodo fiat, meo nomine salutari. Aldus te, vt debet, amat, salutémque tibi multam impertit. Vale. Romæ. Id. Sept. 1564.

PAVLO SACRATO.

Ferrariam. 30

MALE sentis de vtroque nostrum, cùm de immutata mea erga te voluntate suspicaris. nam & me leuem, atque inconstantem, & te fingis dissimilem tui, id est eum, cuius in amore, cognita iam virtute tua, languere quisquam possit. tu de te ipso vide quid statuas, & quo modo feras iniuriam tuam: ego meam nec dissimulare, nec ferre leuiter possum. nam cùm ab ineunte ætate ingenium, animumque meum ijs artibus, & studijs excoluerim, vnde præclara omnia nascuntur: scilicet egregium industriæ meæ fructum ferrem, si, quod in quibusdam soleo reprehendere, quodque ipse sciens nunquam feci, in amicitia peccarem, præsertim tua, quæ non, vt multæ, casu & fortuitò contracta, sed expetita à me semper, & pluris æstimata, quam quæ vulgò maxima putantur, Obsecro te iltam ne patere suspicionem in animo tuo residere: cogita, quod res est, te mihi esse in oculis: delectari me vehementer memoria officiorum tuorum, & angi nonnunquam, quòd habere magis gratiam, quam referre possim. In pensione exacta, & pecunia permutata agnoui diligentiam tuam, vel amorem potiùs, quo tu adductus, mea negotia vel minima ita curas, quasi maxima sint, maioremque commodi mei, quam dignitatis & personæ tuæ rationem habes. De locatione verò renouanda, totum ad te refero. mihi, quidquid egeris, non modò rarum, sed etiam gratum erit, venditio-

ditionem quidem temporibus excludi, & priuatorũ fortunas nonis vectigalibus exhauriri, non mea magis, quàm vestra, causa doleo: quamquam dolorem nostrum leuare debet illa ratio, quòd nihil malum sine culpa, item vt cum culpa nihil bonum. Ego me hoc in aduersis didici sustentare solatio. quod ignorari à Christianis, quibus hæc sententia præstantissimum in cælo fructum promittit, cùm ijs etiam philosophis, qui veræ fælicitatis vix vmbram viderunt, notissimum fuerit, turpe simul & exitiosum est. Vale. Filius te salutat, & in primis obseruat. Romæ. xvj. Kal. Dec. 1564.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER SEPTIMVS.

CAMILLO PALÆOTTO.

Bononiam. 1

RECTE, & amabiliter cogitas, cùm vsuram mihi sermonis tui, tuæq; suauitatis, ademptam locorũ interuallis, restituendam quoquo modo litteris existimas. hoc sanè non modò mea perpetuis in te, & perpetua, & iam ad summum perducta beneuolentia, verùm etiam humanitas illa tua postulat, in qua tibi cõferre possum pau-

pauciſſimos, neminem certè debeo anteponere. Atque hoc loco recurrit animus ad initia noſtræ neceſsitudinis, repetitque ſecum, & magna cum voluptate contemplatur officia tua: quæ libenter alijs prædico, tibi non minùs libenter exponerem, vt hoc ipſo me gratum, & memorem intelligeres, niſi me reuocaret pudor tuus, & putarem confidere te memoriæ meæ, nec tamen expetere à me quidquam præter voluntatem. Sed omitto illa vetera; recentem gratiam præterire non poſſum, quòd homo ſemper diſtrictus à publicis rebus, priuatis etiam, quæ tua benignitas eſt, amicorum negotijs tum opera, tum animo diſtentus, epiſtolam tamen ad me miſeris, & bene longam, quod ipſum amoris eſt, & omni prorſus officio, omnique lepore, & elegantia refertam. Nam, quòd me laudas: non ita deſipio, vt velim tecum de veritate contendere. ſi te delectat hic error; fruere quamuis diu, me nec repugnante, nec inuito. ſin errare turpe ducis, in eo præſertim genere, in quo te, vel ſi ego tecum ſentire velim, res tamen ipſa facilè refellet: die me deditum litteris, dic antiquitatis cupidum imitandæ: ſtudium tribue: largire induſtriam: hæc fatebor, & agnoſcam: de doctrina verò, & eloquentia, quam in me vtramq; plena manu congeſiſti, etiam atq; etiam vide quid ſentias. quam enim tu laudem bene & emendatè ſcribendo conſequeris, eandem laudem non bene de ſcriptis alienis iudicando vt amittas, committere non debes. Habuit iſtam gloriam proxima ſuperior ætas; cùm florerent illi viri, de quibus nulla poſteritas conticeſcet, Bembi, Sadoleti, Poli, & horum vel æmuli, vel imitatores multi. tunc induſtriam benignitas excitabat. fructus laborem ſequebatur: ad opes, ad honores aditus patebat. nunc obſoleſcit ſplendor omnis Romanæ

linguæ,

linguæ, & destituta præmijs migrat ad exteras nationes eloquentia. Hic tu me vocas ad scribendum, & quasi iam languentem in cursu quantum potes incitas. Obsecro, quid spectemus? vides enim tempora: vides hominum ingenia, ad inuidiam proniora, quam ad æquitatem. dignitatem verò illam, & ea commoda, quæ proposita olim erant, nihil est, quòd cogitemus. Quo circa sine me credere temporibus, & minuere laborem ætate iam ingraueſcente: si non concedis, quod interdum cupimus, vt artem omnino desinamus. Ac faceres tu quidem, vt ego sentio, aliquanto istius, si ad communes amicos, Sigonium, & Amasæum, vtrumque doctrina, & ingenio præstantem, cohortationem istam cõuerterres. quãquam Sigonium cessare non arbitror: scribit enim non minus alacriter, quàm egregiè. Amasæi autem musas, quæso, cur pateris silere? certè illum dixeras accuratè quædam pangere in historias Polybij. magnifica res, & gloriosa. cuius exspectationem ego te auctore iam aliquam apud eruditos homines commoui. nunc tuæ sunt partes, vt illum vrgeas, efficiasque, vt omnino opus appareat: simul enim & studiosorum vtilitati, in qua pater eius, dum vixit, eximia cum laude fixit omnes curas, & gloriæ suæ vehementer consulet. Amulius Cardinalis, optimarũ artium patronus pænè singularis, tua sui memoria ita delectatur, vt si cetera desint argumenta, vel ex hoc vno constet, quo apud illum loco sis. itaque noli vereri, ne illi ex animo effluas. non enim is est, qui vel temere amet, vel temere amare desinat. noui iudicium in deligendis hominibus, noui constantiam in tuendis. præterea fratrem tuum, Auditorem Rotæ celeberrimum, clarum præstantibus in Christianam Remp. meritis in oculis fert: de te verò perhonorificè & loquitur, & sentit. Cùm Vitellio tuis verbis

de noua dignitate sum gratulatus, egit gratias, & lætari officio tuo, velléq; plurimum tua causſa visus est. Vale, & Sigonio meo, & Amasæo tuo, vel potius vtriq; nostro, salutem à me plurimam. Romæ, xiii. Kal. Ian. 1565.

EIDEM, Bononiam. 2

CARDINALEM habes fratrem tuum, habes. igitur, cur & vehementer, & perpetuò gaudeas, diuinum enim bonum honor est, non quilibet, sed is tantùm, qui vitæ innocenter actæ, qui summis in Christianam Rempub. meritis, qui rectis deniq; studijs, artibúsque tribuitur. quod quia contigit fratri tuo; cuius animum, ab omni semper ambitione remotum, non hæc virtutis insignia, quæ ipsa per se nemo sapiens concupiuit vnquam, sed ipsa virtus sua forma ad bene agendum illexit: ideo lætantur omnes boni, & fructum quisque capit ex aliena dignitate: quasi ad omnes pertineat id, quod, si eosdem sensus, eaſdem actiones imitentur, sperare omnibus licet. quo tibi nomine haud sanè paulo plus, quam verbis assequi possum, gratulor: nec verò tibi solùm, sed familiæ tuæ vniuersæ; cui proponitur egregium colendæ virtutis exemplum. sic, vt vix iam esse quisquam possit, qui non ad verum decus, atque ad omnes bene audiendi partes excitetur. Ego ipse, qui quidem in tuis esse, & numerari volo, nescio quo modo vehementiùs, quam antea, cupiditate solidæ laudis incendor, atque ita statuo, non satis, esse in studijs, & in vita me similem esse mei; laborandum, atque enitendum, vt ipse me vincam, & qualem esse decet eum, quē vos diligitis, & in quem officia multa contulistis, talem aliquando me præbeam. Equidem, si voluntati par facultas esset, nostram

ſtram amicitiam, quæ vobis, vt ego ſenſi, periucunda, mihi, vt omnes intelligunt, perhonorifica ſemper fuit, libenter ornatem, ſed euenit contra; vt ego orner quotidie magis iudicio de me veſtro, & hac ipſa qui vix optari maior vllo poteſt, recenti veſtræ dignitatis acceſſione ſimul accedat aliquid ad exiſtimationem meam caue enim exiſtimes, aut lætari mediocriter amicos meos, aut mihi a paucis illo ipſo die quo in ampliſſimum ordinem frater tuus cooptatus eſt, gratulationem eſſe factam, eoque maior & mea, & aliorum lætitia eſt, quod fore nemo dubitat, quin hunc honorem, qua virtute eſt adeptus, eadem ita gerat frater tuus, vt ex induſtria, doctrina probitate fructus Chriſtiana Reſp. maximos capiat, ſic enim vixit ad hanc diem, & in maximis, grauiſſimiſque rebus ita ſe exercuit, nihil vt illi iam placere poſſit, quod a communi bono diſcreper, nihil tam difficile, tàm ve arduùm occurrere, quod vel prudentia non aſſequatur, vel cura, ſtudio, ſcientia non perficiat. Vidi igitur in hoc quoque multum, qui cetera omnia pro ſua ſingulari ſapientia proſpicit egregiè. Pius iiij Pontif. Max. cum talem virũ non modo non ambientem, ſed nec opinantẽ, non poſtulantem quidem certè, in Cardinalium Collegium, ipſo Collegio comprobante, probis omnibus, & eruditis viris mirifice lætantibus, adſciuit. Nos autem, & quicumque bonis bene cupit, eaque vult, ac ſentit de communire, quæ velle & ſentire omnes debemus, diuturnam expetamus, & precemur à deo fratri tuo vitam: vt cum præſtantibus viris, quos habet dignitate pares, voluntate, & ſtudio ſimiles, eam vniuerſæ Eccleſiæ, quam tempus & neceſſitas flagitat, opem afferre poſſit. quod ſi acciderit; publica primum cauſſa, deinde etiam noſtra lætabimur. futurum autem, ego quidem,

permotus diuinatione quadam non magis opto, qui spero. Vale. Romæ, id. Mart. 1565.

IO. FRANCISCO COMMENDVNO CARDINALI CREATO.

O DIEM præclarum, qui perpetuæ voluptatis, & lætitiæ nobis initium attulit, quarto idus Martias illo enim te die Pontifex Max. à cunctis bonis expetitum, cum excellentibus aliquot viris Cardinalem nominauit. Queri iam desinamus, virtuti locũ non esse, quod antea multis in orefuit, nec iniuria. quosdam enim ad summos honorum gradus nobilitas, nonnullos opes, alios alia, sola virtus pauciſſimos extulit, deluit hanc maculam, & veterem illam Pontificium sanctiſſimorum consuetudinem, retentam à paucis exoptatam diu, Pij Quarti nunquam satis laudata sapientia renouauit. Quo facto, te quidem pro tua non vulgari prudentia intelligere arbitror, quæ tibi partes impositæ sint, quasque res & præsens à te dignitas, & anteacta tua vita postulet. ego autem hoc tibi videor affirmare posse, vnum sensum esse, vnamque vocem cum tibi gratulantis vniuersæ bonorum Reip, tum verò maximas Pontifici gratias agentis, quod temporibus difficillimis labantem Ecclesiam tali præsidio fulserit, vtroque tibi istum honorem detulerit non petenti, quem studioſe petentibus nobiliſſimis viris denegandum iudicauit. Omnino, quod tu scis optime omnium, nullam mercedem requirit virtus, nec ad se ornandam assumit aliquid extrinsecus: verum tamen, si duabus rebus, præmio & pœna, quod sapientiſſimi viri litteris mandarunt, salus publica continentur; vtroque pariter est lætandum

& ea,

& ea bonis impertiri, quæ inter homines ducuntur ampliſſima, & ita improbitatem notari, ne quis exſultet in culpa, & impunitatem licentia conſequatur. quod cum ita ſit lætari te quoque plurimum decet honore tuo, & fructum illum magni facere, quem tamen non appetiſti, cùm labores grauiſſimos pro Sedis Apoſtolicæ commodo ſuſciperes, cùm pericula ſubires, cum omnes denique curas, omnem mentem, operamque in communi ſalute collocares. Equidem, vbi te Cardinalem eſſe declaratum cognoui, exſultaui gaudeo, eaque perfuſus voluptate ſum, quam his litteris exprimere mihi non licet, tu tamen, vt opinor, cogitatione comprehendes, ſi quæ mea ſemper in te fuerit primum beneuolentia, deinde etiam, vbi cœpit eſſe tua virtus illuſtrior, obſeruantia, cum animo tuo conſiderare volueris, quod vt facias, etiam atque etiam à te peto. Vale. Romæ. xi. Kal. Apr. 1565.

CHRISTOPHORO RVFO. 4

PENDEBAM animi nec ſatis conſtituere poteram, pluſ-ne voluptatis ex diſceſſu tuo caperem an moleſtiæ, voluptatem efferebat illa ratio, quod erudire artibus egregijs adoleſcentem illuſtri loco natum quam tu curam ſuſcepiſti, primum, vt ego ſentio, dignitatem habet deinde, fructum ex eo te poſſe colligere intelligebam, non illum quidem tua cum induſtria & vertute conferendum, attamen eum, qui pro malis temporum non omnino contemnendus eſſe videatur, quod ſi otium quæris, vel vt aggrediare ad ſcribendum, vel vt ea, quæ iam habes inſtituta, perpolias: iſto fortaſſe loco nihil aptius, aut accommodatius ad tua conſilia reperies, nam in vrbe Roma, etſi nihil obſtat, quo minus ar-

tratu suo quisque viuat interpellatores tamen quandoque non desunt, honesti i li quidem, rectisque dediti studijs, interpellatores tamen. Hæc erant, quæ mihi de te cogitanti lætitiæ non parum afferrent. Rursus, cui non dolerem, cum hic te multi, ipse multos diligas, carere nos tua consuetudine, te nostra? tuam verò non vulgarem doctrinam, cui quidem ego semper, à quo primum die, tua scripta vidi, debitum voce meo testimonium persolui, in hec luce, & celebritate versari, vbi cognita decoretur, quis, qui te verè atque ex animo amet, non vehementer cupiat? Hanc mihi molestiam propè omnem, & ancipitem sanè curam eripuit epistola tua quod enim tu studijs tuis otium exopetare videbaris, eo, te istic iucundissimè perfrui, nec vrbis desiderio admodum laborare, facile conieci: itaque vide, quam libenter animum meum ad tuam voluntatem accommodem, idem si ad me sæpe scripseris; quod ita expeto, si modò fieri tuo commodo possit: abesse te lætabor, cum ea tamen spe, vt aliquando nos reuisas, tum scilicet, cùm rationes tuæ patientur. idem sentit, idem vult Octauius noster, idem etiam Sirletus Cardinalis qui viri ornamenta, & lumina nostrorum temporum: quibus te esse ac fore semper carissimum, non dubito, quin & tibi persuadeas, & id in magnâ tuæ felicitatis parte ponas. Vale. Romæ. 4. Id. Apr. 1565.

10. GENVÆ. 5

CONVENIT inter nos de nota scriptis mei apponenda, quæ moram ferre non possint: notæ vero signum omisimus, hoc igitur erit. Tu si mihi in hac describenda epistola tam celeritate satis feceris, quam emendata scribendi studio, politaque &

eleganti

eleganti litterarum forma satisfacere solitus es, multum addes ad officia in me tua: quæ cùm augeantur quotidie, augeri tamen vix potest amor in te meus: eò iam peruenit non modò litteris, & ingenio, sed moribus etiam, & probitate tua: quæ ego haud paulo pluris, quàm omnium rerum scientiam, soleo æstimare. Vale. Ex ædibus nostris. Non. Ian. 1564.

IOANNI BAPT. TITIO.
Florentiam. 9

Etsi doleo, negotijs te nimium diu à consuetudine abduci studiorum tuorum: tamen hanc in dolore voluptatem capio, quòd tu is es, qui, adempto librorum vsu, doctissimorũ hominum assiduo cõgressu, & sermone familiari iacturã hanc ita sarcias, vt minorem fructũ ex otio suo multi capiant, quam tu ex negotio tuo. gratulor tamen tibi, quòd, litibus aliquando liberatus, redieris ad communes Musas: cum quibus quam iucundè viuas, de me ipso coniecturam facio. pascor enim, mihi crede, litteris: cetera omnia vel molesta, vel certè parum grata. Dætus, & Bonannus, si, vt scribis, ita de me sentiunt; vehementer gaudeo. equidem vtrique; non tuo solùm, verùm aliorum quoque testimonio permotus, plurimum tribuo. quod vtinam officio declarare aliquo possim: in quo faculras exoptanda, quæ nunc quidem abest: animus certè numquam deerit: sin id minùs licebit: tu scilicet, quæ tua est humanitas, & in me amor, cùm de me ijs omnia polliceberis, tum eorum mihi beneuolentiam, cuius ipse potissimùm auctor fuisti, conseruabis. debes enim, & vis opinor, vt optimus artifex, perpolire opus tuum, & ad exitum perducere. A te, mi Titi, promissa non exigo; ne, quod liberalitatis est, id videar fidei velle tribuere;

cùm tamen vtrique confidam pariter. hoc tantùm dicam: quod te facturum scripsisti, id si quàm primùm feceris, fore, vt non minùs de tempore, quàm de re, tibi gratias agam. Cotta tuus semel & iterum ad me venit. sanè delector hominis probitate, moribus, doctrina, amo etiam vt amicum tuum, & quamquam premor negotijs; quòd tu optimè scis; cum tamen ire ad me voluerit, numquam eum excludet occupatio mea. Filius abest, Venetias profectus ante aliquot dies, inde Asulam: quo in opido frater meus, ab omni remotus grauiore cura, tranquillo animo ita sibi viuit, vt rem domesticam non cõtemnat. Vale. Romæ. v. Kal. Nou. 1565.

MARIO CORRADO.

Neapolim. 7

ETSI nec magis, quàm soleo, vacabam; & ad quotidianas occupationes accesserat cura sanè grauis, ex interitu susceptæ domestici hominis, ad mea negotia vehementer apti: feci tamen, amore impulsus, quo te propter ingenij, doctrinæque præstantiam mirificè sum complexus, vt epistolæ tuæ respondérem: quæ mihi voluptatem eò maiorem attulerat, quòd te Neapolim venisse, nec statim discessurum, cognoui. sæpius enim & commodiùs, vtrò citróque cursantibus publicis tabellarijs, tu de meo, ego de tuo statu audiam. Videre mihi videor, te totum in litteris esse. cupio non inanem esse coniecturam. vt vt est, hoc equidem spectro delector, & mirabiles industriæ tuæ fructus exspectò. Ad Latinam verò linguam quòd attinet, mihi crede, sine caussa laboramus, an illa tibi, tot veterũ illustrata monumentis, tot etiam recentiorum probata testimonijs, vel nostro, vel cuiusquam egere patrocinio videtur?

tur? præſidij ſatis, atque opum in ipſa poſitum eſt ad repellendas iſtorum iniurias: quæ tamen in ipſos recidunt, nam ei nemo maledicit, qui ſe ipſum inſcitiæ non condemnet, quod ſi Latinæ linguæ ſpecies, & pulchritudo, quæ vulgi oculis non patet, cognoſci ab omnibus poſſet; amores incredibiles, vt ille ait, excitaret ſui, me quidem ſic afflecit, cum tamen integram eius formam nondum nouerim, extrema quidem lineamenta vix adſpexerim, vt reliquas voluptates contemnam, cum hac, & in hac libenter, & iucunde viam. qui vero aliter ſentiunt, & errare non exiſtimant: ſexcentis eos argumentis refellas licet, parum proficies, quod ego cum iampridem intellexerim, pauca quædam ſcripſi, ad indicandam ſententiam meam: neruos eſſe intendendos, vt in arcem huius cauſſæ iuuaderem, non putaui. Stomachari, mi Corrade, iam deſinamus in aliena culpa: & gratulemur potius ipſi nobis, quod amemus ea, quæ præclara ſunt: quæ ſi parantur laboribus maximis; id quod à ſtudio multos deterret, moleſtum tamen eſſe non debet, quod gloria compenſat immortalis. Fragmenta patris mei quod requiris: apud me nulla ſunt: furto ablata, quo ille tempore vita exceſſit, creditum eſt. In Sex Empirico, Palæmone, Aſpro, & reliquis mea tibi diligentia non deerit. odorabor, ſi cubi latent. nam in tabernis non exſtant: inuentos noli dubitare, quin eruam. quàm vellem hlius adeſſet, qui Venetias profectus eſt! præſtaret aliquid, opinor. hæc enim ſtudio tractat nouiter; & grammaticos, de Orthographia cum ſcriberet euoluit omnes. Vale. 4. Id. Nouem. 1565.

EIDEM,

EIDEM, Neapolim. 8

SVPERIORE hebdomada pluribus verbis epistolæ tuæ respondi heri alteram accepi: in qua petis à me fecerim ne inscriptionem illam, cuius exemplum ad me misisti in quo laborem sumpsisti non necessarium: id enim ex amico meo, ad quem illam, misi quod noscere omnes possunt, Quod mihi nescio quos inuidere significas: de inuidia non laboro; si quis maledixerit, fortasse tacitum non feret. Quod autem, ne stultis hominibus gratificer, me mones, in consilio tuo benevolentiam cognosco: verũ tamẽ neque quos tu stultos voces, neque quam rem notes, assequi satis possum, nam, si quis grammaticus obtrectat, susque deque laborantibus enim insciẽtiæ morbo medicinam facere si conor, valde sim stultus, si possim, valde sapiens. In exemplo inscriptionis ad me missæ verbum desideratur; omissũ incuria describentis, nam, vbi est, VT DEBITVM ET DOMESTICAE VIRTVTI, ego scripsi, VT PIETATI DEBITVM ET DOMESTICAE VIRTVTI. Vale. Romæ. 15. Kal. Decemb. 1563.

PETRO PERPINIANO.

Lugdunum.

AMABAM antea non vulgariter amorem in me tuum, cum præsertim suauitates in te essent ingenij multæ, rara probitas, doctrina propè singularis, nunc, quam in exhauriendo mandato, quod humanitate tua fretus discedenti tibi dederam, curam & diligentiam adhibuisse, ea me sic affecit, vt omni te animi mei sensu cõplectar, omnia tibi, quasi iure opti-

optimo debeo, studia & officia pollicear, quamquã de amico mœo diriora significant literæ tuæ, quæ si vera sunt amicum tuam non appello. excellat licet ingenio, valeat industria, ex antiquis monumentis præclara quæque delibauerit: hæcinania sunt, nisi optima mente, & Christiana pietate imbuantur. quod si te respexerit, si cum Ecclesia Catholica, id est, cum Deo, redierit in gratiam: tunc ego me illi restituam: tollam hominem, & ornabo, quantum in me erit: nullum ei deesse á me officium patiar, quod ad eius dignitatem, existimationemque pertineat. Quòd scribis, Lugduni meliorem iam loco religionẽ esse, & in eo te operam strenue nauari: non miror te tui similem esse, præsertim in communi salute: publicam verò rem quotidie melius ire, contrà quam & sperabant nefarij homines, et agebant, vehementer gaudeo. Rex autem adolescens, ac pæne puer, cum in Christi causam tanto animo cœperit incumbere, superare videtur ætatem virtute, & plane is esse, qui maiorum suorum laudibus aliquando respondeat. Posseuino meo cùm salutem á me scripseris, hoc addes, memoriam illius nostræ veteris amicitiæ mihi petiucundam sed longe cariùs, longeque iucundius, quod omnes ingenij sui vires ad profligandos Apostolicæ Sedis hostes felicissimè profundat. gratulor sane optimo iuueni de ista facultate: nec dubito, quin eius semper, quocumque eat, quamcumque rem aggrediatur, ope sua Deus & prosequatur, & iuuet. Reualiam, præstanti humanitate virum, egregiæ de religione sentientem, si meo nomine salutaueris, gratissimum feceris. Vale. Romæ 14 Kal. Decem. 1565.

CVM epistolam complicarẽ, venit ad me, vt solet officij gratia communis amicus, diligens obseruator doctrinæ tuæ, Zerbinus Ratius: is rogauit, vt salutem

tibi

tibi suis verbis adscriberem, quod facio libenter: te-
quer ego, si tamen hoc patitur humanitas tua, vt a-
mes iuuenem, amore tuo dignum.

HORATIO CARDANETO.
Perusium. 10

QVERERER tecum, si liceret, id est, si patere-
tur amor in te meus, quod fructu me priuas: & hu-
manitatis, & iudicij, humanitatis, quasi te amantem
non redamem, quod abest longissime à moribus, &
consuetudine mea: iudicij, quod beneuolentiam
meam ita petis, quasi ego, qui tu vir, quantusque sis,
quæ in te suauitas, quæ doctrina, quæ virtus, quod
omnes iam norunt, solus ignorem. Vbi igitur illa,
quæ in me plena manu conferis, quamquam id qui-
dem amice magis, quam vere: verum tamen, si tu e-
um me putas esse, quem litteræ tuæ significant; in
quo, si vis, (vidi quanti te faciam) plus tibi credam,
quàm mihi, cur minuis auctoritatem testimonij tui,
& pæne tuam sententiam in dubium reuocas, cum
admonendum me sentes, vt eo erga te animo sim,
quo si non essem, non modo indoctum, agrestem, in-
humanum, sed plane me hominem non putarem?
Conor, inquis, extorquere, vt me amen. Non est, mi
Cardanere, cur coneris id quod iam perfecisti: aut
extorqueas, quod ego tibi mea sponte, & ita liben-
ter quidem tribuo, vt etiam, quod amare videaris a-
morem meum, ipse mihi gratuler, tibi gratias agam.
Quod ais, officio te esse impulsum, vt ad me scribe-
res, & eodem officio admonitum, vt breuiter scri-
beres: agnosco modestiam tuam, & probo,
cum eo tamen, vt existimare te velim, vel si creber-
rimas ad me, longissimasque miseris epistolas, æque
mihi omnes gratas, & perjucundas fore. cur enim
scriptis

scriptis tuis non delecter, quæ cum lego, antiqua non desidero? cùm præsertim istam facultatem hodie multi expetant, pauci consequantur Commentarios meos in familiares, vt vocant, Ciceronis epistolas requiris: si esset otium, propediem absolutos darem, sed ita sæpe, nescio quo fato diuellor à libris, vt interdum mihi Roma displiceat, & agrestem solitudinem vrbanæ celebritati libenter anteponam. Illa de Imitatione tinamus iacere spissum opus, est, & longi temporis, nec fortasse nostrarum virium: &, vt vere dicam, sperare vix audeo, quam animo, & mente formam videre videor, eam, quæcunque est, oratione, & stylo satis explicare posse. Hæc scripsi, in lectulo, cùm leuiter ægrotarem. Vale. Romæ. 4. Non. Ian. 1566.

IOANNI CASELIO.

Florentiam. 11

Quo maior est virorum præstantium, id est, tui similium, inopia, eo mihi carior est, & esse debet, amicitia tua; quam quidem omnibus officijs, & studijs, quæ a summa proficisci beneuolentia possunt, perpetuo colam, quod vtinam perualetudinem tuam fieri licuisset vt Romam peruenires, maiorem fructum, quam qui ex litteris percipitur qui tamen vulgaris non est, ex familiari consuetudine, mutuoque sermone, vterque nostrum capere potuisset, quod quando non accidit: ego, quod ad me attinet, vt amoris mutui recordatione desiderium meum leniatur, operam dabo: litteris autem ita vtar, quantum negotia sinent, quo te contentum esse, neque in hoc genere plus exigere, quàm præstare possim, tua mihi pollicitur humanitas. De philosopia illustranda, præclarè cogitas, verum præclara omnia

nia quam difficillia sint, his præsertim, temporibus non te fugit, sunt enim adhuc, qui frugibus iuuentis, glande vesci malint. quibus ignosci fortasse ex aliqua parte potest, quod eos pudeat. Quæ pueri didicere, senes perdenda fateri: sed, eorum exemplo decipi adolescentes, & inquinata doctrina imbui, atque corrumpi, hoc quidem graue malum est, malũ, inquam, non ferendum: idque tu iure doles, & ego sic, vt tibi non concedam. Verum hæc Principes viderint: qui nisi peccarent in delectu, gymnasia florerent, optimeq; cum literis, & bene litteratis hominibus ageretur. De studijs meis, an de negotijs, aliquid scribam? negotia nihil ad te scilicet: studia vero propemodũ iacent, & eo magis, quod valeo parum commode. Te valere liberatũ iam, vt arbritor, diuturno morbo non mediocriter gaudeo: reuertẽtem in patriam amore prosequor: frui optimis studijs, & cupere studiorum vberrimos fructus. ita cupio, vt si communia bona essent, sic enim decet eos existimare, quorum animos & coniunxit virtutis amor, & retinet. Vale. Romæ. 9. Id. Ian. 1566.

FERDINANDO GATVLÆ.
Neapolim. 22

SVPERIORIBVS diebus, enim tu me luculento sanè carmine salutasses, etsi molestè ferebam, eripi mihi occupationibus facultatem respondendi, tamen non verebar, ne tibi de meo erga te animo secus interpretandi occasionem afferret silentium meum; odiosas enim, nec dignas bono viro suspiciones longè à se repellit excultus litteris animus, & liberaliter educatus. nunc vero, cum me præceptor tuus homo egregiè doctus & spectatæ integritatis Blasius Monicus; modeste ille quidem, tamen vt cupidita-

piditatem pisimulare non posset, admonuisset oh-
cij mei: nihil habui potius quam vt hæc ad te, licet
ijsdem, quibus antea, curis distentus, exararem. Ac
de tuis quidem versibus si quæris quid sentiam pro-
barem omnia, si placeret argumentum in verbis e-
legantiam, in sententijs grauitatem video: quod v-
trumque, nisi qui excellat ingenio, assequi nemo po-
test: in me autem extollendo quid sis secutus, aut
quam rem spectaueris, non video, nam nec agnosco
illa, quæ scribis: &, si agnoscerem, tamen haud
libenter legerem: sed opinor tibi hæsisse illud, quod
aueterbus proditum est: Bonum poetam esse
non posse, qui non obscuris dare lucem, paruis ma-
gnitudinem sciat. quod si conaris, & si hoc te
delectat exercitationis genus non improbo; &,
cum te amem, facile à me impetro, vt patiar vel ab-
uti te meo nomine ad laudem tuam, neque hoc
solum, sed illud etiam tribuo amori in te meo,
quod tu fortasse non exspectas, æquo tamen ani-
mo, pro tua bonitate, accipies: vt horter te, quan-
do ad ius ciuile studium, curamque tuam contulisti,
vt istam artem non, vt hodie multi, nudam, &
inornatam, sed vt olim veteres illi. multiplici re-
rum, scientia, præcipue vero Latinæ eloquentiæ,
quasi dote instructam, & locupletatam velis, elo-
quentiam vero non ex vno altero ve libro, sed ex
accurata multorum lectione comparari, cum te
Monicus erudierit, non dubito quin optime noue-
ris. Etiam illud addo, quod fortasse recentioribus
Iurisconsultis absurdum videtur, Græcæ linguæ, vn-
de res petantur, sine quibus inane quiddam est,
& plane, languet, eloquentia, studij tui partem om-
nino aliquam esse dandam. quæ si omnia pauci
præstant: varia excusatio est. alijs enim disci-
plina, alijs ingenium defuit nonnullos etiam, cùm
ad

ad summam iuris ciuilis gloriam adspirarent,& forsitan peruenire possent, rei domesticæ difficultas à præclara industria ad quæstus necessarij curam detorsit. Hæc si obstare intelligerem studio tuo: frustra cohortationem hanc susciperem, vel potius plane non susciperem. cogere enim necessitas, quod voluntas negaret, nunc te, optimis à puero non modo litteris verum etiam præceptis informatum, præstantem ingenio, nec fortunæ muneribus egentem, errare cum multis, & mediocri laude, angustis circumscripta finibus, contentum esse, cur finam? Perge igitur ad gloriam recta via: obliquas vulgi semitas omitte, quæque tibi præter cæteros à Deo tributa bona possides, ijs ita vtere, vt ius ciuile non modo perdiscas, verum etiam vehementer ornes, quod si efficias, lætabor: siu minus, hoc tamen tibi, non obscurum, vt opinor studij in tui testimonium relinquam. Vale. Romæ. 4. Non. Feb. 1561.

ANTONIO FVRNARIO.
Neapolim. 13

EGO vero tibi non modo præsentiæ bono, sed futuri etiam spe valde gratulor. nō enim tam ex eo, quod abierit morbus, & quod, vt scribis conualescere iam incipias, quam quod omnino futurum confido, vt breui pristinam valetudinem planè recuperes, magnam lætitiam, voluptatemque capio. tu modo tua temperantia fac, vt perpetuo gaudeam, quod ita me cupere velim existimes, vt ex familiaribus tuis nemini concedam, ista enim doctrina cum caremus; & cum affecto corpore, simul ingenium languet; angimur qui te diligimus; & quos ex industria tua fructus ferre potest ætas nostra, eos

retar-

retardari, aut minui, patimur iniquissime. Ego ab interitu Pij Quanti valetudine vtor incommoda Stomachus, calore destitutus, ôfficio concoquendi male fungitur. hoc vitium si tua citera depulerint plurimum sanè tibi debebo, & eo magis, quod cetera pharmatica palato non amica, hoc medicinæ genus ita suaue est, vt, vel sine morbo, gustare nihil. malim itaque speremus illud quoque. quod longe pluris est, vt stomachus fiat firmior: interea tibi ago gratias, quamquam id à te non expectari certo scio, quod me condimento gratissimo delectare volueris, quod profecto, nisi me non vulgariter amares, tibi in mentem non venisset. In extrema epistola, quod mihi Gorgiæ Leontina vitam exoptas: hoc quoque amoris signum: sed malo prosperam quam diuturnam. ptospere autem viuere, est, otio & litteris, vacuo curis animo frui quod ego assiduè meditor, & quando assequar, purpuras omnes, quæque purpuratis cara sunt, te fortasse non improbante, contemnam. Vale. Romæ. 8. Id. Feb. 1566.

ANTONIO MERVLÆ.
Casertam.

Cave putes aut me suspicari, quod abhorret ab amicitia nostra, oblitum te esse mei, aut commissurum vmquam, vt obliuisci possis. Omnino discessu tuo nihil, molestius: quis enim abesse eum, cuius neque consuetudine quidquam iucundius neque sermone eruditius, nec moribus, & vita sanctius, æquo animo ferre possit? Sed rursus qui te diligunt, qui pro tua virtute sunt plurimi. quorum tamen ego nemini concedo, cur tuo commodo mereant? viuis in parte Italiæ nobilissima,

honesta satis conditione, apud illustrem virum humanitate, litteris omni denique, vt audio, laude perpolitum, quæ sunt eiusmodi, vt ea sequantur multi, assequantur admodum pauci. At vrbe Roma cares. Scilicet, quia Capitolium, vel Amphitheatrum quotidie non adspicis, quæ tu, hic dum eras, fortasse ne cogitabas quidem, id laborandum crediderim. Cetera, opinor, nihil ad te. neque enim sitiri te arbitror honores aut opes: quæ qui adipiscuntur, vides, à tranquilla, & beata vita quam longè distent, quibus fluctuent curis, quibus assiduè miseris vrgeantur. Reliquum est, vt te pungat quod nobiscum non sis. quod ita leuiter feres, si cogitabis primum illud, ortam ex virtute beneuolentiam eiusdem virtutis memoria foueri, atque, ali, sic, vt nihil præterea desideret: deinde, mutuis, epistolis hoc leniri quadam ex parte desiderium posse: postremo, mortalem esse neminem, cui planè secunda sint omnia, addo illud, quod solati, tibi loco debet esse, nostros sensus congruere cum tuis: nihil esse nobis optatius, quam vt simul viuamus: dolore, quia non liceat, eò minus tamen, quia futurum speramus, vt aliquando liceat. habes egregie animatum erga te Cardinalē Sirletum: cuius auctoritatem, pro singulari eius integritate, sapientia, doctrina maximam esse, non ignoras. Pantagathus de te & amicissime loquitur, & præclare sentit duobus illis, quos tuo nominem salutaui, Satio, Dauanzato, qui te resalutant, scito te in oculis esse, nam de me ipso, non faciam, vt plura ad te scribam, vellem ita res ferret, vt, quanti te facio, tantum ex officiis meis fructum capere posses, mihi crede, studiis, & rationibus tuis ita consuleretur vt ad vitam & commodè, satis etiam cum dignitate traducendam nihil deesset, sed vides tempora,

pora, fruamur, mi Merula, litterulis noſtris, directo in Deum animo: ceteris rebus πολλὰ χαίρειν. Rotæ noſtro, non minùs ingenio, quàm nobilitate præſtanti, poetæ optimo, & cum veteribus conferendo ſalutem, obſecro te, meis verbis, ſi quando ad illum ſcribes. Vale. Romæ, XI v. Kal. Quinct. 1566.

MARIO CORRADO.
Neapolim. 15

FACILE poteras è ſilentio noſtro de tuo negotio coniecturam facere: niſi ſi tacere nos exiſtimas, vel quia non amemus, vel quia paruipendendum id credamus, de quo te vehementer laborare, epiſtolarum tuarum crebritas oſtendit. in quo video te otium noſtrum ſcilicet è tuo metiri. nam Statio noſtro à ſcriptione publicarum litterarum reſpirare numquam licet. ego autem quibus rebus vrgear, quam numquàm vacem, noſce te opinabar è Ciuino, aut etiam ex alijs: quoniam quidem ſtatus meæ vitæ is eſt, vt ignorari vix poſſit. Sed, vt ad prima redeam, veteres illi grammatici nondum Romæ ſunt: ſi afferentur, eos ad te mittam. tu velim ſignifices, vbi ſis futurus. nam iſtic, ſi rectè verba tua interpretor, non videris admodum libenter eſſe. Huc te vocarem, niſi multi diſcederent. optimum tamen, qualem ætas noſtra non vidit, Pontificem habemus: qui ſi diu vixerit, quod à Deo precari non deſinimus, ſpes eſt magna, hæc quæ fluunt, poſſe contineri. Vale. Romæ, V 1. Kal. Sext. 1566.

OCTAVIO SAMMARCO.
Patauium. 19

QVOD mihi iam antea filius meus, tui a-

mantissimus, non obscure significauerat, id multo nunc ostendit illustrius epistolâ tua, ita te colere bonas artes, vt parentis tui, summi viri, laudibus non modò respondere, verum antecellere etiam aliquando possis. Concurrunt multa, cur hanc omnino coniecturam faciam, primùm instrumenta naturæ, ingenium, memoria, valetudo; quæ si absint, ad magnas res, magnoperéque expetendas adspirare prorsus non licet; deinde studium, exercitatio, industria; quibus ita veteris, quasi illa non habeas naturæ bona, quibus in primis abundas, & quasi à te ipso petas omnia. Adde, quod Patauium te contulisti, quam vrbem? Athenas alteras; vbi cùm præstantes viri multi magnarum doctrinarum scientiam profiteantur, vnum tamen in primis, quẽ ego semper plurimi feci, Pancirolum tibi audiendum, colendumque delegisti. cuius consilij, mihi crede maiorem in dies fructum, voluptatémque capies. Nam de Io. Vincentij Pinelli consuetudine nihil dico. non enim dubito, quin ipse iam perspexeris, quæ sint in illo iuuene virtutes, quæ probitas quæ eruditio, quæ humanitas, vt omni dignissimus honore sit, qui tamen ab omni honorum cupiditate, sola virtute contentus, longissime distat. Hanc facultatem, non ego te, vt vrgeas, adhortor, sed gratulor potiùs & tibi, & patri tuo, quòd ita viuas, vt omnes à te omnia summa expectent; mihi verò plurimùm gaudeo, quod, cùm te ipso sit nihil amabilius, tu tamen amicitiam meam, quasi magni pretij rem, tibi expetendam putasti, quod vt facilè consequeris ita velim eueniat, vt officijs te ita colere possim, vt beneuolentiæ in te meæ parem, id est maximam, vtilitatem percipias. Vale. Romæ. III. Id. Sext. 1566.

FRAN-

FRANCISCO MANSINO.

Perusium. 17

MIHI verò numquam venit in mentem diffidere memoriæ tuæ. à quo enim diligi me, non solùm cupio, verùm etiam libenter mihi persuadeo, cur ei me affluere ex animo credam? quod sine summo dolore facere non possem. At scripsi ad Cardanetum. Non equidem ob eam causſam vt promissi te admoneret, sed vt pecuniam à bibliopola exactam tibi numeraret. quod opinor factum. Officium litterarum, à te prætermissum, cùm excusas, facis, vt officium tuum magis desiderem. amo enim mirabiliter ingenij tui excellentem imaginem egregiè in epistolis expressam. itaque, carere me hac voluptate, non facilè patior. nec tamen plus oneris tibi impono, quam per studia tua licet, cùm præsertim facere te in doctrina magnos processus intelligam, ad scribendum ita te hortor, vt à libris non auocem. quòd si vtrumque potes, vt certè potes: noui enim industriam, & facultatem tuam: oblecta nos tuis interdum litteris: & ad illa maiora simul incumbe, vt augeas domest cam rem: & dignitatem, omni re præstantiorem, consequaris. Vale, Aldus tibi salutem dicit, vehementérque tua sui memoria delectatur. Romæ, 4. Kal. Sept. 1566.

IOANNI CASELIO.

Florentiam. 18

CVM à discessu tuo nihil omnino de te, neque ex tuis, neque ex aliorum litteris, cognouissem; habere te iter in patriam, facilè suspicabar, nunc video,

te in Etrusca regione consediſſe, amœna illa quidem, & ad vitandos calores, quos hîc pertulimus grauiſsimos, admodum apta: verumtamen, id ſi conſilio feciſti, gaudeo; ſin morbo coactus, ita doleo, vt amicitia noſtra, & ſtudiorum tuorum iactura, poſtulat. Quòd ais, cogitare te domeſticos lares & in ea tamen cogitatione nonnihil pungi, recordatione veterum moleſtiarum: ô mi Caſeli, vllum-ne tu locum putas eſſe, in quo aduerſi nihil occurrat? in quo ex voluntate fluant omnia? inuidia tamen, quæ tui ſimiles, id eſt, præſtanti præditos ingenio viros, ſæpe vexat, ad extremum, vt ſcopulo fluctus, ita virtute frangitur. qua ſpe te decet, vt hominem ſapientem, vindicare animum ab omni cura, vt fructum capias excellentis doctrinæ tuæ; qua niſi te ipſum iuuas, cùm alijs prodeſſe conſueueris, αὐτάρκη induſtria. Amicum tuum, iuuenem egregijs moribus ornatum, libenter cognoui: longiorem cum eo ſermonem habere, per negotia non licuit. Vale. Hæc ſcripſi raptim. Romæ, 111. Idus Oct. 1566.

ZERBINO RITIO. 19

QVANTVM mihi filióque meo, tui amantiſſimo, doloris, ac moleſtiæ, diſcedens reliqueras, cum tua nobis conſuetudo admodum iucunda, induſtria etiam perutilis interdum eſſet: tantum ſolatij, & voluntatis vtrique noſtrum attulit epiſtola tua: quamquam, quod tu ſcribis, te tuis ciuibus eſſe cariſſimum, id ipſum fore putabamus. quis enim ita expers humanitatis, aut ita barbaris moribus eſſe poteſt, quem tua probitas, & virtus ad amorem tui non alliciat? quis autem ab ijs te diligi miretur, qui futurum intelligunt, maiores quotidie

tidie fructus ex ingenio, doctrina, diligentia tua, percipiant ? quo tibi nomine, mi Zerbine, vehemẽter gratulor. nam, vt optabilius nihil est quam amari à bonis viris, præsertim in patria: sic nihil in rebus humanis præstantius, quam de patria bene mereri, & quasi parenti optimo gratiam aliquã referre. hanc tu nactus occasionem, contemne reliqua: & hoc vnum age, in quo summa tibi & gratia, & gloria posita est. In hanc sententiam plura scriberem, nisi tuos iam sensus, & preclaram animi tui ad honesta omnia propensionem, egregie cognitam haberem. Venio ad alteram partem, quam nec omittere possum, nec sine gemitu, & lacrimis attingere. Decessit alienissimo tempore, cum ad eum salutaris doctrinæ dogmata de loco superiore ostendentem, omnis omnium concursus fieret; cùm hæreticæ factionis insidias patefaceret, impetum frangeret, tela retunderet, decessit, inquam, florente adhuc ætate, nimis immatura morte, summo ingenio vir, incredibili scientiæ copia, maxima iam apud omnes bene sentientes existimatione, & auctoritate, Perpinianus noster quamquam nostra quidem hæc iactura tota, nostra calamitas est: ille cælo fruitur, & cœlestium animorum conspectu, circumfluens rebus ijs, quas, inclusus adhuc mortali corpore, animo tamen sæpe foras emergente, contemplabatur. verum tamen, sublato ex oculis amico, & ex hac luce erepto, recenti adhuc vulnere dolemus, necesse est, ratio fortasse medebitur aut dies: memoriam quidẽ tanti viri mihi nulla dies adimet. Quod, hortaris vt edã Commentarios; currentem incitas, sed adhuc quædam aduersantur: quæ tamen spero fore, ne diutius impediant. Etiam in patris Grammatica, tibi vt satisfiat operam dabo, Vale. Aldus tibi multam salutem.

Vale iterũ, mi optime Zerbine, & patriæ, ac Musis, tranquillo otio, viue. Romæ. 3. Non. Dec. 1566.

IAM ad te scripseram, cum ecce bellaria, tua: quæ mihi pergrata sunt: sed, mihi crede, amorem, istum in me tuum bellarijs omnibus antepono, etenim illæ palatum, hic animum non vulgariter oblectat. Catechismum ad te mitto. Commentarios meos tua causa aliquanto citiús emittam.

VIDO GVALTERIO
Narniam. 20

ANTEA, cum tu ad me, pro nostra amicitia, de Narniensi condicione retulisses: etsi non satis constituere poteram quid tibi agendum censerem, auctor tamen potius eram, vt vrbem Romam ne relinqueres: non tam propter hæc vestigia antiquitatis, quorum aspectu mire fruuntur homines eruditi quam quod esse te in oculis videbam nobilibus viris, quorum auctoritas, & gratia rationibus tuis prodesse vehementer posset, nunc autem, cum te istic admodum libenter esse, florere ciuium optimorum beneuolentia, excellentibus ingenio discipulis abundare significes; non tu quidem efficis adhuc, vt, vt esse gaudeam; assequeris tamen illud, vt aliquanto minus doleam, quod si alteris litteris, id quod equidem tua causa in primis opto, eadem confirmaueris: prorsus à dolore ad lætitiam transferar; & cum ex tuis commodis voluptatem maximam capiam, tum istam valde amabo ciuitatem, quæ tam honorifice acceperit, quæ tuam industriam, virtutem, probitatem liberalissimè complectatur, cuius amoris, & officij, certo scio, te non esse commissurum, vt eam vmquã peniteat, non enim aut in tua disciplina mendam, aut in vita labẽ

ant

aut in moribus agreſte quidquam, vel inhumanum vnquam videbit quæ quo ſunt, hæc ætate. in ijs, qui iuuentutem egregijs litteris excolendam, ac moderandam ſuſcipiunt, rariora: eò plus honoris, vtilitatiſque tam præclara virtus poſtulat. quamquam tu quidem, ſi præſtantiam animi tui bene cognitam habeo, mercedem meritorum tuorum maiorem nullam ſtatues, quàm eorum, quibus cum viuis, beneuolentiam? & illud tamen credes, eum, qui diligatur, neceſſe eſſe, vt rebus omnibus abundet, quæ non modò ad fructum domeſticum, & ad ſubſidia vitæ neceſſaria, ſed ad ſpeciem quoque, ac dignitatem, pertineant. Intende igitur omnes neruos, vt ijs, qui te amant, amabiliorem te quotidie præbeas; &, quã Spartam nactus es, eam non modò tueare, verùm etiam cum primis ornes. Quod vt ſcriberem, amor, impulit, non quia te, iampridem ad omnem laudem patris exemplo, atque doctrina, inſtitutum, conſuetudine poſtea confirmatum, vel mea cohortatione, vel cuiuſquam egere præceptis exiſtimem. Vale. Romæ, vij. Id. Decemb. 1566.

MVCIO CALINO EPISCOPO INTERAMNAT.

Interamnam. 21

ARCHIEPISCOPVM præſtare Epiſcopo dignitate, nemo neſcit: bonis tamen viris, cùm te, omiſſo Iadranſi Archiepiſcopatu, Epiſcopum Interamnæ eſſe factum auditum eſſet, viſa res eſt in primis gratulatione digna. nam, quod ad dignitatem attinet, Italiam cum Illyrico conferentes, nihil imminutum putabamus: quod ad commoda, additum aliquid potiùs, quàm detractum. Iam illud, licere tibi interdum ad Vrbem, nobis ad te, cùm velimus, ex-

excurrere, quanti æstimandum? nam neq; te amicis tuis prorsus carere, tua suauitas patitur; neq; nobis quidquam molestius, quàm adspectus & sermonis tui sitim diutiùs ferre. Quocirca ego quidem statim, audita re, lætatus animo sum: litteris gratulari cùm maximè vellem, negotijs tamen impeditus, officium veteri nostræ necessitudini debitum prætermisi. in quo me tamen, cùm meæ conscius erga te perpetuæ obseruantiæ, tum tuæ memor humanitatis, facilè culpa libero. atq; etiam (vide, quid mihi de tua benignitate pollicear) sperare audeo futurum, vt, qui à me diliguntur, eos amicitia tua ne excludas. neq; tamen hoc in multis ambitiosè petam, tantùm deligam, quos tibi non tam mea commendatio, quàm ipsorum optima studia, conciliare possit. in his excellit in primis, iuuenis bene moratus, ijs perpolitus litteris, quæ nos à pueritia delectarunt, Iulius Iacobonius viuit coniunctissimè cum filio meo, vt ferè ætate, & studiorum similitudine, iunguntur: me verò, quod multis in rebus intellexerim, sicut alterum parentem, obseruat, & diligit. itaq; videor illi debere omnia, quæ possum: nec sanè vllum eius vel adiuuandi, vel ornandi, locum prætermitto: sed ex omnibus officijs nullum ei video gratius, aut iucundius præstari à me posse, quàm si per me consequatur, vt aditum ad te habeat, à te cognoscatur, numeretur in tuis. quod etsi non dubito, quin facilè impetrem: noui enim tuam φιλανθρωπίαν: noui etiam, quo ipse loco apud te sim; tamen ita peto, quasi agatur existimatio mea. sic enim statuo, cùm te tua virtus, nullo fortunæ præsidio, in ista dignitate collocarit, valde ad existimationem meam pertinere, hoc si percrebescat, me abs te tantum amari, quantum & optaui semper, & mihi persuasi. Vale. Romæ. Id. Dec. 1566.

AN-

ANTONIO FVRNARIO.

Neapolim. 23

ITA mihi, quæ opto, contingant, vt de tua valetudine valde sum sollicitus: nec leuabitur dolor meus, nisi cum te non solùm periculo, sed prorsus omni molestia liberatum cognouero. quid vtinam breui fiat. cur autem id futurum non sperem, cum te, diffidentem humanis remedijs, ad pias preces videam esse conuersum? me quidem ex aduersis rebus hæc vna sæpe ratio, iam omni spe destitutum, eripuit. De fortunis meis detraxit aliquid superior annus, hic forsasse damnum sarciet. sin aliter euenit, æquo tamen animo feremus, minuente sensum doloris consuetudine, & cupiditatem ætate. De munusculo qui tibi venit in mentem ægrotanti? magni hoc amoris signum. itaque sic tibi ago gratias, tanquam de re amplissima: quandoquidem nihil mihi pluris est, quam amari à te, quem præter ceteros amabilem virtus facit. Stomacho certè meo, quod antea scripseram, nihil gratius hoc genere medicamenti. Vale. Romæ. Kalend. Februar. 1567.

CAMILLO PALÆOTTO.

Bononiam. 23

A QVO primùm die, Palæotte optime, mihi cognitus es, duxi te semper in eorum numero, qui nostra hac ætate antiquæ virtutis imaginem retulerunt, esse reponendum. nam & bonos & præstantes viros amas, omnique studio complecteris, & ipse, quæ artes amorem conciliant, ijs ita excellis, vt vicissim te omnes ament, nec minorem ex ingenio,

ingenio, doctrinâque tua, quàm ex humanitate, & liberalitate fructum capiant. equidem in meis secundis rebus id maximè numero, quòd olim tua mihi benignitas aditum aperuerit ad amicitiam tuam: illud dolere sæpe cogor, quòd ita fortuna tulerit, vt disiuncti viueremus, & eriperetur vtrique nostrum suauitas illa, quæ sine dubio, cùm vna sumus, longè maior est, quam cùm aut ego tuas, aut ipse meas epistolas legis. adde, quod tibi perquam raro scribendi occasio, mihi ne facultas quidem datur. ita, qui est in litteris fructus, eo etiam propè caremus. quo tamen in genere tuam diligentiam, vel humanitatem potiùs incredibilem agnosco: qui nullum huius officij locum prætermittis: vt proximè, cùm de Amulij Cardinalis incolumitate cognouisses, fecisti peramanter, quod & mihi, qui illum virum in oculis fero, vnúmque præcipuè colo, per litteras gratulandum, & significandam existimasti lætitiam tuam. Sed ego vicissim tibi, & bonis omnibus, eo conseruato, cui præter cetera virtus placet, vehementer gratulor nam, si quid illi nunc humanitus accidisset; suo fortasse tempore, cùm nec ætati parum, & gloriæ plurimum vixerit. nostro certè, & vniuersæ bonorum Reip alienissimo decessisset. Vides profectò, nec dubito, quin idem sentire videas excellenti virtute, ac sapientia Cardinalem, fratrem tuum, pares esse Amulio nostro dignitate non paucos, opibus etiam, & ijs rebus, quas elargiri fortuna solet, superiores multos: at illa si perpendimus, quæ sunt animi ingenijque bona, id est, quæ verè bona sunt, doctrinam studio, prudentiam vsu rerum maximarum partam, præterea benignitatem, probitatem, religionem; quam non multi sint, quos ei conferre possimus, opinor, intelligis, iure igitur, illo grauiter ægrotante, ita mærebamus, quasi cum illius

salute

salute nostra salus in discrimen adducta videretur: & nunc, eodem incolumi, tum sua quisque causa, tum bono publico omnes lætamur. In quo non dubitabam equidem, quin tuus sensus cum meo sensu congrueret: verùm tamen egregiæ testem voluntatis epistolam tuam legi per libenter. vidi enim amorem in me tuum, & studium simul erga Christianam remp. propè singulare. nam de Amulij morbo ita sollicitus eras, vt eodem tempore & dolor meus, & publica iactura tibi ante oculos esset. itaque non putaui committendum, vt ipsum celarem de litteris tuis. ostendi: legit iucundissimè: nec tacuit de tua laude; mihique, vt salutem tibi eius verbis adscriberem, ac sua tibi studia prorsus omnia polliceretur, ita mandauit, vt vultu & verbis planè animum exprimeret. Ego de te, quæ soleo, summam esse iuam in illum obseruantiam: optatius tibi nihil esse, quàm vt, si quid eius causa præstare possis, vtatur opera, curáque tua. addidi quædam de vetustate necessitudinis nostræ, de tuis etiam in me officijs: vt sciret, cùm tu de meis commodis maximè semper laboraueris, cupere me non mediocriter, vt, à quibus ipse diligor, ijdem te pari beneuolentia complectantur. Vale, & Cardinali optimo, fratri tuo, salutem dic meo nomine plurimam. Romæ, vij. Id. Mart. 1567.

IOANNI CASELIO.
Florentiam.

OMNINO erat ἀωλος epistola mea: quam vt acciperet, nunquam ad me redijt is, qui tuas litteras attulerat: veruntamen eam ad te mittendam putaui ne tibi in aliquam fortasse neglecti officij suspicionem venirem. eius exemplum hoc est.

Epistola,

Epistola, de qua hic mentio fit, legitur sexta ante hanc.

QVOD me amicis crebrò auges, præsertim hominibus virtute præditis; perbenignè facis. vtinam præstare aliquid vel tua, vel eorum causſa possim. vos enim, quæ vestra bonitas & humanitas est, animo fortasse contenti estis: ego, qui meus erga liberalium doctrinarum studiosos amor est, nisi animum officijs probent, contentus esse vix possum. Vale. Romæ, xvj. Kal. Apr. 1567.

PETRO PERPINIANO.

Lugdunum. 25

CVR ego tibi excusem silentium meum? Odi ista vulgaria: nec tu is es, qui vel amicis duriorem te præbeas, vel, quibus ego negotijs, quantam & quàm assiduè à me operam exigentibus, distinear, ignores. ac si velis amabiliter, & verè cogitare, ita credes, nulla me magis affici voluptate, quàm cùm tuas epistolas lego: rursus, si quis est, qui ab officio discedat inuitus, eum esse me. quare, vt ego tibi ingenio, eruditione, industria comparare me non sustinuerim, quibus maximè rebus amicitia colitur, humanitate, officio, obseruantia neque te mihi, neque quemquam antepono hoc te cupio credere. quod si impetro, simul illud impetro, vt omni me cùm præteriti, tum futuri temporis culpa, si fortasse rarius ad te scripsero, planè liberes. quamquam nunc quidem, tuis vt rescriberem litteris, abieci omnia, victus beneficio tuo. beneficium enim certè, non mediocre nescio quod, sed quantum esse potest maximum, à te habeo quod mihi amicum dederis Iacobum Rodericum Fal-

Falconium, prudentiſsimi & optimi viri filium, ipſum ijs litteris ac moribus ornatum, vt cùm me vel negotia, vel ipſa iam ætas ab amicorum conſuetudine remoueat, hoc tamen iuuene quotidie fere vtar iucundiſſimè, ac ſæpe de te ſermo, illo libenter præclara tua facinora pro Chriſti gloria narrante, me libentiùs audiente. certamus enim, vt video, amore ergate, ſic, vt alter ab altero vinci interdum gaudeat, interdum ægrè ferat. ita non planè nobis totus abes, quod enim oculis eripitur, aſſequimur animo, memoria, mentione tui, tuarumque virtutum quàm creberrima. tu contra, ſi parem gratiã referre vis, alterum Falconium reperi: ſi modò ſimilem probitate, ingenio, obſeruantia in vtrumque noſtrum reperies. Sed opto te felicem eſſe, & ſimilem reperire: vt, de nobis cogitantes nonnunquam, & colloquentes, officium amicitiæ debitum perſoluaris. De tragœdia, mire ſum lætatus, præſertim agente Falconio. De animi tui conſtantia, tibi gratulor, Deo gratias ago, à quo iſta manant. tibi enim certè & fortiſsimo cuique, niſi diuina vis affuiſſet, præſenti diſcrimine, in tanta gladiorum licentia, animus concidiſſet. * bonam mentem opto. cuius enim ingenium, & doctrinam amo, de eo ſi quid afferetur durius, cum dolore audiam. Sed, quid eſt, quod etiam de Turnebo, tali viro, vtinam falſo rumore, diſſipatur, auerſum à ſalute perijſſe? ô magnum malum, nec re magis, quàm exemplo! nam plebs imperita, licentiæ cupida, ſi peccat; minùs mirum; doctos viros, rectis antea ſenſibus euntes, offendere, & labi, matura iam ætate, quis non ingemiſcat? Filius te ſalutat. tu meis verbis eruditum in primis, & probum adoleſcentem, Ioſephum Scaligerum, ſi eſt Lutetiæ, ſalutes velim. Vale. Romæ.

EPISTO.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER OCTAVVS.

PIO IV. PONTIFICI Maximo.

QVID antea de litteris, ac bonis artibus exiſtimaueris, Pie IV. Pontifex Max. quàm ſemper fueris, hodiéque ſis ad eas excitandas, ornandáſq; præclarè animatus: & omnes iampridem norunt, & ego ſuperiore anno ſum expertus; cùm eo me conſilio Romam euocaſti, vt ſacros præcipuè libros, ad hæreticorum nefaria peſte vindicatos, ederem quàm liceret emendatiſſimè, & in hac elegantioris olim doctrinæ parente, atq; altrice, nunc diuinorũ inſtitutorũ cuſtode, ac præſide Vrbe, perpetuum meæ vitæ domicilium collocarem. cum iſta mente, iſtáq; ad bene agendũ propenſione ſummam poteſtatem coniunxit Deus, non ſolum vt impendentes Reip. Chriſtianæ calamitates auerteres; quod à te curari egregiè, atq; effici omnes fatentur: verùm etiam vt à publica cura oculos interdum conuerteres, ad priuatorum incommoda, eáq; cùm videres, opem afferres non pro cuiuſque libidine, ſed pro iudicio, ac ſapientia tua hæc me cogitatio, diu vereutem, ne appellare litteris Maximum Chriſti Vicarium, excubantem animo ſemper pro Chriſtianæ Reip. ſalute, impudentiæ poſſet aſcribi, ab ancipiti conſilio ad certam ſententiam reuocauit, effecitque vt ea ſcribere audeam, quæ ne coram agerem maio-

maiestate tua primùm, deinde etiam pudore quodam meo sum detertitus. Totum hoc imprimendi munus, quod mihi à te mandatum pro mea fide curo, duas habet partes, publicam vnam, quæ ad communem animorum vtilitatem pertinet, vt è sacris libris maculæ omnes eluantur; alteram priuatam, vt ea mihi interim suppetant, quæ si absint, mecum, & cum meis agatur incommodiùs. Quod ad priorem attinet, facerem arroganter, si tibi tantam rem, qua nescio an vlla magis hoc quidem tempore omnibus expediat, studeam commendare: cùm quatuor spectatæ virtutis innocentiæ Cardinalium, quos huic negotio præfecisti, singularis prudentia nihil deesse patiatur. quare hanc partem, cui nondum tua liberalitas defuit, nec, vt spero, vnquã deerit, omitto non inuitus: de me ipso, siquidem tua permittat humanitas, (quid autem ea non permittat?) attingam pauca. Ego, cùm ad Vrbem veni; licet à Pio 4. rectè & laudabiliter viuendo sperari posse omnia intelligerem; tamen afferri me cupiditate non sum passus: nec sitiui honores: nec auri, argentique splendore sum captus: id scilicet vnum spectaui maximè, vt beneuolentia tua, in qua pono omnia, perpetuò fruerer. eáque me, quantum consequi studio, quantum industria liceret, non indignũ præberem. domesticis rebus, quas negligere prorsus, qui pater est, non potest, amare nimium, qui se Christianum esse meminit, non debet, satis consultum putabam honorario illo animo, quod à tua benignitate impetraueram: nec dubitare tamen poteram, si quid prætereà meæ rationes exigerent, quin id haurire possem ex eodem fonte, ad quẽ aditus ambitiosè petentibus vix pateret vnquam, moderata cupientibus præcludi nunquam soleret. sic annus abijt: nec mihi nouam interea cupiditatem dies

attulit; quæ etiam admonet, quo propiùs ad huius peregrinationis, quæ vocatur vita, finem accedimus, eo minùs de viatico laborandum. itaque mutatum nihil est in consilijs meis; animus, quos antea sibi fines præscripserat, ijsdem se continet, vltrà nihil appetit: sed corporis alia quædam ratio est: ætas iam ingraueſcens quasi extra ordinem multa desiderat. multa etiam, præsertim in laboribus, ac studijs, valerudo requirit imbecillior: quæ si negligam, ingratè mihi videar agere cum Deo, à quo acceptum vitæ munus magni facere, ac tueri diligenter debemus. quid caritas liberorum meorum, quibus in me vno sunt omnia? ea me appellat, nec patitur obliuiſci, quid natiuæ debeam, & mihi me ipsum eo nomine commendat, quòd in mea salute multorum salus, fortunæque nituntur. Quæ cùm ita sint; & cùm his causis, quas commemoraui, magnopere confidam; tamen ita statuo, maiorem cõmodi mei spem in tua præstanti bonitate mihi esse reponendam. quare nihil definio, neque mihi certum beneficij nomen peto: quod qui faciunt, ignorant scilicet à quo petant, & in angustum reuocant, quæ latitissimè patet, benignitatem tuam. Ego rationes meas Principi maximo, & ad beneficentiam nato, commendare me intelligo. nihil me postulare præcipuum decet. vnum illud indicare satis est, fulciri oportere subsidio aliquo fortunas meas: quod ipsum tamen voluntari, arbitrióque tuo totum permittatur. mihi quidem, si quid à tua liberalitate proficiscatur, quidquid sit, æquè gratum futurum est. ac si me omni beneficiorum genere cumulasses.

CAROLO BORROMÆO IO. Cardinali. 2

NON patitur aut benignitas, aut consuetudo tua, vt

At appellandus à me fis de eo, quod semel & iterum humanissimè promisisti; & ego is sum, qui, quod semel petij, licet ad constituendas fortunas meas valde pertineat, impetrare cupiam, non exprimere, verumtamen non sum veritus, ne tibi molestiam afferret iterata petitio. hominis presertim studiosissimi, & de tua laude, quarū imbecillicitas mea præstare possit, assiduè cogitantis. Optabile est, vt qui optima cupiunt, ijdem vel omnia possit: vel apud eos, qui possint auctoritate & grata plurimum valeant, tibi vtrumque contigisse, non stulti homines arbitrantur, nam & natura propensus es ad ea, quæ præclara sunt: & hæc ipsa propensio, singulari ingenio, & virtute coniuncta, ita tibi amotem conciliauit sapientissimi Pontificis auunculi tui, vt cum omni te munere dignum ducat, tum vero libenter, trãslata in te grauissimorum negotiorum parte, releue, tur, amplectere igitur pro tua summa prudentia, vel retine potiùs, quam amplexus iam es, occasionem diuinitus datam. eripuit iam bene merendi consuetudinem temporis iniquitas, eam si restituis, quod facere cœpisti, & facies: ijsdem, quibus maiores tui gradibus in cælum adscendes, relicta familiæ tuæ gloria, quam nulla dies extinguat. Ego autem, si per te consequor, id quod in tua manu situm est, vt Romæ libenter viuam: vix enim libenter, vbi parũ commode, quisquam viuit: dabo operam, & fortasse efficiam ne sit obscurum beneficium tuum: memoria quidem, & voluntate, si re ipsa minus potero ingrati animi culpam vitabo. Vale. Romæ. iiij. Kalend. Nouemb.

SCRIPSIT HANC *Principe rogatus.* 3

HONESTA res, iucundaque in primis, Nuptiæ

putantur: nec immerito, nihil enim ad generis humani perpetuitatem Natura magis postulat, quam vt feminis iungantur mares: nec ea coniunctione quidquam non modo commodius verum etiam dulcius esse potest. habere secundis rebus mulierem lætitiæ sociam, lætitiam auget; aduersis pariter mærentem, solatij genus est. iam, quæ ad cultam ad victum, vitamque pertinent, ea cum vxor ministrat aut curat, quantum iucunditatem habet? Reges equidem ipsos non arbitror è suis regnis tantam voluptatem capere, quantum fidelis coniugij consuetudo, & coniunctus affert. Quæ tibi optimè, ex tuis veteribus nuptijs probe cognita cum essent: propterea factum opinor, vt secundas appetieris, & eandem omnino suauitatem regustare volueris. Hoc tuum consilium, pro suo quisque sensu, variè homines interpretantur, lætari multos video vt in re optima; quosdam admirari, vt parum exspectata, dolere nonnullos, vt aduersa, mihi, in hac opinionum, & sententiarum varietate, animus vehementer in dubio est lætitiam à me poscere videtur amor in te meus, ortus ex memoria præceptorum tuorum, quibus me puerum ad omnem veræ laudis cupiditatem excitasti: sed idem amor ante oculos ea proponit, quæ cum cogito, tantum abest, vt lætari possim, vt dolore etiam afficiar: neque id tua magis causa, quam publica, nam, etsi: quod tibi placuit, idem vt perpetuò placeat, atque expediat, vehementer opto: tamen, cùm ætatem tuam considero, quæ iam ad senectutem vrget, interdum vereri cogor, ne aliter eueniat, sua cuique ætati studia Natura tribuit, quæ iuuentus amat, respuit senectus, contra, senectutem oblectant, quæ fastidit iuuentus, tu tamen, homo iam fere sexagenarius, adulto iam pæne filio, nouum cõiugium probasti; quoq;

magi

magis miremur, non æqualem, aut ætate proximã, verum adolescentulam duxisti: vtrum voluptatis, an procreationis caussa, præter te nemo nouit, voluptatis quidem suspicione, pro mea in te beneuolentia, libenter te libero: sed, alij quorum iudicium amor non impedit, de ista re quid sentiant, ipse videris. At pro creatio liberorum optanda. Quis hoc improbat? aut quis aliter sentit? verumtamen temporibus multa distinguntur: nec idem semper omnibus licet, nec eadem semper omnes decent. Quo de genere si pluribus tecum agam, & illud vsurpem qvod Apollini tribuit antiquitas, Cognosce ipsum, ignorare videar vtrumque nostrûm, &, quod aiũt Sus Mineruam erudire velle, tu enim is es, qui hæc ipsa mihi olim puero cantabas: quæ mihi nunc insita penitus in animo hærent, nec euelli vmquam finam; tum quia præclare, tum quod à te tradita, quem vnice diligo. Recognosce igitur doctinam tuam; & cum illa, quæ tractandis veterum monumentis obseruasti, in memoriam redigeres, tum cogita, quam iure mirentur nonnulli, aut etiam doleant, te talem virum, ista ætate, ista existimatione, viuo & incolumi optimæ spei filio, cum ipse te adspicere, cùm valetudini tuæ parcere, cum iuuentutem ab immoderata libidine tuis monitis reuocare ad continentiam deberes, tum puellæ amore captum, eius complexum & consuetudinem sic optasse, non modum, vt hominum de te opinionem, aut filij commoda parui faceres, verum vt ipse vitæ tuæ nouo genere periculum strueres, quis enim nescit, quod veteres quidam Philosophi memoriæ prodiderunt. Veneris vsum prodesse numquam, obesse autem sæpissime. Quod si quis in dubium vocet; id negari certe non potest. Senescentibus deficiente natura, nulla re, magis, quam con-

cubitu, vires minui, quod à te ignorari, qui tam multa nosti, turpe est, aut si non tu quidem hoc ignoras sed rationem libido vicit, quis te audiat, ita excusantem? hoc quidem est augere culpam, non minuere. Atque hæc tua causa non anguntur quid publica? tanto magis, quanto æquius est, de multis quam de paucis laborare: nam, cum tuo iudicio, tuaque scientia, in omni causarum genere vetemur, cum tuæ lucubrationes ciuile ius eximia tua cum laude, illustrarent; cum omnes lites, ac contentiones, æquitate, & sapientia tua dirimnires: optandum erat, vt huius boni, quo nullum in Ciuitate præstantius, diuturna admodum vsura feremur, nunc à te nouæ coniugis illecebris irretito; non modo lucubrationem vllam homines non expectant, sed verentur etiam, ne maiorem die partem, nedum nocturnas horas, domesticis oblectationibus tribuas, interim præclaræ illæ frigebunt actiones tuæ. minus libenter audies disceptantes; non tam attente, quæ dijudicanda erunt, considerabis: non facile quemquam admittes: non sæpe prodibis in publicum: non, ut anteà, tui copiam facies: denique, cum antea ita viueres; vt Reip natus viderere, nunc te, ad priuata studia conuersum negligere communia, nemo est, qui æque animo ferre possit. quæ si alios cura tangit: qua me affici molestia, quo angi dolore par est? non enim is ego sum, qui meas partes aut ignorem aut negligam meum est, Ciuium otio, saluti, tranquillitatique, consulere meum, præstare. aut conari saltem, vt quos potestati, fideique meæ Deus commisit, æquo iure omnes regantur, nullius iniuriæ pateant, nihil, contra leges, agant, nihil præter leges, timeant. Huius præclari muneris cùm ego te, pro tua prestanti, mihi iamprudem cognita, virtute, ministrum, participemque, delegissem, gratu-

gratulabar, & mihi, & ciuibus meis, non mediocriter: mihi, quòd magna laboris parte me leuaret industria tua; Ciuibus, quòd omnes, te iudice, libenter vterentur, optimè de tua, non solùm doctrina, verùm etiam probitate, sentientes. nunc, si officia, studiáque illa intermittis; si languidius ea curas, quæ ad Populi fortunas pertinent, quæque ego, curari à te diligentissimè, & volui in primis, & putaui; vereor, ne quotidie voculas exaudias hominum, te accusantium, quòd à pristina caussa desciueris, & à virilibus institutis ad mollitiem quandam, inanémque voluptatem deflexeris. Erunt etiam fortasse nonnulli, qui me, non adductum iudicio sed amore lapsum, tantas res tuæ fidei, constantiæque, non satis prudenter commisisse dicant. quibus ego quid respondeam, quoniam ipse non satis dispicio, tu, qui vides acutiùs, doce me, equidem nihil malo, quàm, & te tui quam similimum esse, & me mei iudicij numquam pœnitere. quod si secus euenerit; erraſſe me, cum aliquo existimationis meæ damno, facilè patiar; tuo cum dedecore, feram iniquissimè, addito præsertim meorum Ciuium dolore, qui te in oculis iure ferunt, nec adspectu carere tuo possunt, nec sermone, & consilio priuari. Quæ propterea ad te scribo, vt intelligas, quantum animo curam sustineam, quanta tua res agatur; & ideo operam des, & vt me sollicitudine, & te infamiæ periculo, aut certè hominum sermone, liberes. Scribo autem seriùs, quia pendebam animi, nec satis, quo tecum vterer officij genere, constabat. gratularer? at contra sentiebam. dolerem? at malè ominari visus essem, in ea præsertim re, in qua tibi, vel si damnum aliquod res publica faciat, secunda tamen omnia sit exopto, vt in hoc studio fere tecum certem, alios

quidem omnes facilè vincam. Vale, & ita fruere domesticis bonis, vt publica ne negligas. quæ de re non mea quidem vlla suspicio, sed vereri me nonnumquam cogit dubitatio multorum: quam cupio falsam, & inanem esse.

PAVLO STEMPOVIO.

Neapolim. 4

ETSI iam litteras tuas, à Gorscio remissas, acceperam: tamen hunc ex earum tarditate cepi fructum, quòd tu, dum te ita purgas, quasi ea res ad officium tuum pertineat, & longiorem scribis epistolam, & in eo me tibi haud mediocriter obstringis, significatione quadam amoris, & iudicij de me tui. Ego, Stempoui, cùm omnes homines, ab ineunte adolescentia, in quibus aliqua virtutis elucere signa perspicerem, colui, quantum in me fuit: tum verò nationis vestræ probitatem, modestiam, & propensa in primis ad liberales doctrinas ingenia, mirificè semper dilexi. itaque, cùm ad me tuos de Rep. libros Gorscius attulisset, petijssetque, tuo nomine, si quando vacarem, vt eos legerem, lectis, exponerem, quid sentirem: facile impetrauit; non modò quia facultatem ineundæ à Polonis gratiæ non libenter amitto; sed etiam, quia multorum sermone cognita mihi virtus, & humanitas tua ita me incenderat, vt vehementer expeterem amicitiam tuam, peropportunè igitur accidit, quod ego minimè cogitabam, vt scripta tua ad me mitteres: sed valde contra meam voluptatem quòd ea tam citò repetieris. opes enim ingenij, doctrinæque tuæ, quibus frui diu volebam, quasi præteriens adspexi. intellexi tamen id, quod Gorscio significaui, peruolutasse te, nequaquam remisso animo,

omnes

omnes omnium libros, egregia quæque, tum veteris, tum recentis historiæ delibasse; nec eo contentum, addidisse rebus ordinem: ornamentis Latinæ linguæ, quantum argumenti ratio ferret, vsum esse. nunc, si auges, vt scribis, industriam tuam; & id cogitas, vt, cum opus absolueris, ac perpolieris, iterum ad me mittas: gaudeo, & fruor animo, spe futuræ voluptatis, quam legendo antea degustaui, nunc haurire, si per te licuerit, vberiorem cupio. Nam, corrigendi partes, quas mihi videris imponere, si accipiam, faciam impudenter: quid enim in tuis scriptis eiusmodi est, quod æquus iudex damnare possit? sin autem recusem, culpam inhumanitatis extimesco: & vereor: ne tu me, cui minimè omnium displicere velim, rusticum quendam esse hominem, agrestemque, suspiceris. hoc igitur arbitratu tuo: ego, quod in me est, desiderati abs te non pătiar officium meum. Vale. Romæ, 19. Kal. Quin. 1567.

PERGRATVS mihi fuit aduentus Persei; tum, quòd ipsum diligo, amici mei filium, ingenio, & moribus ornatum; tum, quòd beneuolentiam in me tuam humanissimis sermone exposuit. agerem gratias, id si benignitas tua pateretur, & nisi referre mallem studio, officio, obseruantia: quod vt assequar, operam dabo.

EIDEM, *Neapolim.* 5

BELLARIA, de quibus antea scripseras, heri vesperi, per familiarem suum, ad me misit, egregiæ vir humanitatis, amicus meus, Georgius Ticinius. sanè nihil gratius, hoc præsertim æstu: sed, quæso, cur tam multa? sunt enim vascula vigintiquatuor: næ tu 4. aut 6. si nosses imbecillitatem stomachi mei,

mei, per totam ætatem, satis esse duxisses. agnosco igitur coniunctam amore liberalitatem. ille enim, vt mitteres, admonuit: hæc, ne pauca mitteres. in quo illud te cupio credere; quamquam hæc sint suauissima, me tamen frui libentiùs memoria tui, lætarique potiùs, quòd me dignum putaueris, quem tu muneribus afficeres, quam si me omnium munerum copia cumulasses. quare peto à te, mihi vt conserues amorem tuum; à méque exspectes ea, quæ, qui vehementer amat, præstare consueuit. Vale. Romæ, 11. Kalend. Quinct. 1567.

VINCENTIO MACARIO.

Scylaceum. 6

LITTERIS tuis, humanissimè, & ornatissimè scriptis, nec respondere multum possum, cùm distringar negotijs; nec nihil debeo, cùm, in officio non respondere, turpe sit. Scylacæi te sustinere munus erudiendæ iuuentutis, valde lætor. amo enim Gerondæ mei patriam, cuius mihi memoriam nulla dies ex animo delebit: qui si viueret, non dubito, quin mecum esset; ijsdemque studijs, eodem vitæ genere, frueremur. Franciscum, fratrem tuum, nostri memorem esse, gratum in primis est. equidem & illum, & te simul, ita diligo, cùm vtrumque excellere litteris, ac moribus, intelligam, vt, si quid aut honoris, aut commodi vestri gratia præstare possim, in eo curam omnem, operam, industriam, collocare cupiam. Quod ad mutatam scribendi rationem attinet, hunc tibi scrupulum Filij mei liber eximet, quem, de Orthographia scriptum, edidit anno superiore. Vale. Hæc scripsi raptim, animo alia cogitante: quòd velim ignoscas. Romæ. 18. Kal. Quinct. 1567.

10.

10. FRANCISCO CREMONÆ. Ferrariam. 7

ANTEA sollicitus eram, factus rei familiaris iactura: quod acciderat, quorundum hominum, incuria, dicam, an socordia? nunc autem, quod amissa recuperauerim, lætor equidem, sed ita, vt dolere simul cogor, quod amicis meis aliena culpa molestiæ tantum attulerit. te enim, vir optime, atque doctissime quamquam ignotum mihi de facie, tamen amicum, appellare non dubitem. nam, cur aut eum non amem; aut ab eo me amari non putem, cui cum Paulo Sacrato, omnibus mihi officijs coniunctissimo, summam intercedere necessitudinem intelligo? Quod [illegible] studiorum ac morum similitudo amicitiam contrahit: cur non animis coniũgamur, quãquam locorum interuallis disiunctis? iam illud, quod tu fraterque tuus Alfonsus, virtute tibi, & probitate simillimus, operam dedistis, idque auctoritate, studio diligentia consecuti istis., vt mea domestica supellex, ad alienas manus per errorem transducta, ab iniusto possessore vindicaretur, cum eiusmodi est, vt vestram erga me voluntatem & singularem quandam ad bene merendum propensionem ostendat; cum ita me afficit, itaque vtrique obstringit, vt omnia me debere vestra causſa existimem, vtinam ea fortuna essem, vt æquare animum officijs possem profecto vel humanitate vestra, vel amore meo, nihil esset illustrius, sed quia tam infirmum. aut tam humilem esse neminem constat, qui, si ad aliquam rem studia sua conferat, non aliquid, atque adeo multum præstet: fore non despero; vt merita meritis aliquando compensentur, &, quàntum vos in mea re ad exitum perducẽda laborastis;

tantum

tantum me, de gratia referenda, cogitasses omnes intelligant, sin voluntati facultas defuerit, peto à vobis, vt me tamen frui sinatis amore vestro: quo mihi carius, aut antiquuis, esse nihil potest. Vale, & Alfonso fratri salutem á me plurimam. Romæ. 4. Kal. Quinct. 1567.

CLAVDIO STRAMBONIO.

Camerinum. 8

DELECTOR, non parum memoria nostri tua: sed, eam ijs declarari epistolis, quibus nihil suauius esse possit, id vero est, quod maximopere gaudeam, quamquam, vtri potius, tibi, an Falconio nostro, iuueni humanissimo, atque doctissimo, de hoc officio gratias agam, interdum subdubito, ille enim, vt eloquentia valet, pæne mihi persuasit, sua cohortatione te esse adductum, vt scriberes, quod ei si, crederem, susceptam à me opinionem humanitatis. & amoris in me tui, cogeret deponere. Quid igitur faciam? quod Academici solent: assensum sustinebo: ne, si Falconio non credam, eius fidem, cui multum tribuo, in dubium reuocem; si credam detraxisse aliquid videar de beneuolentia erga me tua: quo mihi molestius esse nihil possit. Quod site impediunt negotia: hoc ipsum scriberes, ego enim ab amicis non plus exigo, quam præstare possint, neque tamen amicitias metiri soleo crebritate litterarum. fidem, & officium, semel expertus, eadem, si res postulauerit, insecto; sin aliter euenerit, leui culpa non condemno; facio perinnitus, vt amari me non putem. Quare tuis occupationibus ignosco, quod, á discessu tuo, rarius ad me scripseris; tu quoque, velim, habeas rationem negotij mei; quo sic vrgeor, vt respirandi facultas non detur. Vale. Romæ, 14. Kalend. Sext. 1567.

MARIO

MARIO CORRADO
Salernum.

ETSI mihi tuis litteris nihil solet esse iucundius, quas tamen pridie. Id Sept. ad me misisti, legi perinuitus, sic enim ad me scribis, quasi de mea erga te beneuolentia dubites. Ego, mi Mari, à quo primum tempore certam vitæ meæ rationem instituí, semper id spectauí maximè, vt, quos semel diligere cœpissem, eos non solum sponte nulla re offendèrem, verum etiam, accepta interdum iniuria, maioribus complecterer officijs. hoc institutum cùm mihi ad hanc diem placuerit; fore non opinor, vt posthac vmquam displiceat, quod si tu secus existimas; & si me vulgari quadam regula metiris vel qui sensus meos, cum longè à me vixeris, ignoras; vel quia, nonnullorum hominum perfidiam expertus, de reliquis idem facilè suspicaris: libenter equidem tibi istum, si possem, errorem eriperem: sin id mihi per te minus licet, me tamen in te amando fides, & constantia mea delectabit, vberemque satis ex ipsa conscientia fructum capiam. Tuæ partes in amicitia quæ sint, ego tibi, excellentis ingenij, ac doctrinæ viro, non præscribam: tantum illud dicã, quo tu nunc mecum genere litterarum vsus es, id mihi parum ad conglutinandos animos aptum videri, aut enim hæret aliqua in me culpa, & eam tu notas, ac reprehendis, quod quale sit, non equidem intelligo; nec vero possum intelligere, cum nihil sit: aut culpam tu nullam in me vides, & coniectura tamen aliqua duceris ad suspicandum. certe enim suspicari te nescio quid, verba illa tua significant. Ego à te solum amari cupio: oro te & obsecro, nihil aliud aut vulgare de me existimes: actum à me tecum

cum hactenus verè, & amanter. Quid? an ego aliquid commisi, vt de mea in te voluntate secus iudicare posses? aut ego te vmquam accusaui, quasi minus veré, aut minus amanter mecum egeris? Nisi si, quia litteris tuis, homo sexcentis curis implicatus, non illico respondi, propterea vel me tibi credis immutatum, vel id agis, vt ego te mihi subiratum putem. Ego autem, si essem ad mutationem, vel natura, vel consuetudine, procliuior; tamen ita de studijs tuis, ita ingenio, & eruditione, ita de moribus, & integritate sentio, vt, nisi mihi sincere iudicandi facultatem casus aliquis adimat, immutari tibi nullo modo possim. At creberrimæ tuæ litteræ, meæ rariores. Diuersa ratio est: nec, si tu id facis, quod si omitteres, fortasse peccares; & quia non omittis, agnosco, & amo vehementer amorem in me tuum; ideo sequitur, vt quia non ego idem facio, & istam officij partem, districtus negotijs, prætermitto, languere me iure putes in in studio tui, & in amore illo quem cum pepererit tua virtus, noli dubitare, quin eadem alat, atque conseruet. Familiares tuos, cum ad me venerunt, & quoties venerunt, accepi, quantum in me fuit, humanissimè: neminem excluſit, aut excludet vmquam occupatio mea, vix enim credas, quam de te libenter aut loquar, aut audiam. Quare, quod ais, ne cui posthac, qui sine tuis litteris ad me adeat, velim credere: id equidem scripsisse te nollem, cur enim, si quis expetit amicitiam meam, & eam se consequi facilius putat, si te ornet laudibus, teque sibi, in optima studiorum via, ducem fuisse dicat; quod video multos, cum quadam ambitione prædicare: cur, inquam, hac me voluptate priuas, vt ei non credam, qui narrat ea, quæ libenter audio? Patere igitur, amicos tuos, cum ijdem amici mei esse volunt, adire ad me arbitratu

suo

suo, &, quamquam testimonio careant litterarum mihi tamen, ipsa tantùm tui nominis appellatione, commendari. Vale. Rom. 10. Kal. Oct. 1567.

FRANCISCO PLANTEDO.
Neapolim. 10

VERE dicam, Plantedi: magnopere sum delectatus ijs laudibus, quibus me, cùm de Ludouici Ariosti poemate meam sententiam exquirere cogitasses, ornandum existimasti: neque verò, quòd ipsa laude admodum capiar: me enim quotidie magis, ab ambitione, cùm ratio, tum iam ætas remouet; sed quòd amoris in me tui, vt ego interpretor, index laudatio est. amari autem ab eo viro, qui excellat ijs artibus, quas in omni ætate diligenter colui, quæque rebus omnibus antecellunt, cur non audeam? Amplector igitur istam voluntatem, & habeo gratiam, non modò, quòd ita de me sentias, verumetiam, quòd eos, qui contra sentiant. Obtrectatores, & Inuidos, voces. cum quibus tamen, optime Plantedi, pugnare te, mea caussa, nolim. nam, si laudem quæram, tu mihi multorum vnus instar sis, cuius doctrinam, & eloquentiam in scriptis video; probitatem, & mores de multis audio. Sin, quod verum est. ipsa me sola virtus afficit, cetera parui pendo: sinamus, placere sibi vnumquemque, & in sua sententia triumphare; nos institutum retineamus, & in hoc siue, vt isti volunt, errore, siue, vt ego iampridem statui, veritatis amore ac studio pergamus. Epistola tua, & versus redolere mihi pariter antiquitatem videntur, quo tibi nomine vehementer gratulor. quibus enim contingat,

vt

vt in vtraque facultate, excellant, pauciſsimos in omni ætate fuiſſe non ignoras. De Arioſti poemate hic quoque ſunt qui diſputent, in vtramque partẽ; cùm alij ſuum iudicium ad Ariſtotelis præcepta referant; à quibus quẽm diſcedere intelligunt, eum ſtatim è poetarum numero extrahendum cenſent; alij verò, ſiue res, ſiue verba ſpectentur, Arioſto tantum tribuant, non modò vt eum ad ceteros poetas aggregent; verùm etiam cum illis poetarum principibus conferendum ſtatuant. Mihi non tantum otij ſuppetit, vel vt hoc totum, quidquid eſt, conſiderem, vel vt meam ſententiam litteris exponam. Vale. Romæ, Non. Sept. 1567.

ANTONIO MERVLÆ.

Caſertam. 11

NIHIL mihi gratius, aut iucundius ijs verſibus accidere potuit, quos à Bernardino Rota, præſtante viro, de me conſcriptos, ad me antea miſiſti. quo ſane munere ne viderer indignus, cupiui ſtatim paria paribus, &, vt aſſequerer, elaboraui: ſed, cùm non procederet, indignantibus Muſis, quaſi eas per tot annos, conuerſus ad illa ſtudia, neglexiſſem, diſtuli rem, conſilium non abieci, non enim fore deſperabam, vt aliquid aliquando, tanquam è quercu, exculperem, quod ſummus poeta cùm videret, ſi minùs ingenium probaret, id quod equidem ſperare numquam auſim, animum ſaltem, referendæ gratiæ cupidum, diligeret. Sed ecce tibi iſta, difficultatibus ita multis implicata, Breuiarij mutatio, nihil vt laborioſius, aut moleſtius, vnquam ſenſerim. nec dum tamen eò loci res eſt, vt ea quæ fluctuabant, recediſſe videam. quo maiore verſor in ſollicitudine, non ſolum, quia careo litterulis noſtris in

quibus

quibus antea vluebam, sed etiam, quia, seiunctus ab amicis, vereor interdum, ne quis, mearum ignarus occupationum, exuisse me putet veterem humanitatem, & officij curam, quæ mihi olim prima fuit, penitus abiecisse. Quare, te rogo, pro eo, quantum me amas, & quantum te amari à me scis, desoperam, ne quid Rota de me suspicetur durius. nosti meos mores: nosti animum: quem si alia fortasse labes inicit, certè, ad amicorum obseruantiam, & ad tuendam officij religionem, quod attinet, purus est. De tuo statu, cum nihil scripseris arbitror esse, vt volumus. Vale, & Rotæ salutem. Romæ, Kal. Nouemb. 1567.

IACOBO FALCONIO.

Bononiam. 15

O MEE credulum, qui te iterum in Hispaniam putauerim: quòd cùm tu affirmare non desineres, Maximus tamen noster perpetuò negabat, nimirum ille adolescens quiddam occultius, quod ego hebetior non videram, aliequebatur ingenio. nec me tamen hoc tecum queri putes: quin potius errore meo delector; &, me delusum esse, Gaudeo. nam, si tam longè discessisses; primum veritus essem, ne serius ad nos, deinde etiam, ne cum illo Hispanensi fastu, oblitus humanitatis tuæ, redires nunc, mutato consilio. cùm Bononiæ consederis non dubito, quin te ciuitas omnium humanissima, qualem dimisimus, talem nobis, ac melioribus etiam, si fieri posit, & litteris. & moribus excultum, remittat. De Sigonij consuetudine, valde tibi gratulor. cole istum virum, Falconi, quem habemus in Italia, non solum doctrina verumetiam probitate pænè singularem. Vale, & Iacobo Bon-

compagno salutem à me plurimam. Romæ, VI. Id. Nouemb. 1567.

IO. BAPTISTÆ ARCVCIO. Neapolim. 13

Et bene te sentire de studijs meis, déque laboribus illis, quos iam à prima adolescentia, patris adductus exemplo, ad restituendam antiquitatem contuli, & me etiam diligi à te, video. quòd cum vtrumque mihi gratissimum esse, tum à me tibi parem in vtroque gratiam referri, velim existimes. nam, cùm epistolam tuam legissem; valere te ingenio, præstare litteris, facile iudicaui; & ad iudicium accessit beneuolentia, nec ea vulgaris, sed quantam virtus, & studiorum similitudo gignit. quare, persuasum hoc tibi, planéque exploratum esse cupio, quæcumque à vetere necessitudine expectari officia solent, ea tibi à me, si qua tui dabitur facultas ornandi, præsto semper futura. De Arioſto, lis, & contentio non placet, antiqua me delectant, eaque tracto, vtinam tam feliciter, quam laboriosè. si quis in eo suam industriam locat, vt ipse excellat, consilium probo, aliena qui tantùm iudicat, eum ego, vel si recte iudicet, non libenter tamen imitabor. Vale. Romæ. v. Id. Nouemb. 1567.

ANTONIO FVRNARIO. Neapolim. 14

VTRVMQVE lætor, & fortunis tuis aliquid esse additum, & amori erga me plurimum. at multi contra, vel dignitate, vel commodis aucti, contemnunt veteres amicos, & officio multam salutem dicunt.

dicunt. quod hic nos experimur quotidie. Quod me annuo munere afficis : agnosco humanitatem tuam. quòd verò, id te tribuere virtuti meæ dicis: maiore etiam me ornas munere. noli autem arbitrari, tam desipere me, vt disputare tecum velim & quærere, verè ne sentias, an secus. facio non inuitus, vt iudicium tuum cum mea laude coniunctum tuear, ac probem. De anno, quem Scalarem vocant, ne tanti Firmicus, & qui cum eo sentiunt, apud te sit, vt animi tranquillitatem amittas. quæ enim impendent, si sunt eiusdimodi, vt vitari prudentia possint: spero fore, nihil vt te lædant. sin ea fixa sunt : prærripere molestiam, & angi frustra, certè non oportet. Ego valetudine vtor satis commoda, re familiari, si spectentur labores mei, parum copiosa, si ratio temporum, satis ampla. Vale. Romæ. XVI. Kal. Febr. 1569.

NICASIO CASLETANO.

Patauium. 15

OPTABAM, vt emergeres ex eo vitæ genere. quod neque studijs, neque fortunis tuis aptum videbam : angebar tamen, eripi nobis fructum suauitatis, & doctrinæ tuæ, hac præsertim proborum, atque eruditorum hominum, id est tui similium, caritate. nunc ex tuis litteris cùm intelligam, ordiri te nouum quoddam vitæ genus ; medicorum antiquorum libros euoluere cœpisse, ne posthac, inani spe ductus, aliunde pendeas; frui non modò familiaritate, sed conuictu etiam, ac domo præstantissimi iuuenis, Io. Vincentij Pinelli: abstergo prorsus illam ex animo molestiam, quam discessus mihi tuus reliquerat, teque istuc esse, vbi otio, libris, doctoribus abundes, & eam, quæ maximè

ingenium adiuuat, quam pœnè hic amiseras, animi tranquillitatem non desideres, vehementer gaudeo. De epigrammate, Sammarcus agit gratias: vt referat, non expecto. cupedias tamen si habebo, ita non contemnam, vt vos omnes amem. quid enim quisque præstiterit, non ignoro. Vale & Pinello, Sammarco, Andreæ Siluio, qui me olim diligere videbatur, multam salutem, Romæ. pridie Kalend. Febr. 1568.

CHRISTOPHORO BARONI LOBKOVICZIO. 16

NIMIVM agis mecum liberaliter, cùm tu mihi, principis viri filius, homini priuatæ fortunæ, nullo meo prouocatus officio, tuam beneuolentiam sponte defers. quòd ego beneficium tanti facio, nihil vt anteponam. cùm enim ita vitam instituerim; vt virorum nobilium amicitias expeterem: tum eam nobilitatem præcipuè colui; quæ licet aliquid extrinsecus assumat, maximè tamen à se ipsa pendet, ac præsenti virtute decoratur, quam tibi placere sententiam video, & dare operam, vt, quod maximè probas, id maximè consequaris. itaque sic velim tibi persuadeas, nihil omnino mihi vel carius esse posse, vel iucundius amicitia tua: non eo solum nomine, quòd illustri fis admodum loco natus, quòd patrem habeas, qui Bohemiæ cum summa potestate præsit, qui omni honore, omnique laude floreat: sed multo magis, quòd & audio, & ex tuis litteris conijcio, defixum te esse in præstantibus curis, & ea quærere, vnde verum decus, vera nobilitas emanat. ita fiet, vt, quantum ad splendorem domesticum sua virtute addidit pater tuus, tantum ipse ad paternum decus, voluntate nunc simillimus, virtute aliquando

aliquando præstantior, adiungas. Incumbe igitur, clarissime adolescens, (iam enim, ne abs te in amore vincar, laborare me æquum est de gloria tua) incumbe, obsecro, & huc omnes neruos, omnem industriam confer, vt ornamenta referas in patriam, quæ tua propria sint, quæque tibi nulla vmquam fortunæ vis, nulla mutatio temporum auferre possit. Quæ cohortatio nec longior esse debet, cùm te tua sponte propensum satis esse ad omnem laudem intelligam; nec omittenda tamen fuit cùm hoc apud te vellem relinquere, quando aliud præstare tua caussa vix possum, testimonium amoris. & obseruantiæ erga te meæ. Vale. Romæ. 17. Non. Febr. 1568.

PETRO MISCOVIO. 17

Ex ijs rebus, quarum memoria delector, nulla magis recreor, quàm conscientia obseruantiæ erga te meæ, & opinione amoris in me tui, inde fit, vt & optem tibi secundissima omnia, & cum optata contingunt, vehementer gaudeam. quamquam quis non gaudeat, cùm debita virtuti præmia tribuuntur? cùm excellit honore, auctoritate, opibus, qui excellit ingenio, industria, probitate? itaque, cum tibi Episcopatum Plocensem esse demandatum cognouissem; gratulatus sum tibi, primùm pro amicitia nostra, neóque in te studio singulari: deinde bonis artibus, quibus ex tua dignitate tantum ornamenti, tantum splendoris accessit. Hoc exemplo, qui fore iam dubitet, quin omnes non modo in Polonia tua, verum in longinquis etiam nationibus, quò tnorum meritorum fama peruenerit, ad excellentem veræ gloriæ cupiditatem excitentur? equidem, cùm audio, quæ partim ab alijs, partim

a probo & prudente viro, tuarum laudum, præcone, Metello Venturello assiduè narrantur, ita commoueor, non equidem vt adspirem, quò peruenire non licet: (non enim me tibi vlla re confero) verùm vt in præstantibus doctrinarum studijs, vnde fluxit amplitudo tua, languere nullo modo possim. atque etiam adducor in illam spem, fore prorsus, vt excellentibus ingenijs, quibus abundat in primis patria tua, auctoritas, gratia, opesque tuæ pateant, sic vt ad magnas res, magnopereque expetendas, tuo potissimum patrocinio nitantur. ita nascetur ex virtute virtus, & propagabuntur illa quibus à turpi otio ad laudabilem industriam, ab iniuria ad æquitatem, à feritate & dissidio, ad societatem, & conuictum humana vita conuertitur. cuius tanti boni vt auctor velis; iam enim posse te, satis constat; ne rogandus quidem es. cùm hoc à te tua dignitas, & antea actæ vitæ ratio quasi suo iure postulet. Vale. Romæ. Id. Febr. 1568.

FEDERICO VIVALDO.

Neapolim. 18

MAGNVM humanitatis, magnum amoris argumentum, non solum ad me scribere, quem nunquam, vt opinor, de facie noueris, verùm etiam, quæ tua sunt, omnia mihi perliberaliter offerre, ac polliceri. Ego, mi Viualde, voluntate sum contentus: cetera non desidero, amari enim cupio: prodesse verò amicis malo, quàm debere. itaque, licet amicitia nunc primum inter nos exoritur, tamen sic velim existimes, quæ res ad existimationem, aut ad commodum tuum pertinebunt, in iis rebus me esse operam datum, vt familiaribus tuis vetustate quidem, & opibus, officio tamen con-

eodem

eadem nemini. nam, si amantem non redamare, turpe est: multo magis eum, qui ingenio, doctrina, multis denique, vt audio, suauitatibus ingenij ita floret vt eius amicitiam, qui rectè sapiat, in rebus valde, expetendis numerandam putet. Quod ob eam caussam scribo, vt intelligas: cùm tibi me gratias agere, tum gratulari mihi plurimum de benevolentia tua: de qua, si vnquam commisero, vt aliquid mea culpa detrahatur, hominem me non putabo. Vale. Romæ. xv. cal. Mart. 1568.

PAVLO LVPO. 13

Etsi cùm tuum erga me non mediocre studium facilè mihi antea cognitum, atque perspectum, tum mea in te singularis benevolentia postulare videbatur, vt viserem te quàm creberrimè, tertium iam mensem difficili morbo laborantem: tamen id non feci, non equidem obliuione tui, quem fero in oculis ob egregios mores, optimámque indolem; sed partim valetudine, qua, propter nimis longam vernì temporis intemperiem, incommodiore adhuc vtor; partim etiam occupatione molestissima, qua ita distineor, vt pedem ex ædibus efferre perquàm rarò liceat. Quod reliquum fuit, quotiescumque vidi (vidi autem fere quotidie) familiarem tuum, mei studiosissimum, probum iuuenem, & eruditum, Iulium Iacobonium, cuius tu consuetudini, atque consilijs, quidquid aut in litteris, aut in moribus ad hanc diem profecisti, acceptum referre solitus es; quàm sæpe de tuo statu quæsierim, quàm solicitus de tua salute fuerim, optimus ipse testis est. quod vtinam, quantum doloris ex tuo periculo suscepi, tantum opis ad te subleuandum adferre potuissem: nè tu nunc, plane integer,

& saluus, nullam prisſtinæ valetudinis partem desiderans, nobiscum esses, vt interdum solebas, nostque tuo lepore, tua venustate, tu nostra consuetudine, nostra etiam, si qua est, hilaritate fruereris. quod tamen breui futurum ita spero, vt valde tibi primum, deinde etiam nobis gratuler. non enim dubito, quin statim repetas ea studia, quæ non vulgari cum laude tractabas; quæque te (libet enim augurari, quod opto) ad summas opes, summámque dignitatem, fauente præsertim, atque adiuuante, patrono omnium bonarum artium, omni virtute prædito, Cardinali Alciato, aliquando extollent. nihil est enim, vt exemplis & antiquis & recentibus erudimur, quod hominum studia ad vtilitates nostras magis alliciat; quàm virtus: nihil magis, & humana nobis omnia subjicit, & aditum ad cœlestia patefacit. Quare, cum tibi nec instrumenta naturæ desint, quorum expertes multi, optima voluntate, studio flagranti, nihil tamen vel mediocri laude dignum præstare potuerunt; neque verò ex iis rebus vllam requiras, quæ si absint, præclare sæpe cursus impeditur industriæ: debes animum in ipsum optimam erigere, omnique cura ad recuperandam valetudinem incumbere. medicos habes, qui locum in ciuitate principem obtinent: mater assidet ægroto; curas, exsequitur omnia. amicorum nec salutationes, nec officia desunt; hæc speramus fore salutaria; sed mihi crede, medicina præstantior in te ipso, id est in constantia, prudentia, temperantia tua, reposita est. Consule igitur, quantum potes, & saluti, & gloriæ, & parentis etiam vitæ: quam filij iacentis adspectus examinat; amicis, vero tuis, mœrore adempto, veterem iucunditatem aliquando restitue. Quod si, expertus omnia remedia, placere Deo senseris, vt hæc humana relinquas;

quæ

quæ quàm caduca sint, quàm nunquam firma, quàm sæpe exitiosa, profectò vides: agnosce tuam felicitatem, ad eamque propera lætissimo animo, relictis erroribus, quibus ij qui hac diutius compage corporis includuntur, falsa rerum inanium specie decepti, ita sæpe implicantur, vt nunquam ad veri boni cognitionem perueniant. nos quidem, qui, te isto vexari morbo patimur iniquissimè, ijdem, si contigerit, vt in ista ætate, istis erroribus, ista mente, nondum terrena contagione deprauatus, aut mortiferi criminis labe pollutus, hanc miserrimam vitam cum illa bonis omnibus circumfluente permutes; lætabimur & exitu optato molestiarum tuarum, & initio beatæ vitæ, ad quam adspirare paucissimis licet. Vale, xiij. Maij. 1568.

AVGVSTINO ANGELELLO. *Fabrianum.* 20

NISI tibi, quæ nunc mea vitæ ratio sit, quibusque curis & negotijs distinear, satis cognitum crederem, sane afficerer magna molestia, quòd tibi viro optimo, atq; in primis erudito, præterea, quod res ipsa declarat, mihi amantissimo, deesse videretur officium meum. sed profectò, si me putas ab ineunte ætate ijs artibus, ac studijs non mediocriter esse delectatum, quibus ad humanitatem animus excolitur: æquiorem te mihi esse oportet, nec suspicari, quia rarius ad te scribam, non ideo me tibi, quas debeo, gratias habere non diligere & amplecti diligentiam, industriamque tuam, quam quotidie locas in antiquitate colligenda: cuius ego maiorem officij partem libenter acceptam refero benevolentiæ erga me tuæ. Nec tamen supersedeam operam suscipias, cùm præsertim otio non abundes: hoc

velim

velim scias, omnes me cùm veteres, tum etiam proximè Auximi effossas inscriptiones, in quibus hæ quoque duæ sunt, quas ad me misisti, ante duos menses accepisse à Io. Francisco Gallo, ciue Auximate: &, quod tu scripsisti, F. POLLVCI. ille, LI. POLLVCI. quod tu, TVRCIVS C. F. ille TVRCIVS C. F. S. quod Sergiæ tribus nomen fortasse fuit, nam & infra video, C. F. SER. nisi si SER. N. id est Seruij nepos, legendum. quod vt diligenter inspicias, mihique significes, valde rogo, Filius abest, Venetias anno superiore cum matre negotij caussa profectus. Vale. Romæ. Nonis April. M. D. LIIx.

IACOBO FALCONIO.

Pisas. 21

ETSI tuis litteris magnopere delector, in quibus & amorem erga me singularem, & ingenij tui præstantiam facile perspico: & tamen, vt hoc nostræ necessitudinis officium persoluas, auocari à studijs tuis, aut etiam ab amicorum sermonibus minimè velim scis meam consuetudinem. neminem diligo, quem non probem: quem porrò cœpi diligere, tantum abest, vt exigam ab eo plus, quàm præstare possit, vt etiam, si quid peccauerit, remittam. quis enim est, qui leges amicitiæ perpetuò seruet? quamquam te quidem ab hoc numero non minus verè, quàm libenter, segrego. noui tuam constantiam, noui curam, atque industriam, in quacumque re amor eluceat. quæ quo rariora sunt, eo magis hic te desidero: nec desiderium ferrem, nisi cogitarem, eo te consilio discessisse, vt auctus virtute ad nos redeas. quod vt assequaris, ita cupio, vt parenti tuo concedam, præterea nemini. Ioannem Riccium

um Politianum, illustri iam virtute adolescentem, qui aliquando mecum in tuis ædibus, inuitatu parentis tui, viri optimi, cœnatus est, audio Pisas brevi, studiorum caussa, venturum, eum velim roges, vt me diligat, quando ego singulari sum in illum beneuolentia, sic, vt te æmulum vix patiar. Salutabis meo nomine exquisitæ doctrinæ virum, poetam summum, Petrum Angelium Bargæum, qui Latinam, & Græcam linguam istic publico munere maxima sua cum laude profitetur. Vale. Romæ. x. Kalend. Iun. 1568.

IO. ANTONIO VVLPIO. 32

VIX credas, quàm me delectauerint inscriptiones à te missæ: non solùm, quia disertæ, ac perelegantes, verùm etiam, quia gratiæ meundæ ab amplissimo viro, singulari virtute ornato, Thoma Altimaro, oblatam occasionem auidissimè sum complexus. nam, quod inde natum est argumentum epistolæ tuæ, ita scriptæ, vt summum ingenium, summum etiam erga me amorem ostendat: hoc ipsum apud me quanti esse putas? equidem, si qua est huius vitæ felicitas, maiorem eius partem in hominum eruditione, & probitate excellentium, id est tui similium, amicitia constituo. Quare cùm tibi maximas ago gratias, quòd ad me scripseris, quodque mihi haud paulo plus, quàm agnoscere debeam, tribuere videaris: quippe cùm ea referas ad iudicium meum, quorum ego te, si arbitrij mei res esset, Aristarchum libenter statuerem: tum verò sic velim existimes, si quis est, qui tuæ laudi faueat, qui tuam præstantem doctrinam in ore habeat, qui denique tua caussa summa omnia & cupiat, & curet, tuus esse me, daturumque operam, vt

summum

animum aliquando res ipsa declaret. De inscriptionibus indicaui Sanctę Severinæ Archiepiscopo, quas probarem maximè: nullam tamen, vt verè dicam, improbare audeo; cùm aliquid in vnaquaq; videam excellere. Vale, & Altimaro salutem à me plurimam. Romæ. Kal. Iun. 1568.

VINCENTIO RICCIO
A SPI. 33

MITTO quæ petis omnia, præter vnam Petrarchæ paginam: quam ego, primùm à pueris nostris, deinde [illegible] me ipso diligentissimè quæsitam, ne inter fragmenta quidem reperire potui. Atticanis epistolis etsi adhuc mihi opus erat, tamen, quando ita vis, & ego tibi tua petenti neque negare possum, neque volo, remitto tibi eas per eundem tabellarium, qui has litteras ad te perferet. Mihi quidem animus iste tuus gratissimus semper erit. veruntamen, mi Vincenti, si curabis, vt mihi de eodem volumine in aliquot dies commodare possis, impones operi præclaro velut artifex egregius vltimam manum. nam ego non nisi libros quinque cum meo libro contuleram, reliquam partem vt absoluere aliquando possim, non petam à te pluribus verbis, ne videar benevolentiæ tuæ diffidere. Vides cupiditatem nostram. Tu statues in hac re, quod sit ex fide tua primùm, deinde etiam ex voluntate mea. Ego te, & Peregrinum nostrum, & Hieronymum etiam in oculis fero. Venetijs vij. Kal. Iun.

EIDEM. 34

HENDECASYLLABVM carmen, quo nos tam amicè salutasti, multis cantibus legi perlibenter. primum,

mùm, quòd tuum erat; deinde, quòd elegans, & ornatum; postremò, quod in illo mihi significabas memoriam tuam nostræ necessitudinis, & benevolentiæ. itaque non possum non tibi vehementer gratulari, mihiq; plurimum gaudere, tibi, qui tam egregiè bonis in litteris proficeris; mihi qui talem, ac tam amabilem nactus sim amicum. Deus igitur faxit, vt in hac animorum coniunctione ad extremum vsq; vitæ cursum perseuerempus, &, quæ summi amoris vterque fundamenta fecimus, ea non solùm confirmemus, verùm etiam augeamus. sic enim habebo, qui propter egregias animi, ingenijque tui suauitates, vehementer te diligant, esse quàm plurimos; qui mihi sint in te amando partes, esse vel paucos, vel fortasse neminem. Sed hæc satis. Illud curabis, vt erudito iuueni, Cornelio dico, salutem meis verbis annuncies plurimam. Bene vale. 1531. pridie Non. Sext.

EIDEM. 25

VIDE, quanti mihi sis, quantúmque te diligant vbi primùm ex balneis reuerti, è vestigio ad scribendum conuolaui, quod ideo ad te scribo, quia non eius generis meæ litteræ sunt, vt ex illis aliquid possis cognoscere, quod aut nostra interfit, aut te scire necesse sit. vnum est illud, quod velim te intelligere, nobis Dei beneficio pristinam salutem si non penitus, certè magna ex parte restitutam. De meis studijs, propter diuturnam valetudinis infirmitatem, prope iam actum videtur, ego tamen, vt spero, quidquid omissum est temporis, breui resarciam. Tu quid peperceris, quid parias, vehementer scire cupio. non enim is es, qui patiaris tuum ingenium longo otio torpescere idq; cùm præstet, non modò tibi vtilitatem cum laude quæris, sed etiam

tuis

uis omnibus & amicis & propinquis, lætitiam atque gaudium affers. Bene vale. 1531. xv. Kalend. Septemb.

EIDEM. 26.

LEGI tuas litteras, perbreues quidem illas, sed tamen valde mihi gratas. Lætaris, quòd conualuerim; ego contra, quòd te reperierim tam bellè valentem. De Cornelio quod scribis, non legi semel, sed bis & sæpius. habeo enim illum conuenire: tu, si libebit, eris mihi comes in homine visendo. 1531. xij. Kalend. Septemb.

EIDEM. 27

MVLTIS, & ijs quidem maximis argumentis declaras mihi in dies tuum erga me amorem non confirmari solùm, sed etiam augeri vehementer. Quòd enim tam ex animo delectaris nostra consuetudine, quòd tam frequenter nos visis, quòd tam crebrò litteras mittis, cui dubium esse possit, hoc ex nimia quadam in me beneuolentia proficisci? Quare ferreus omnino sim, & humanitatis penitus expers, nisi te valde amem, & obseruem; qui nos, nullo nostro erga te merito, & ames, & beneficijs ita tibi obstringas, vt, vnde pares referamus gratias, nullus iam relinquatur locus. Gratas igitur tuæ litteræ, eóque magis, quòd intellexi te Patauium cogitare; vnde sperem te pro singulari tua prudentia, & in bonas artes propensione, amplissimam & famam, & celebritatem nominis ad tuos relaturum. Quòd autem ad Græcas litteras animum appuleris, hoc tuum consilium & probo vehementer, & feliciter Deum Opt. Max. fortunare

fortunare volo. crede enim mihi, nihil poteras præclarius cogitare, quàm cum Latinis Græca coniungere. Sed, quoniam nostram epistolam, si longior extitisset, futuram tibi gratiorem significas: sic habeto, mi Vincenti, nos prolixius ad te non scribere, quòd neque prolixiores epistolas, quibus confirmetur, amicitia nostra videtur desiderare, neque mehercule valde est, quod scribam, quod aut nostra interfit, aut te scire oporteat. Nisi fortasse velis me scribere, in Italiam Gallos aduentare, & Venetijs visum esse cometam Sextili mense, & similia, quæ minimè negligunt. Quòd si viderim te longitudine capi, dummodò tibi satisfaciam, inanes potiùs, quàm nullas, ad te litteras dabo. Vale, pridie Idus Septemb. 1531.

EIDEM. 38

Et litteras, & libellum accepi, de quibus tibi gratias ago. neque verò mihi erat ignota diligentia tua, quam antea nobis, cùm Venetijs viueres, id est cùm in humaniora studia mecum incumberes, multis quidem argumentis declarauerat. Peregrinus, & ceteri communes amici salutabuntur à me diligenter, vbi primùm eos offendam. Tu fac existimes, nihil esse, quod ab homine amicissimo proficisci possit, quod ego non velim te à nobis exspectare. fecit humanitas tua, quam mihi Patauij tam egregiè significasti, vt ad antiquum amorem erga te meum addiderim etiam cumulum quendam benevolentiæ propè singularem. amaui enim semper, & amo voluntatem hominum, quæ mihi rerum omnium antiquissima est. itaque, contubernalibus tuis, & lectissimis viris, Augustino, Bartholomæo, & Ioanni cùm salutem dixeris, addes etiam, omne

meum

meum studium, & officium ij⁹ paratum esse, ac semper fore, quod vt aliquando tu cum illis experiare, dabo operam, quantum erit in me situm. Paulus Papiensis per me vobis omnibus salutem adscribi voluit, neque constanter asserit perpetuò comitati vestræ deiunctum in primis fore. Si Bonamicus redierit, si mihi significabis, gratissimum feceris. Vale. Venetijs. Idib. Sept. 1571.

EIDEM. 99

POSTQVAM mihi renunciatum est, te Patauium, adipiscendæ philosophiæ gratia, concessisse, plurimum sane voluptatis animo cepi, & hoc tuum consilium etiam atque etiam tacitus mecum ipse laudaui: facit enim amor erga te meus, vt existimem, quidquid tibi conducat, id mihi etiam expedire. atque tu, cùm in tanta hominum luce, in tanta doctissimorum virorum frequentia viuas, non dubito, quin bonarum omnium disciplinarum, & laudatarum artium cognitionem breui sis consecuturus: noui ego ingenium tuum: noui impetus ad laudem: itaque non adhortabor te ad eas artes, quibus ab ipsa pueritia deditus semper maximè fuisti. quid sit ante acta ætate tua dignum, qui te mores, quod institutum vitæ deceat, tu videbis. Ego illud tantum tibi ante oculos ponam, vt cogites, in ea te vrbe nunc agere, quæ liberalium omnium doctrinarum hodie veluti domicilium habeatur, & à qua inanem quemquam redire, turpissimum sit. atque hoc satis esse arbitror ad excitandum te ad honestas disciplinas. quamquam ne hoc quidem ideo tibi propono, quod voluntati, aut prudentiæ tuæ diffidam, sed vt potius amori erga te meo, qui me ad scribendum impulit, satisfaciam. quod tu cùm legeris, eo

velim accipias animo, quo nos & cogitauimus, & scripsimus. Cornelium Diuum, Peregrinum Benzonum, Nicolaum Sonicam, & Hieronymum Riccium Murarensem, communes amicos, meo nomine si salutaueris, erit mihi vehementer gratum. Tu fac valeas, & me, vt instituisti, diligas. 1531.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER NONVS.

NICOLAO CÆTANO. CARDINALI.

Eo verò fratris tui, Principis optimi, filios, præstanti ingenio adolescentes, & libenter sum complexus; & perfecta singulari probitate, atque ad bonas artes propensione, quotidie magis vtrumque diligo. Sed, vt illorum præclara ad virtutem indole, pro mea erga, similiam veltram peruetere, perpetuaque obseruantia, vehementer lætor: sic, a lexcolenda eorum ingenia quod attinet, nec mihi vacui temporis esse quantum res exigit, nec facultatem, quæ voluntatem æquare possit, non mediocriter angor. quanquam illis, vt video, quæ aliunde petuntur, intra domesticos parietes abundè omnia suppetunt. vt enim reli-

quæ omittam cùm in tuam vitã intuentur, cùm tuos mores, tua instituta, tua studia, contemplantur nullam præterea disciplinam, nullius vocem, aut præcepta desiderant. veruntamen, si quando acciderit, vt ab ijs occupationibus, quarum concursu pænè obruor, respirare liceat, deesse vestræ cupiditati non patiar industriam meam, quod vt enitar, hortantur quidé multa, nihil tamen magis, quám epistola tua, quæ mecúm sermonis elegantia, tum significatione amoris, & indicij de me tui sic affecit, vt nihil vnquam senserim iucundius. Valeix. Kal. Apr. 1569.

PAVLO MANVTIO.

S. P. D. 2

SVPERIORIBVS proximis diebus sumpsi mihi quiddam non alienum, vt arbitror, ab officio meo, neque tibi aduersum, cum optimo animo tuiq; amantissimo, quæ te ratio impulisset, vt de optimo Imperatore Maximiliano, Domino meo, vere rectéque cogitata, & ad Sambucum nostrum perscripta, ex libro epistolarum tuarum tolleres, & bene sulta euerteres, exquirere non dubitaui. Magnum enim atque graue aliquid fuisse, quod te ipsum quasi, ad cuius laudes amplificandas illa, quæ laudgaueris, pertinebant, inuerterit, statuebam, & quid hoc cum iniuria, quæ capiti Reipub. Christianæ fieret, coniunctum esset, dubitare non poteram. Itaque cùm te, propter excellentem omnium liberalium doctrinarum cognitionem, animo meo egregiè earum habeam, & tibi aliquid à maleuolis instillatum, quo minus in recta sententia maneres, putem, erigere te, atque confirmare rursum meis litteris volui. Spero autem, ac potiùs confido, te pro singulari tua humanitate & probitate in optimam hoc

accep-

acceptorum partem, ac maiorem mihi, cui Cæsar intimè est notus, fidem habiturum, quàm hominibus Imperatoris optè & inuictiss. tuisque laudibus inimicis, meque dubitatione, & cura, quam ista mutatione, cuius nulla vera ratio excogitari potest, nobis iniecisti, leuaturum. Id vt facias, & hanc meam curiositatem (licet hoc nomen in vitio ponatur) ab omni maleuolentia disiunctissimam, ac potius cum summa erga te beneuolentia, fideque, quem integerrimam Cæsareæ Maiestati quoad vixero præstabo, commodam esse tibi persuadeas, in maiorem modum peto. Bene vale. Viennæ. ex aula Cæsarea. ix. Kalend. Iunij. 1569.

Ioannes Crato à Crafftheim,
S. Cæs. Mriest. Conf. & Medicus intimus.

IOHANNI CRATONI. Vienna. 3

SI quis est, vir præstantissime, qui constantia delectetur, &, quam semel consilij viam ac rationem est ingressus, in ea libenter pergat, is ego sum, & eum esse me non mediocriter gaudeo. sed, vt te non fugit, singulari doctrina ac sapientia virum, in hominũ voluntatibus nihil esse perpetuum necesse est: nec videtur in aliquam culpam incidere, aut malè de seipso consulere, si quis ita vitam instituit, vt eius consilia ratio temporum moderetur, ac regat. Ego olim in illa mea ad Sambucum epistola, quid cogitarem, declarandum putaui. nam, etsi de studijs meis humiliter admodum sentirem, nec satis fore sperarem, vt ex ingenio meo quidquã depromere, quod si ad Maximilianum, Regem tunc Romanorum inclytum, nunc Imperatorem, mitteretur, aditum

mihi ad eius beneuolentiam patefaceret: suasu tamen amicorum, assiduisq; sermonibus, in eam mentem impellebar, vt maximo Principi, erga liberales omnes disciplinas egregiè animato, notam esse cuperem industriam meam. nunc mutata mea ratio est. Romam euocatus à Pontifice, sic impedior negotijs, sic à studijs auellor, vt, quæ de litteris nostris opinio fuit, si modò vlla vnquam fuit, ea nihil dignum, in summa temporis inopia, præstaria me posse confidam. porrò, quod pollicebar, cùm posse perfici sperabam, id spe sublata, cur pollicear, non video. nisi si, quod à mea non solùm natura, verùm etiam consuetudine, semper abfuit, eos imitari velim, qui maiorem ex inani quadam ostentatione, quàm ex ipsa vetitate, voluptatem capiunt. Nam quod vereri te ostendis, ne maleuolorum opera & artificio factum sit, vt à pristina sententia discederem: patere, obsecro, persuaderi tibi, primùm, id quod res est, mutationem fecisse me voluntatis, non iudicij: deinde, illa ipsa mutatione voluntatis, quam nulla temeritas attulit, sed ab inuito necessitas expressit, nihil animo meo molestius, nihil acerbius accidere potuisse. quid enim? an ego vel ita hebeti sum ingenio, vt, quibus virtutibus tanta Maiestas ornata sit, non intelligam; vel ita improbo, vt, quæ laudes tantis virtutibus debeantur, non confitear? istam calumniam, opinor, neq; qui studia mea, neq; qui mores nouerit, in me conferet. In quo tamen, vt ingenuè fatear, est quod me mordeat. qui enim alios, homo minimè fallax, ex ingenio meo antea metiebar, nunc demum quasi admonitus officio litterarum tuarũ, incipio suspicari, posse aliquem quod à me ratione, vt arbitror, optima, factum est, id, aut ignoratione consilij mei, aut suæ fortasse naturæ vitio, deteriorem in partẽ interpretari, neque,

huic

huic malo quæ mederi ratio queat, dispicio: nec possum, in optima animi conscientia non aliquam tamen ex aliena suspicione molestiam trahere. Tibi quidem, Crato optime, cùm & me verbis exquisitis epistola tua elegantissima, ac planè omnium, quas adhuc legerim, prudentissima, laudaueris, & ea simul scripseris, quæ profectò, nisi me valde diligeres, & nisi de mea existimatione ac laude laborares, tibi numquam in mentem venire potuissent, quas gratias debeam, facilè video; quas agere possim, non reperio. quod tamen in me est, vt meritum tuum perpetua memoria colam, & singulari ipsum amore complectar, quod virtuti quoque tuæ, omnibus notissimæ, libenter tribuo, id si omittam, nefario me scelere deuinctum putabo. Vale. Romæ. Idibus Sept. 1569.

EIDEM, Viennam.

ET seriùs, quàm tu fortasse exspectabas, & breuius omnino, quàm vterque nostrum vellet, ad te scribo. id accidit valetudinis incommodo, non obliuione tui, ad quem quotidie mentem refero, & ea suauè voluptate, qua maior esse nulla possit. quòd si corporibus animi mederentur, facilè sanaret hunc morbum, quo quintum iam mensem laboro, iucundissima recordatio humanitatis, & benevolentiæ erga me tuæ. alleuari tamen videor, dum de te cogito, tecumque quasi loquor. calores exspecto, valetudini meæ semper vtiles: etiam hiems, & veris inconstantia, cum hiemali propè rigore, malè me vehementer habuit. Si valebo, exspecta epistolam bene longam. interim ama me, vt facis. Vale. Romæ. Kal. Maij. 1570.

LABORABAM eodem, quo antea, morbo, & quidem aliquanto etiam grauius. ita Dei voluntas fert. nec satis constat inter medicos, qui sit exitus futurus: meus animus, vt ingenuè tibi fatear, aberrat à bona spe, quippe ætate ingrauescente, valetudine perimbecilla, morbo plurimorum mensium. Te rogo pro nostra necessitudine, si quid mihi acciderit humanitùs, filium meum Aldum, qui viuit Venetijs, tuis officijs, tuáque humanitate complectaris. Ego si diutius vita fruar, nullum, mihi crede, ergà te amicissimi atque obseruantissimi hominis officium prætermittam. Hæc quoque aliena manu: nam mea vim penitus omnem ademit morbus. vide, qui sim, mi Crato. Vale, & posthac Venetias, quo me breui conferre cogito, ad oratorem vestrum litteras mittes. is mihi eas reddendas curabit. &, quamquam fieri potest, vt inde me Patauium, valetudinis curandæ gratia, conferam; tamen discedens mandabo mihi, vt litteras mihi tuas eò mittant.

EIDEM, *Viennam.* 5

NVNC demum exoriri mihi videor, & quasi post multam noctem lucem adipisci, reuersus, post annos decem in patriam ab vrbe Roma, vnde me, laborem nullum pro publica re, communique commodo recusantem, grauis morbus ac diuturnus extrusit. Gratulantur amici, amplexantur, lætitiam oculis, vultu, sermone declarant. Hoc mihi iucundissimum est: sed, in hac iucunditate, angor sæpe intimis sensibus, dum recordor. quid iacturæ, quam diu Romæ vixi, studia mea fecerint: de quibus, quamquam intelligo non eum esse me, qui magna præstare possim, verumtamen minima fortasse non erat exspectatio.

ratio. Ire, inquies, non oportuit. Certè, si diuinare licuisset. verùm si res adhuc integra ponatur, eundi consilium qui reprehendat, fortasse nemo sit. Laborabam domesticis incommodis, fratrum meorum culpa: nec spes erat emergendi, nisi, noua consilia caperentur. Vocabar à Pontifice Max. quo nihil videri poterat honorificentius: fructum autem quis non exspectaret? Cohortabantur amplissimi viri, quorum erga me singularem benevolentiam multis rebus antea perspexeram. Iæta denique, copiosa, ampla ab omnibus omnia promittebantur. quid agerem? credidi & speraui: vt fere solemus, omnes homines hoc ingenio, vt ea, quæ cupimus libenter quoquoe speremus. quamquam hoc leuius, quòd spem fefellerit euentus: non tam enim abundare, quàm non egere, gratum est illud perquàm graue, quòd perpeti sæpe multa sum coactus, inde cora prorsus, indignaque studijs nostris ætate nostra, existimatione antè parta. In quo tamen occurrit ea consolatio, quòd in illo vitæ durissimo genere, multa ferendo, multa simul didici, quæ profectò me numquam neque libri, neque vlla doctrina, neque dies ipsa docere potuisset. Nunc singulari diuino munere patriam adepti, redibimus ad illa præclara studia, vnde discedere non oportuit; omnique prorsus cura vacui, nullo cuiusquam imperio, exclusis etiam, si licebit, interpellatoribus; si non licebit, rure abditi, salubri aliquo, & amœno loco, fruemur, liberrimo otio, litterulis nostris; operamque dabimus, quantum in nobis erit, vt, quod amissum est antea temporis, non id quidem totum, (qui enim fieri potest?) nonnulla tamen ex parte sarciatur, & aliquem adhuc ex industria nostra fructum posteritas capiat. Valetudine modò vtamur, commoda,

qua nunc omnino caremus, erepta laboribus illis, animique curis, quæ nimium omnino graues, nimium diuturnæ fuerunt. Febris discessit post nouem tandem menses: sed inedia, morbo, mærore, ad horribilem propè maciem redacti sumus: quódque miserius etiam est, aluum purgare, nisi accedant extrinsecus adiumenta, numquam licet. Huic ariditati afininum lac prodesse in primis posse, neque huic remedio vllum præstare, inter omnes medicos conuenit. In cibo sicca omnia damnant, humida probant, præsertim quæ facilia sint ad concoquendum. Pono magnam spem in eorum consilijs, maiorem tamen in animi tranquillitate, in adspectu meorum, in cæli patrij salubritate. deniq; ad omnipotentem Deum omnia refero. quidquid acciderit, eius voluntati libenter acquiescam. Hæc de statu nostro: vtinam quotidie lætiora: quod futurum spero, & sanè tua quoq; caussa cupio. necesse est enim, quem valde ames, (sic enim mihi iam persuasi) de eo valde te sollicitum esse. Ad illam superiorē epistolam, Romæ scriptam pluribus verbis, exspecto, quid respondeas. Vale Venetijs, 10. Kal. Nou. 1570.

BOTVITO NERICIO.

Senat. 6

VELIM, vt, quàm libenter eos homines complector, quorum in sermone & in moribus aliqua signa virtutis, & integritatis elucent, tam sæpe accideret, vt eos colere officijs, ornare verbis aliqua demum vel tueri, vel augere facultate possem. profectò animus meus, cui multis rebus fortuna defuit, & tibi, & alijs tui similibus longè pateret illustriùs. hanc tu fortasse voluntatem meam, nullo quidem adhuc insigni merito declaratam, spectas; cùm mihi gratias agis. quòd te, cùm Romæ esses, humaniter acceperim, &, in summa mea occupatione, num-

quam

quam tamen aditu, numquam sermone excluserim: quę tu pro tua bonitate magni beneficij loco ducis: ego, si quis ea præstet, non tam laudandum, quám, si omittat, vituperandum puto. Quod verò de scriptis meis ita sentis, vt ea cúm vehementer ipse probes, tum à tua sententia non discrepare commune iudicium dicas: istam quidem opinionem tanti æstimo, quanti æstimari debet ea laus, quam, eruditorum ac sapientium virorum consensu & approbatione nixam, inuidia aut maleuolentia labefactare non queat. verumtamen, qui me probè norim, vereri sæpe cogor, ne te quidem amor, multos fortasse fallat auctoritas tua: ac, si me audies, cui debes in ea re, quæ ad me ipsum pertinet, obsequi non inuitus, parumper moderabere posthac iudicium de me tuum: ne, dum existimationi meę nimium studes, tuam in discrimen adducas. Sunt enim quædam pestes hominum. quibus aliena laus ita molesta est, vt, quidquid alijs addatur, sibi detractum putent; & omnem detrahendi obtrectandi ve locum sic arripiant, vt ex aliena ignominia sibi laudem quærere videantur. De mutatione illa, quam feci in epistola ad Sambucum, & prudenter, & amanter iudicas. scripsi, cùm impedimento nihil fore videbatur, quo minùs id, quod cogitabam, ad exitum perducerem: induxi, cùm propter assidua negotia studijs meis ita diffiderem, quasi nihil ne mediocriter quidem eruditis auribus, non modò Imperatore Maximiliano dignum, afferre iam possent. vtriusq; consilij caussam ad Cratonē perscripsi. sperò fore, vt meum factū, de quo parum æquis animis nonnullos iudicare, litteræ tuæ significant, vir optimus ac prudentissimus non improbet. quod si euenerit, tanti hominis auctoritate sustentatus, non equidem dicam, quid alij sentiant, non laborabo, sed certè multo minus: cùm præsertim te quoque, florentem

rentem ingenij, probitatis, doctrinæ famæ, tui iudicij testimonio mihi non defuturum intelligam. Vale. Romæ. xiix. Kalend. Octobr. 1569.

AVGVSTINO ANGELELLO. Fabrianum. 7

Nec filius adest, profectus Venetias cum matre ante aliquot dies: nec mihi à grauioribus curis tantum spatij relinquitur, vt binis tuis literis pluribus verbis respondere possim, hoc tamen habeto, delectari me vehementer diligentia tua, qua te vti video tum in describenda, tum in mittenda ad nos antiquitate. gratias agerem, si hoc vno contentus officio essem, aut hoc à te crederem exspectari. In Orthographiæ libro, cùm rursus edetur, aut in eo, qui apparatur, veterum Inscriptionum, carere te tua laude non patior. ita nostra consuetudo fert: ita postulat & amor in nos tuus. Reliqua, cùm vacabimus, si modò id assequemur vnquam: quod sanè non tam nostra, quàm aliorum caussa cupimus. Vale. Romæ. 7. Id. Maij. 1567.

EIDEM, Fabrianum. 8

De inscriptionibus id me missis, noli exspectare dum tibi gratias agam. nam neque id patitur amicitia nostra, & officium tuum, sæpius literatum, gratiarum actionem requirere iam non videtur. Quod ad meos Commentarios attinet, velim hanc moram æquo animo feras. quotidie enim aliquid additur, aut mutatur, ita, si quam facis in tempore iacturam, eam tibi resarciam. equidem istam amo cupiditatem scriptorum meorum: in qua te socios habere multos intelligo, vtinam etiam contingat,

vt

vt eam explere aliquando possim. Vale. Roman. 17. Non. Sept. 1567.

EIDEM, Febrianum. 9

PVTO te ab Onuphrio Gilio, tui amantissimo, certiorem non semel esse factum imaletudinis meæ: qua nonum iam mensem ita laboro, vt neque ratione victus, neque vllo remedij genere adhuc quidem alleuari potuerim. itaque miserè iaceo, spe iam destitutus omni, præter eam, quam in cœli mutatione multi ponendam arbitrantur. quorum ego libenter accedo sententiæ. exire propter nimios calores nondum licuit. Sed ego exeundi consilium ita cepi, vt vrbem planè relinquam, & ad patrios lares, & dulcia incunabula remigrem. in quo Pontifex, vt est insigni præditus humanitate, facilem, perbenignumque se præbuit. Si quæris, lætor, an tristior discedam: non facilè dixerim. ita multa occurrunt, quæ animum ac voluntatem hinc illuc distrahant. propensior tamen in hanc partem sum, vt post annos decem, ætate ingraueſcente, vrgente præsertim difficili morbo, ad patriæ complexum recurram: cuius adspectus, non dubito, quin mihi amissam molestissimis curis hilaritatem restituat. quam si quis afflictæ valetudini haud paulo magis, quàm orientalia quæuis pharmaca, prodesse dixerit, opinor non errabit. Eamus igitur dijs bene iuuantibus, & redeamus aliquando ad illa studia, vnde discedere piaculum fuit. quo vtinam per valetudinem liceat, nam per negotia certè licebit. ita res meas constitui: ita, quæ dissipata erat in domesticis rationibus, collegi, atque contraxi: ita denique, quod accipi quasi dictum arroganter nolim

humana omnia propemodum cœpi contemnere. De discessu igitur fixum consilium est: de die nondum statui: sed, vt hiemales imbres, tempestatesq; vitentur, ante Kal. Oct. cogitamus. Onuphrius hic remanet, meo sanè cum dolore: non solum enim eius opera vtebar in studijs, verum etiam conuictu, sermone, probitate, ingenio ita fruebar, vt hanc iacturam facere me posset vix vnquam putem. non deerunt omnino, quibus vtar: sed, præter operam, alia desidero: hoc adolescente nihil apcius ad naturam meam. Te, mi Augustine, quamquam longè disiunctus, tamen prorsus non carebo. quæ enim tua est humanitas, qui tuus in me amor, scribes interdum ad me. ego autem, licet otium & litteras, si valebo, ita amplecti cogitè, vt diuelli me non facile patiar, tamen à te viro optimo, nostri, quod facile perspexerim, cupidissimo, atque amantissimo, non committam, vt in hoc genere prorsus requiri possit officium meum. Vale. Kal. Sept. M. D. LXX.

HERCVLI CIOFANO.

Sulmonem. 10

NON possum non amare vehementer industriam tuam, qua te vti video, in emendando Gentili tuo, poeta summo. perge, vt cœpisti: nam & gloriæ tuæ consules, & alios ad eandem laudem excitabis. Victor ad Æmonios, magis arridet, quàm Victor Ioleianos: accedente præsertim antiqui libri testimonio. Regius autem, inania captans, veritatem quærebat in tenebris. Tu longè certiora sequeris: itaque tibi libenter assentior. Vale. Romæ, XIII. Kalend. April. M. D. LXIX.

EIDEM. *Sulmonem.* 11

INSCRIPTIONIS illæ nihil habent, quod ob-

oblectationem aut doctrinam legentibus afferre possit quòd si similes occurrerint, inanem laborem suscipere te nolo. De Ouidij loco, ad tuam sententiam opinionem meam adscribas, licet. Regius ille sæpe alucinatus. tu si perges vt cœpisti, poetam ingeniosum, ciuem tuum, a mendarum labe, non mediocri tua cum laude, vindicabis. Vale, Romæ. Pridie Kal. Sext. M. D. LXIX.

M. ANTONIO CIOFANO.

Sulmonem. 12.

EXCVSARE M tibi tarditatem litterarum mearum, nisi Hercules frater tuus, quæ meæ vitæ ratio sit, quàm assiduis, quàm variis impedita negotijs, optimus testis esset, atque ego illi, cùm me rogaret, vt aliquid tibi referiberem, deesse mihi dixeram non modò otium, sed etiam argumentum. nam de paradoxo, sanè mirabar non probari tibi sententiam patris mei, præsertim quæ rationibus optimis niteretur. cetera verò in tuis litteris erant eiusmodi, vt à te non negotij, sed animi causa scripta viderentur. quòd si mihi hæc imposita condicio sit, vt eorum omnium, qui quotidie non modò ex Italia vniuersa, verùm ex transpalatinis quoque gentibus ad me scribunt, rescribere litteris necesse sit, iniquè mecum agatur & prorsus inhumanè. cuius enim otij est, cuius etiam ingenij, tot epistolis posse respondere Latino præsertim sermone, in quo mihi, propter eam, quam nonnulli de scriptis meis opinionem habent, non licet esse negligenti? At officij prætermissi grauem esse culpam dices. Si simplex officium agitur, iure dices; sin eueniat, vt concurrant officia duo; certè, posse alterum omitti sine culpa, & minori malus anteponi, aut fateberis, aut in grauem ipse culpam incides. magnatu enim, nisi

dif-

distinguantur officia, rerum omnium humanarum perturbationem sequi necesse est. Simili, vt opinor, in loco mea caussa versatur. Cùm enim sacris libris, qui ad Christianæ Reip. salutem pertinent, & corrigendis, & edendis, cùm salutationi virorum honestissimorum, qui frequentant ædes meas, cùm etiam studijs nostris, vel vt instituta absoluam, vel vt absoluta perpoliam, danda opera est; scilicet eius temporis, atque eius operæ partem, rebus grauissimis detractam, ad inanes epistolas transferam inanes appello, quia video multos, cùm scribendi causssam aut perquam leuem, aut etiam nullam habeant, ideo tamen scribere, vt meas litteras eliciant. quod nisi statim assequuntur, indignantur, & maiorem suæ voluntatis, quàm occupationis meæ, rationem habent. Ab horum numero libenter te, mi Ciofane, seiungam, non enim dubito, quin me diligas, vel tua sponte, propter communia studia, vel imitatione patris optimi, atque eruditi, Herculis fratris tui. à quibus autem diligi me puto, de ijs vt bene sentiam, non agrè à me soleo impetrare: atque vtinam, quam propensa erga vtrumque vestrum animo sim, tam facilè vobis animum insigni aliquo merito probare possim: quod equidem enitar: &, si consequar, vehementer lætabor: sin minus, vos tamen amplectar voluntatem meam, eáque contentos esse, & humanum in primis, & æquum est. Valete. Romæ. XII. Kal. Dec. M.D.LXIX.

ROMANI CASELIO.

Florentiam. 13

QVOD, vt video, lætamur, tu mea erga te, ego tua in me beneuolentia. quæ si orta est ab opinione virtutis, vt certè est; non dubito, quin perpe-

tua

tua sit. tu enim, quas artes à puero colere cœpisti, in ijs quotidie magis vt excellas, operam dabis: ego te, inani fortasse conatu, (nam adsentantur multa) studio tamen, & voluntate, quantum licebit, imitabor. Nericium tuum quis non amet? mihi crede, tuarum litterarum testimonio, aut commendatione non eget. me quidem ita sibi deuinxit officio suo, non modò vt omnia, quæ possum, sed etiam quę non possum, eius caussa cupiam. iam de eius ingenio, doctrina, eloquentia quid ego tibi, cui notior est, quàm mihi? prædicabo igitur alijs: vel quòd amor impellit, vel quòd, ornari virtutem, nostræ consuetudinis est. Vale, mi Caseli. nósque, vt facis, ama. Romæ. 12. Kal. Oct. 1562.

FRANCISCO PLANTEDIO. *Manfredonium.* 14

Et seriùs, quàm tu expectabas, & breuiùs fortasse, quam vterq; nostrum vellet, respondeo litteris tuis. quamquam, cùm tibi nota esset occupatio mea, erat humanitatis & prudentiæ tuæ, silentium meum in bonam partem accipere, & amici hominis commodo consulere: cùm præsertim, iudicium meum de tuis versibus cur expetas, caussa nulla sit. tu enim hoc in genere ita es versatus, vt excellas: ego saluere Musas iussi ante aliquot annos, nec poetas iam conor attingere: aut, si interdum, vt obleçtem me potiùs, quàm vt imiter. quòd si tu meum iudicium anteponis tuo, quòd ego nec comparo quidem: errare te facilè patiar, neque committam, vt meam frustra sententiam exquiras. Mihi quidem ea, quæ scripsisti ad Rotam vatem ætatis nostræ celeberrimum, valde probantur. habent leporem, nec tamen grauitate carent. totum poema (sic enim

videor

videor appellare posse) luminibus ingenij, doctrinæque distinguitur: Sic perge: sic ibis ad astra, præsertim oratoria quoque facultate, vt video, non mediocriter instructus. Commentarium meum in epist. fam. dederam amico describendum: sed eius operam casus nescio quis interpellauit: edetur aliquando, vel hic, si licebit, vel certè Venetijs: quod minimè vellem absente me. post discessum tuum addidi non pauca, quædam perpolini. Cupio salutari à te veterem patronum meum, omni laude præstantem, Cardinalem Comensem, cuius erga me officia, dum viuam, animo ac memoria tuebor, prædicare numquam desinam. Vale. Romæ. XII Kal. Oct. M. D. LXIX.

IACOBO GORSCIO.

Cracouiano. 15

PARTICVLAM litterarum tuarũ, in qua scribis ad amicum tuum, audisse te, exclusum esse Roma Paulum Manutium, (hæc enim ipsa verba ponis) legi sine molestia, qui enim rumor nec si verus esset valde afficeret animum meum, subsidia sibi ad omnes casus ex optima conscientia quærentem; is cùm sit falsus, & inanis, quid est cur me tangat? Equidem, si scire vis, qui sit meus hac tota de re sensus, inclusus potiùs mihi videor esse, quàm exclusus, à quo enim die Romam veni, exeundi facultas, quam sæpe valetudinis, interdum animi etiam causa optaueram, data numquam est: non quin ijs hominibus, qui tanti apud me sunt, vt eorum voluntatem nutumque quasi legem obseruem, vtar facillimis: sed commissum fidei, diligentiæ, industriæ meæ negotium eiusmodi est, vt absente me iacturam patiatur. quod si priuata mea res ageretur, negligerem [illegible] nunc, vt scire te arbitror, totum hoc munus

de

ad Sedis Apostolicæ dignitatem pertinet: pro qua si accideret vt vitam profundere opus esset, præclarè mecum actum putarem. Hoc meum studium placere bonis viris, & ipsi in primis Pio v. Pont. Max. nihil omnino probanti, nisi quod ad summi Dei gloriam, communémque salutem referatur, ita lætor, vt cæterorum opiniones, & iudicia contemnam. quid enim laborem, quid ille me sentiant, aut loquantur ij, qui ne sincerè iudicare possint, liuore impediuntur, aut maleuolentia, fortasse etiam hominem in salnberrima tollendæ prauitatis hæreticæ cura diu noctúque versantem, non labori, non valetudini parcentem, parum æquis oculis adspiciunt? sexcentas enim artes, quibus causa publica lædatur, quotidie veterator ille magnus, generis humani semiternus hostis, excogitat. Sed homini meo, quantum volunt, isti detrahant: me tamen, vt ab optimorum consiliorum cursu, rectissimáque mente deducant, nunquam assequentur. Te quidem ista, mi Gorsci, quæ aut à leuissimis hominibus temere, aut ab improbissimis callide disseminantur, si putem credere, ignorare videar & prudentiam, & bonitatem tuam: vt ingenuè tamen tecum agam; post illa verba, exclusum esse Roma Paulum Manutium, optaui signum aliquod vel iudicij, vel saltem amoris in me tui: iudicij vt hoc adderes: Quod verisimile non videtur; aut etiam: Quod de tali viro vix crediderim: amoris, hoc, aut simile: Quod cupio esse falsum: Quod si verum est, doleo. Hæc tu si sic scripsisses, cùm amicitiæ nostræ, tum constantiæ quoque tuæ satisfecisses: illa quidem ipsa verba, quæ subacerba nonnullis videri fortasse possint, condimento quasi aliquo mitigasses. Vtraq; est à te omissa significatio: & quamquam vtraq; mihi æquè grata futura esset

quippe qui à bonis eruditisque viris, id est à tui similibus, non minus probari, quàm diligi velim tamen nescio quo modo sit, vt, amori te nihil dedisse, aliquanto molestius feram. Qua de re scripsi ad te liberè, pro mea consuetudine: neque tamen dubito, quin tu hoc ipsum, quod scripsi, pro tua humanitate æqui bonique facis. Nam de statu rerum mearum mihi ipsi, auctori satis bono, velim credas, non modò Romæ esse me, verùm etiam libenter esse, existimatione integra, re familiari aucta potiùs, quam imminuta. Vale. Romæ. VI. Kal. Oct. 1569.

IO. BAPTISTÆ OLIVO.

Asulam. 16

ETSI cùm has scripsi, non satis commodè valebam, dedi tamen operam, humanitate coactus litterarum tuarum, vt aliquid rescriberem. Lætor perjucundam tibi esse recordationem veteris amicitiæ, consuetudinisque nostræ: sed maioris lætitiæ causam afferunt officia tua, quibus vxorem meam primùm, graui morbo affectam, deinde filium, non minùs grauiter laborantem, assiduè coluisti. Vtinam, quam debere me fateor, aliquando referre gratiam possim: habebo quidem merito tuo parem, quamdiu vita contigerit. De statu rerum tuorum, ex Lælio Gauardo, probo iuuene, mihique suis moribus, & sua virtute carissimo, cognoui ea, quæ vehementer optabam; diligi te, & coli à bonis, honestisque ciuibus; opera, opéque tua multos adiuuari; augeri quotidie opinionem probitatis, & doctrinæ tuæ. quo tibi nomine plurimùm gratulor: quoque tam præclaræ industriæ, tam propensæ ad communem salutem voluntati, præ-

mis

mia debentur, ea non dubito, quin tibi nunc quidem homines, olim verò Deus Opt. Max. vberrima persoluat. Vale, & vxori, filióque quorum in salute sita mea salus est, humanitatem, & diligentiam, si nondum conualuerunt, eandem præsta: a me verò, quæcumque ad commodum, laudemque tuam pertinere intelligam, omitti posse nolim existimes: si quid ignorabo, admonitus à te vincam officiis meis opinionem tuam. Romæ. pridie Kal. Oct. 1569.

PRO COLLEGIO CANONICORVM S. PETRI.

S. R. Magdalena, & Leonora Austriæ, sororibus. Spiram. 17

BENE agendi ratio maximè discitur eorum exemplo, quorum actiones generis nobilitas, aut splendor dignitatis illustrat. propterea neque optabilius quidquam est, quam vt Reges, principésque reliqui ad ornandam, tuendámque Christi ecclesiam, vnde vera salus, æternæque vitæ felicitas emanat, suas omnes curas, omnia studia conferant: neque nos ex vlla re maiorem capere lætitiam potuimus, quam ex M. V. propensa ad cultum, ac venerationem Apostolorum voluntate, aurea quidem nobis minimè dubio multorum sermone, nunc autem insigni vestis aureæ munere declarata. Et quamquam suæ pietatis, perpetuæque innocentiæ à Deo Opt. Max. fructum illum capient, quo nihil potest esse præstantius; tamen nos quoque, ne partes nostræ desiderentur, primum gratias eis de ista liberalitate, istáque mente quam licet maximas & agimus, & habemus: deinde fore

pollicemur, vt extet sui muneris memoria in annos plurimos inter ornamenta templi, in animis verò nostris numquam extinguatur. Interim precibus omnibus, vt M. V. perpetuò bene sit, quæque optant, feliciter, prosperéque eueniant, à cælesti numine petemus. Romæ. XVII. Kalend. Ianuar. 1569.

HIERONYMO RVBEO.
Rauennam. 18

EPISTOLAE tuæ, in qua significas Rauennatem historiam à te esse institutam, quærisque à me, quæ ad eam pertineant, nonnulla, sermis omnino, quàm tu expectabas, respondeo: sed obliuionis, aut negligentiæ culpa liberat me diuturnitas morbi, quo primum leuiore commotus, postea grauiter perculsus, ad hanc fere diem iacui. alioqui meum in hoc genere studium nec tibi defuisset; nec defuturum vmquam, velim existimes. non est enim meum, minimèque decere arbitror, cùm humaniora semper studia præcipuè coluerim, nunc committere, vt humanitatis officia, desiderare à me quisquam iure possit. Adde meam erga doctos homines, in quibus excellere te video, beneuolentiam: adde non mediocrem obseruantiam erga ciuitatem vestram; quæ me olim adolescentem omni liberalitatis genere complexa, immemorem, aut ingratum, in ijs præsertim rebus, quas ad eius amplitudinem, & gloriam spectare intellexero, profectò numquam sentiet. nec verò dici potest, quàm valde gaudeam, quòd enitaris, atque elaboras, vt eius antiqua nobilitas, æternis ingenij tui prodita monumentis,

ab

ab omni posteritate cognoscatur. næ tu iam nunc istâ voluntate magnam laudem consequeris: quid futurum putas, cùm voluntati res ipsa respondeat? honestis consilijs Deus hominesque fauent: honestius autem nihil, aut præstantius, quàm de patria bene mereri. Vrge igitur, & illustra, quantum in te est, gentiles tuos. quod eò tibi magis curæ debet esse, quia memoriam publicam, vetustate iam deficientem, ab interitu vindicare non potes, quin priuatam simul tui nominis memoriam immortalitati commendes. In hoc argumento quid efficere, & præstare ipse possim, non equidem intelligo: verumtamen, si quid possim, & si assequar aut legendo, aut cogitando, totum illud, quidquid erit, & quantumcunque erit, prolixè tibi, perliberaliquè animo & polliceor, & defero. Nam illa, quæ requiris, eiusmodi sunt, vt vel historiæ veteris testimonio, vel ipsa coniectura explicari facilè possint. Si enim Cæsarem, cùm vtrique Galliæ præesset, in citeriore, conuentuum agendorum caussa, sæpe hibernasse concedimus; id quod ambigere non licet: quis dubitet, quin Rauennæ, quo nullum in ea prouinciæ parte nobilius oppidum inuenio, conuentum egerit? De fœdere, ne hoc quidem video cur in dubium vocetur, vrbs enim Cisalpinæ Galliæ Rauenna fuit: at Galli fœderati. Locum Ciceronis in oratione pro Balbo, suffragante, vt verba tua declarant, vetere libro, ita legetem: P. Cæsium, virum bonum, qui viuit, Rauennatem, fœderato ex populo. Vt primùm patria, deinde patriæ conditio ostendatur. nam si legamus, Qui viuit Rauennæ fœderato ex populo: fœderati populi nomen, id est, P. Cæsij patria, ignorabitur, in quo repugnat Ciceronis consuetudo. neminem enim ciuitate Romana donatum

appellat, quin patriam simul nominet. Q. Iubium, seu, Q. Iunium, cur non placeat, eadem ratione adducor. nam si hunc Rauennatem esse dicemus: P Dasio quid fiet? an sclus patria carebit? Dixi, quid sentirem, rogatus à te: nec mihi tamen arrogare tantum ausim, vt meum iudicium anteponam tuo. In amore, atque etiam in ijs officijs quæ amori debentur, me abs te vinci numquam patiar. Vale. Romæ. Kal. Feb. 1570.

CLAVDIO STAMBONIO.

Romam. 19

FATEBOR ingenuè, vt & consuetudo mea, & amicitia nostra postulat, putaui te, pro tua prudentia, & æquitate, amore erga te meo contentum esse: amoris fructum, & officia requirere numquam putaui: cum præsertim, si quis est, quem distringant curæ non quotidianæ tantum, sed etiam permolestæ, is ego sim. quod tu cùm scias, & mecum tamen sic agas, quasi nescias: quid suspicer? me abs te non amari? si quidem, quos amamus, eorum commodo libenter consulimus. odi istam rationem: errare malo cum tanta voluptate? quantam opinio mihi affert benevolentiæ tuæ, quàm id cogitare, quod si credam, iucundè viuam. quid enim profecerunt studia mea, illa, illa, quæ tu dilaudare interdum solitus es? aut quid egi tantis vigilijs pro communi vtilitate susceptis, siquidem hoc non tam assecutus, vt, quibus laborem minuit labor meus, ab ijs mihi merces benevolentiæ nulla persolvatur? ac velim credas, non me tamen, si quid mihi hoc nomine debetur, id ab omnibus exigere. instar omnium pauci futuri sunt; & in hoc ipso paucorum numero in primis esse te, vehementer cupio.

cupio, amo enim tuos mores: ingenium plurimi facio: studia laudare numquam desino. possum autem ex ista mente quæ virtutum vbertas aliquando futura sit, facilè diuinare. & hac equidem spe, & verum scire vis, iacturam illam, quam interitu Iulij Pogiani Romanæ litteræ fecerunt, aliquanto leuius fero. nam, si contexes extrema cum primis, téque ipse, vt soles, ad summam eloquentiæ laudem incitabis: non dubito, quin paucis annis Latinæ linguæ amissam propè dignitatem restituas, quod eò facilius fore video, quia tu, non contentus inani verborum sonitu, quo delectantur multi, prudentiam simul ex iure ciuili, rerúmque maximarum scientiam ex philosophiæ fontibus hauriendam indicas. Quibus caussis adductus egregius ille vir, omni præditus ingenij suauitate, Castilioneus Cardinalis, quem tu nobis, in tanta similium virorum penuria, ereptum iure doles, ita te ferebat in oculis, vt nemini concederet, qui tui amantior esse posset. Sed illum iam lugere desinamus. quid enim lacrymæ proficiunt? aut etiam, (si veritatem consulimus: quod facere debemus) qui ab ijs malis, quibus referta est hominum vita, hac præsertim ætate, ad æternas beatissimorum sedes migrauerit, cur eum lugendum putemus? Hæc igitur, quæ præter nostram voluntatem accidunt, ad summi Dei voluntatem referamus. ita fiet, vt ea vel modicè doleamus, vel ne dolenda quidem existimemus. Vale. Rom. 8. Id. Maij. 1569.

PAVLO TACHONO.

Vibonem.

DELECTATVS sum litteris tuis, non quia me

ornant laudibus, sed quia beneuolentiam erga me tuam declarant. amari enim ab eo viro, de quo bona omnia boni omnes prædicant, & optabile in primis est, & multorum diuitijs, atque opibus anteponendum. Quare hoc ego nomine mihi gratulor. iudicio autem de me tuo, etsi vix fieri posse arbitror, vt respondere possit industria mea, tamen, siue rectè sentis, gaudeo; siue erras, error quoque tuus, vt verè dicam, mihi periucundus est. Locus Ciceronis, de quo meam sententiam exquiris, totus, vt arbitror, à coniectura pendet. itaque, destitutus historiæ testimonio, affirmare nihil ausim. quòd si tu, vbi obscura veritas est, verisimilia non contemnis: fortasse non improbabis quod scripsi in meis commentarijs, dixisse Ciceronem, Abutor coronis, quia, cùm olitorem calefieri vellet, qui sibi interdum coronarum munuscula miserat, abuti coronis, id est, malam ei gratiam referre videbitur. Hæc vt dixi, è coniectura. tu, si quid habes certius, imperti: & vale. Romæ. xv. Kal. April. 1569.

IO. BAPTISTÆ IANVARIO. Vibonem. 21

NIC mea valetudo, graui iam quatuor fere mensium afflicta morbo, permittit, vt multa, nec humanitas, vt nihil omnino litteris tuis amantissimè scriptis respondeam. quamquam, si quis est, cui liceat hoc officium sine culpa prætermittere, aut is ego sum: aut prorsus nemo. obruor enim epistolarum numero, quæ quotidiè mihi ab ignotis hominibus, ex longinquis regionibus, non necessario plerumque mittuntur argumento. Ego autem neque hoc inanium, & ambitiosarum litterarũ genere

natura

natura delector: &, si velim id suscipere, vt vnus omnibus respondeam, quid me laboriosius, aut etiam quid stultius esse possit? cùm præsertim valetudine vtar infirma, negotijs autem cunisque vrgear eiusmodi, quæ vel firmissimam defatigare ac frangere omnino possint. Ergo habenda mihi ratio est, quæ non habetur ab alijs, cùm occupationis meæ, tum etiam salutis. quod si hominibus mei amantissimis in mentem veniret: æquis animis meam caussam perpenderent: non otium meum ex otio suo metirentur: ita ad me scriberent, vt rescribendi necessitatem non imponerent. Duo genera excipio, vel qui scribunt ijs de rebus, quæ ipsorum vehementer interfint; quibus deesse, contra officium est; vel si qui sunt, qui, quacunque de re scribant, ita deserte loquuntur, ita ornatè, vt eorum virtus, & eloquentia, non modò quæ possum, sed ea quoque quæ non possum, postulare à me suo quodam iure, atque exigere videatur. Hoc te in genere, Ianuari doctissime, constituo. tu enim quamquam ad ea indaganda, & perscrutanda, quibus inuentis, rerum obscurissimarum vis & natura patet, assiduè totus incumbas; & in hoc studio ita versetis, vt omnino cum paucis excellas: tamen, quasi hac vna laude non contentus, ita colis, itaque tenes Latinam linguam, vt oratione tua nihil purius, elegantius, illustrius esse videatur. quod si cuperem laudari, de quo laborant multi, ego quotidie minùs munúsque curo: à nullo, mihi crede, mallem, quàm à te sed, cùm hanc in me cupiditatem siue ætas, siue valetudo, siue ratio extinxerit. ita non moueor ijs laudibus, quas tu amplissimas in me contulisti, quasi nihil ad me pertineant, aut quasi sensu prorsus omni carear: amore quidem tuo, vnde laudes istæ manant, (sic enim interpretor) mirabiliter delector: eumque vt eadem,

dem, quæ peperit, perpetuò alat, atque augeat humanitas tua, vehementer opto. ego enim, non modò vt parentis beneuolentiam præstem, verùm etiam ne genus vllum obseruantiæ, studij, officij, quod ad te ornandum attineat, prætermittam, pro virili mea parte operam dabo. De versibus, iocari te facilè patior, & in ludicro argumento ingenij præstantiam ostendere. Sed noli à me exspectare, vt paria paribus. te enim, vt alumnum suum, perpetuumque cultorem, amplexantur Musæ: me, qui, salute iampridem illis dicta, ad oratores me contuli, nunc, si quando ad eas conor accedere, vt alienum, ac transfugam, à se repellunt. Vale. Romæ. Idibus August. 1570.

ANTONIO FVRNARIO.

Neapolim. 22

ET valemus, & satis iucundè viuimus, re domestica ita iam constituta, vt adolescenti filio, quem vnicum habemus, cogitandum de virtute potiùs, quàm de fortuna videatur. nam, quod ad me attinet, hanc habeo senectuti gratiam, vt pauca iam requiram: vel quòd ad illa longè meliora properamus non enim longè abesse videtur ille portus, quò peruehi cupimus ex diuturna tempestate; vel quòd stultum putamus, ea quærere cum labore, quæ nec si adipiscare, molestiæ finis est, quod te quoque, excultum litteris hominem, sentire arbitror: & hoc equidem nomine cûm te diligo vehementiùs, tum diligi à te cupio. Memoria nostri tua, muneribus declarata suauissimis, periucunda nobis est. Vale, Romæ, xviij. Kal. Febr. 1579.

EIDEM.

EIDEM, Neapolim. 23

QVAE solet ex cariſsimis, iucundiſſimiſque rebus percipi voluptas, eam ipſam ex epiſtola tua cepiſſe me, prorſus velim tibi perſuadeas. hoc adeo inde perſpicies, quòd, in magna valetudinis aduerſæ moleſtia, defatigato etiam curis animo, committendum tamen non putaui, vt amicitiæ noſtræ, & humanitati erga me tuæ debitum reſcribendi officium non perſoluerem. Probari a te mea ſcripta, atque etiam laudibus ornari, ſiue tu id iudicio tribuas, ſiue amori largiaris, æque gaudeo. nam, ſi è ſtudijs meis fructum aliquem exſpecto: quis vberior, aut præſtantior laudatione doctiſſimi viri? ſin litteris ita vtor, vt præter eas ipſas nihil cogitem, quod his temporibus facere propè neceſſe: amari tamen à te, quem qui non amat, hominem vix puto, in primis optabile eſt. Ac de iſto quidem tam illuſtri aut opinionis, aut voluntatis teſtimonio mihi vehementer, vt debeo, gratulor; tibi verò gratias agerem, ſi te putarem hoc officij genere delectari: quod certè tua bonitas reſpuit; aut ſi ego is eſſem, qui, officio deuinctus aliquo, libentius in agendis, quàm in referendis gratijs operam collocarem. De tuo ſtatu, ſic elt, vt volumus, & ſi nihil anno ſuperiore accidit incommodè; bene eſt: de meo, quem viciſsim tibi pro mutuo inter nos animo curæ eſſe non ignoro, ſatis multa me ſcripſiſſe exiſtimabo, ſi hoc vnum ſcripſero, languere me quotidie magis in earum rerum cupiditate, quas mirabar antea. ætas hoc fortaſſe faſtidium parit: verumtamen ratione potiùs aſſequi mihi videor, vt ita ſentiam. quid enim appetam, cùm nec ſciã quid vtile futurum ſit, nec iam vſura poſſit eſſe diuturna? appropinquat enim

enim dies, qui nos ex immensa errorum caligine ereptos, in æterna veritatis luce constituet. quæ me quidem cogitatio nec secundis rebus lætari, nec nimis angi patitur aduersis. Munusculum, quod ad me singulis annis cum pulcherrima epistola mittere non desinis, pensio quædam amoris est: qua ego te, amore ipso contentus, ea conditione libero, ne scribere tamen desinas. æquiore enim animo omnibus muneribus, quàm suauitate tuarum epistolarum, carere possum. Vale. Romæ, 18. Kal. Feb. 1570.

EIDEM, *Neapolim.* 24

NON patiar ignorare te; quod gratum, & perjucundum tibi fore arbitror, viuere me nunc in patria, & planè viuere. fruor enim rebus ijs, sine quibus vita prorsus nulla est, propinquis, amicis, liberis, ipsa demum libertate, qua nihil est carius. nam Romæ, tantùm aberat, vt otioso liceret vnquam esse, vt negotiorum assiduis quasi fluctibus obruerer. Longiùs à te absum: quid refert? ne Romæ quidem cùm essem, fore speraui, vt vmquam te viderem: cùm ætas vtriúsque, valetudo, vitæ genus peregrinari nos non sineret. habet autem hoc amor à virtute ortus, vt absentes coniungantur animis, & sit inter eos, recordatione mutuæ voluntatis, & beneuolentiæ, tanta suauitas, quantam vix, aut ne vix quidem vlla potest afferre consuetudo. at plerique homines quotidiana fere salutatione, collocutione, familiaritate, beneficijs etiam, atq; muneribus, ali, & conseruari amicitiam putant: nisi hæc adsint, deficere, & exstingui. stultè. nam, si ab honesto manat amicitia: nulla re indiget, ipsa se sua sponte, suisque viribus, tuetur, ac sustinet: sin aliunde oritur; infirma semper, inops, inconstansq; sit, necesse est, à fortunæ varietate pendeat; multis vitijs, & mutationibus, laboret.

boret. Ergo nos à vulgo rectè dissentimus, & à vulgi consuetudine nostra ratio in primis abhorret: cùm amemus inter nos amore singulari, nec tamen inter nos officia multa intercesserint, aut alter alterum de facie norit: quod multo minùs, ob longinquitatem locorum, in posterum continget: & voluntatis tamen aut ego tuæ mutationem, aut tu meæ, non est, cur extimescas. Cupio te valere, & interdum, si vacabis, ad me scribere. Ego commodiùs, quàm Romæ, valeo: quid mirum? qui tranquillissimo animo viuam, & valetudinem, ab omni occupatione longè remotus, præcipuè curem. desiderari autem litteras à te meas non patiar, si placere tibi sensero officium meum. Vale. Ex oppido, Plebe Sacci. quò me sæpe conferam, valetudinis, animique gratia: addo illud, ne studia colenti, quibus carui diutius, quàm vellem, interpellatores molesti sint. 3. Non. Novemb. 1570.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER DECIMVS.

AMPLISSIMO CARDINALI Ioanni Morono.

VERE est præscribere sapienti, quid agat, & quo modo agat: neque ego id vmquam commiserim: neque id est aut consuetudinis, aut naturæ meæ: verumtamen excusandus fortasse videar, si vel à mea maxima re, quæ nunc agitur, vel ab

ab humanitate tua, quam omnes norunt, & prædicant, persuaderi me patiar, vt agam paulo liberiùs, quod sentio, &, quæ cum animo meo sum meditatus, eadem nunc expromam, nihil dissimulans, nullo veritatem artificio tegens. Ego, vir præstantissime, quoad putaui, te, vti pollicitus eras, acturum esse cum Pont. de causa mea, lætabar vehementer, & in hac aduersa valetudine, quæ mihi omnem abstulisse iucunditatem videbatur, aliqua tamen voluptate perfruebar. Sperabam enim fore, vt auctoritas tua, prudentia, eloquentia, præsertim in optima causa, facilè impetraret ab æquissima ac benignissimo principe non immoderatum aliquid, aut eiusmodi, quod inuidiam excitare posset. non enim ego ita efferri cupiditate soleo; quid igitur? annuam tantùm ordinarij stipendij solutionem: vt, quemadmodum Pius Quartus Pontifex, immortali memoria dignus, venientem ad Vrbem insigni viatico donauerat; sic Pius Quinctus, omni virtute ad laude præstans, ab Vrbe discedentem non modò simili, sed maiore etiam munere prosequeretur. in quo ratio videbatur habenda ætatis meæ, habenda valetudinis, habenda etiam meritorum meorum. quamquam de meritis, ita me Deus amet, loquor non libenter: aduersatur enim modestia mea: sed hoc verbum expresit ab inuito dolor, & eorum temporum memoria, cum in meum nomen inuehebantur multi, aliena conferentes in me, mea mihi detrahentes. Hoc igitur alloquendi Pontificis, & cum eo statuendi, consilio tuo, quasi rebus meis nulla iam tempestas immineret, & quasi iam in portu nauigarem, ita lætabar. Postea verò quàm de Mariano Victorio, summæ probitatis, raræ doctrinæ, excellentis industriæ viro, cognoui, acturum te esse de negotio meo in eo conuentu, qui

primus

primus habebitur eorum Cardinalium, quibus alendorum in Vrbe studiorum, moderandique Gymnasij publicè demandata cura est, planè sum admiratus mutationem consilij; &, vt ingenuè fatear, quemadmodum natura mea fert, nec bonitas tua recusat, ex alta quadam spe turbatus concidi, afflictusque iacet animus meus. equidem ijs Cardinalibus tantum tribuo, quantum eorum summa virtus, ac dignitas postulat: æque omnes diligo, æquè colo: sed ad eos certè nullam arbitror negotij mei partem attinere. A Pontifice sum Romam accersitus: à Pontifice discedendi facultatem peto. si potestas quæritur: vnius est summa. si liberalitas: vnus vnico verbo pollicetur, & præstat. si dignitas: quæ maior est, quam, à Pontifice vocatum esse, à Pontifice cum benignitate dimitti? Hæc mea consilia sunt: quibus tamen, vt debeo, anteponam tua. satis enim exploratum habeo, nihil te cogitasse sine summa ratione, nihil acturum sine summa prudentia. & mihi, parum in vsu rerum versato, obscura multa sunt: tu tanquam Lynceus, vides omnia, probatus per totam ætatem ijs actionibus, & curis, vnde salus publica minimè dubio bonorum omnium testimonio manauit. Ego me semel, non temerè, aut repentina quadam voluntate impulsus, sed explorata ratione, certóq; iudicio adductus, in clientelam tuam tradidi: me, liberosq; meos tuæ potissimùm fidei, beneuolentiæq; commisi eadem mihi perpetuò mens, eadem, quoad viuam, in te vno sita spes erit. tu me ornandum, augendum, tuendum suscepisti: sæpe vidi pro varietate rerum mearum, & lætitiam, & sollicitudinem tuam: nunc tanquam bonus artifex tuum vt perpolias opus ac perficias oportet. expedi, obsecro, me hac molestia. vel potiùs hoc me periculo libera. vides enim, cum Romano

cælo

cælo minimè iam conuenire mihi posse: adductam esse in extremum fere discrimen salutem meam: autumnum aduentare, cuius varietatem, & inconstantiam, hic si permansero, meam certè nequaquam ferret imbecillitas. Venetias multis nominibus cogito. idque mihi primum est & præter cetera optandum: sed, si vel per Pontificem, quod non opinor, vel per quotidianam febrem, quod magis metuo, patriam, longo terrarum ac maris interuallo disiunctam petere non licebit: deponam voluntatem meam, suscipiam eam, quam necessitas afferet. accedam ad Sabinos colles: quos florere audio regionis amœnitate, cæli temperie, omnium rerum, quas hominum victus, cultúsque desiderat, vbertate. Interea me tibi totum, salutemq; meam quàm supplicitèr possum commendans, ac tradens, negotij administrandi rationem singulari tuæ sapientiæ permitto. Vale. 6. Kal. Sept. 1570.

AMPLISSIMO CARDINALI *Gulielmo Sirletto.*

AVGERI tua vetera erga me merita recentibus officijs nec miror, & vehementer gaudeo. quàquam veteribus contentus esse poteram. erant enim eiusmodi, vt addi nihil posse videretur: sed tamen, vt video, tua nunc quidem ad ea permultum addidit humanitas. & quamquam neque tua, neque collegarum tuarum, Moroni, & Cornelij, de viatico mihi impetrando summa contentio quidquam profecerit: æquè tamen vobis omnibus debeo, ac si profeciſlet plurimùm. est enim animi liberaliter instituti, spectare voluntatem in primis, minimè quidem rem contemnere, potiorem tamen ipsa re voluntatem ducere. sanè optimi Pontificis angustias tem-

temporum difficultas excusat: verumtamen ingraue-scenti hominem ætate, non solùm infirma, sed etiam ægra valetudine, imparatum à re domestica, cum filia nubili, ad vrbe Roma, cuius nomen omnia pollicetur, post decem amorum labores, suis sumptibus in patriam redire, ijs fortasse, qui hæc solent animaduertere, admirationem aliquam pariet. Et, quamquam ea, quæ bonis artibus debentur ratio temporũ impediat, vt etiam liberalissimorum Principum voluntas in optimo bene merendi cursu retardetur; me tamen à litteris nulla res abducet, simodò assequi otium licebit. satis cum vulgo insanimus: ambigua certis, turbulenta tranquillis, insania solidis præferentes. ætas, & præteriti iactura temporis admonet, vt resipiscamus, quodque reliquum est vitæ, viuamus nobis ipsis, bonis artibus, Deo potissimùm; à quo vno, siquid aut ingenij, aut doctrinæ in nobis est, cùm acceperimus; ad eiusdem vnus gloriam omnes ingenij, doctrinæque fructus referre in primis æquũ est. Vale, & tibi persuade, neminem esse, vel vnquam fore, qui tuam præstantem virtutem aut magis amet, aut libentius prædicet. Cardinalem Carafam, iuuenem natum ad immortalem gloriam, exemplum antiquæ probitatis, cuius humanitati, qua me semper est complexus, debere me plurimùm fateor, nisi graue est, meo nomine salutabis. 7. Kal. Octob. 1570.

EIDEM, Romam. 5

QVIDQVID tuli, dum in patriam reuertor, suaue est: tuli autem aspera, grauia, difficilia, sanè quàm multa; & eo magis, quòd asperitates omnes ægra valetudo, & corporis imbecillitas, vehementer augebat. Quæ dum ferrem, hæc mecum loque-

batur animus: Sustine, præteritorum memoria, fluctorum spe, & cogita, quas turbas reliqueris, quibus laboribus emerseris, quam tranquillitatem, quam quietem, petas. In patriam tendis, refertam bonis omnibus, ibi te complexu excipiet dulcissima coniux, languentem fouebit, infirmum retinet, afflictum subleuabit: nullum obsequij, studiique munus abesse patietur. Erat hæc duris in rebus optima consolatio. Itaque lætus nonnumquam eram, in dolore, ac molestia comitum meorum. nunc, assecutus ea, quæ speraui, in vnam curam incumbo, vt perditam valetudinem restituam. diuturnitate morbi, & inedia, corpus iam, & vires amiseram. accessere itineris incommoda, quibus ita consumptus humor omnis est, vt nimia siccitate vitæ periculum impendeat, in reuocanda potissimum τῆς κοιλίας ὑγρότητα medici laborant; quam si assequor, conualuisse mihi prorsus videbor. dici non potest, quo desiderio teneor studiorum nostrorum. quasi cerui ad fontem, si per valetudinem licebit, sitibundus accurram. tua mihi consuetudo, tua virtus ante oculos erit: quam imitari non desinam; & eo quidem animo, vt in ipsa imitatione magnam felicitatis meæ partem statuam. assequi enim, quod optimum, atque perfectissimum est, non cuiuis contingit: velle tamen, & conari, non mediocri dignum laude ducitur. Cupio conseruari veterem amorem in me tuum, meritis quidem à me nullis, perpetua tamen cultum obseruantia. quam eandem semper, aut etiam, si modò ad eam accedere potest, quod ego non arbitror, maiorem fore tibi confirmo. Vale.

MAR-

MATTHÆO SENAREGÆ.

Genuam. 4

IAM prorsus de velluto spem abieceram, (vtar enim noto verbo: nam veteres aliter loquebantur) nisi tu, rursus vt eam susciperem, tuis proximis literis effecisses. expectabo igitur, & quidem breui (sic enim vis) aduentum propinqui tui, quem, arbitror, in iti nere philosophos ambulantes imitari nam tribus mensibus non modò Genua, sed ab vltima Lusitania facilè ad vrbem peruenire potuit. Verùm ego fortasse calumnior: & illi moram, homini industrio, & agenti strenuè suam rem, negotia diuturniorem, quàm opinabatur, Florentiæ, vel Senis iniecerunt. sic enim existimo: reliqua fere per iocum. Simiolus, vt video, tibi quoque molestus est. duci enim te vides fictis verbis: nihil cohortatione, nihil admonitione profici: quidquid dicat, inane esse. itaque molestia te affici, necesse est, vel mea caussa, vel quia rei te mouet indignitas. ac vereor, ne semper eodem loco simus, nisi tu des operam, vt ei per aliquem tuorum iudicium intentetur, & à lictore publico vocatus ad iudicem, seriò rem agi sentiat. Artes hominis prædixi. quo turpius est falli, & finere eum diutius tibi verba dare. quare, si me amas, quacumque via potes, vige, & contende omnibus neruis: quamquam hæc quidem res tuis neruis digna non videtur: sed contende tamen mea caussa, vt eamat aliquando quidquid debet: quod si acciderit, atque adeo cùm acciderit: cur enim dubitem, quin diligentia tua fructum pariat? non dicam, tibi agam gratias: non enim pateris: sed, tibi acceptum referam, vt alia multa. quæ si obliuiscar, hominem me esse non putem. Vale, vale iterum, mi suauissime

Matthæe; tibiq́ persuade, me nulla magis in re, quàm in tuis litteris, in amore, in studijs, officijs que erga me conquiescere. Romæ, xviij. Kalend. Octob. 1570.

ANDREÆ ANTONINO.
Ostianum.

NISI me valde amares, quod multis argumentis intellexi, subirasci te mihi crederem, quòd litteris tuis amantissimè scriptis nihil vmquam responderim. sed si, cur officio defuerim, audias: non dubito, quin omni me prorsus & inhumanitatis, & negligentiæ suspicione liberandum putes. A quo enim tempore Romæ discessisti, nullo difficultatis incommodique genere, nulla ferè dixerim miseria negotia nostra caruerunt. ex ea sollicitudine, ac laboris assiduitate incidi in morbum, cuius primum vi deterritus, deinde etiam diuturnitate defessus, tentatis propè rebus omnibus, cùm neque periculi, neque molestiæ finem viderem, cepi consilium in patriam reuertendi; extremóque Septembri mense, dissuadentibus medicis, & amicis, æger, in viam me didi. Pisaurum vsque morbus ingraescere visus est. adspectu maris, quasi iam in oculis diu expecta patria esset, propinqui boni spe, animus corpori medicinam fecit, febris abijt, antequam Pisauro soluerem⁹. ita Venetias, refecti cibo, paulo firmiores appulimus. malum illud remanet, vt inueteratis morbis ferè contingit, quòd aluo sumus ita sicca, itaq; restricta, nullo prorsus vt cibi genere n olsiri soluiq; possit: quòd si perpetuũ esset, quid miserius? sed, ne perpetuũ sit, curabimus, & cauebimus, quibuscúmq; rebus poterit; his primũ, quę sunt in nobis ipsis, quæ te corporis, hilaritate animi, ratione victus; tum ijs etiam

etiam, quæ à medicorum scientia, consilióque proficiscentur. Habes id quod optasse te arbitror, de statu meo: tu, si placet, vicissim aliquid de tuo. cùm enim de re, tuisque rationibus certior fieri pro nostra necessitudine maiorem in modum cupio: tum sermone litterarum tuarum purissimo, æque elegantissimo, mirificè delector. Vale. Venetijs.

FRANCISCO MORANDO.

Veronam. 6

Qvae me causſæ, minimè natura procliuem ad noua consilia nunc impulerint, vt negotium illud Romanum, quod Pius Pontifex Max. decem abhinc annis honorifico quingentorum scutatorum stipendio mihi demandauerat, rejiciendum putarim, non facilè est scribere: velim quidem existimes, eiusmodi esse, vt aliter statuere meis rationibus alienissimum fuerit. Illud certè fieri non poterat, vt cum illo mihi amplius cælo conuenirem. Quod experiri, constantiæ causſa, dum cupio, parum abfuit quin ipsius cæli adspectum, vsumque perdiderim. Nouum igitur consilium capiendum necessariò fuit, si modò mihi carus esse vellem, si salutis, quam omnes antiquissimam habent, rationem ducere, si denique vitæ munus, à Deo datum, eousque tueri, & custodire, quoad ille ipse, qui dedit, arbitratu suo repeteret. Veni domum. hic verò me summa quies, & domestica commoda, maximéque fidelissimæ, atque amantissimæ coniugis cura tanta, quanta potest esse maxima, planè recreauit. Febris abijt, nec tamen valemus. morbi enim reliquiæ supersunt, magis propè timendæ, quàm morbus ipse. qui enim valere possum, aut etiam quid non timeam, cùm attenuatum, exsiccatúmque corpus naturali munere

fungi sua sponte numquam possit? quæ res neq; molestiæ parum habet, &, si inueterauerit, periculo non vacat. Hoc igitur malum nisi depulero, valere me non dicam. Studia nostra, remissa occupationibus, retenta tamen animo, attingere nondum audeo; ne stomacho, vnde fluxit omne malum, præpropera cupiditas obsit. Sed heus, mi Morande, quando te cõplectar? quando adspectu, sermonéque fruar tuo? tu ne ad nos, an ego ad te prior? Ego scilicet ad te. Ire enim, cùm per anni tempus licebit, ad Gauderina balnea decretum est; quæ quater antea sumpsi, nec vnquam sine fructu: nunc eo sumam diligentiùs, quòd maiorem ætas, morbique grauitas, ac diuturnitas cautionem postulat. inde excurram ad te, vt te videam, te complectar, tecum sim. De cydonite illa, exquisito artificio confecta, qua carui tot annos, interrupto locorum interuallis officij tui cursu, nisi tua sponte ad consuetudinem redieris, appellabo te quasi meo quodam iure, sic tamen, vt ipsum ius è tua fluxisse benignitate confitear. Vale, mi suauissime Morande, nósque, vt solebas, ama. Venetijs.

CAMILLO PALÆOTTO.

Bononiam. 7

PYTHAGORAS ne vmquam fore, vt ego me Romanarum occupationum è vinculis eximerem? certè factum vides. nec mihi venit in mentem eius consilij pœnitere: quin quotidei magis gratulor. quòd illa reliquerim, hæc sim adeptus; quòd ab omni cura liber otio fruar honestissimo; quòd ea nunc denique studia recolere mihi liceat, à quibus disiunctus tot annos vixi, vel potiùs planè non vixi. quæ enim mihi potest esse vita sine litteris? valeat ambitio, & fucatus opum splendor. nihil est quod

quod cum suauissima librorum consuetudine conferri iure possit. qua mente cùm essem, commisi tamen, vt aliter sensisse videar, cùm sententiam numquam mutauerim. nam ad vrbem Romam eo quidem consilio sum profectus, domesticis vt rationibus consulerem; simul tamen id spectans, ne delicias meas, optimarum studia doctrinarum, prorsus desererem. aliter cecidit, quis me accuset inconstantiæ? vicit meam voluntatem potestas eorum, quibus, vt æquum est, non minus libenter, quàm necessariò, parui. sed mitto præterita. quasi enim, eadem attingo, vulneris obductam prope cicatricem renouo. Hic me propinqui, familiares, noti pariter atque ignoti redeuntem excepere voluntate summa. Vrbem priuatis ædificijs elegantiorem, & publicis operibus magnificentiorem, quàm reliqueram, inueni; præterea, quamquam ardente bello, florentem vt in summa pace rebus omnibus, quæ vel ad vsum corporis, vel ad animi delectationem pertinent. quo dolore interdum ac pæne mihi succensere cogor, qui tot bonis; tanta tranquillitate, tanto etiam nobilium virorum erga me amore tam diu me carere sim passus. lucri tamen id factum est, quòd, nisi hinc discessissem, hinc abfuissem, hæc ipsi profectò, quibus nunc ex interuallo recuperatis iucundissimè fruor, numquam omnino, quanti essent, intelligere potuissem. itaque est, cur immortali Deo gratias agam, habeámque maximas, quòd mihi, occasione grauissimi morbi, missionis à Pontifice petendæ, ipsique Pontifici concedendæ mentem attulerit. alioqui nec satis decorum putassem, nec vmquam omnino commisissem, vt ante pactam diem negotium publicum, Vrbémque relinquerem. In discessu commoda quædam sperabantur; nec defuit intercedentium dignitas, auctoritas,

gratia: ratio temporum est aduersata, Pontifice, natura liberalissimo, Turcicum bellum, & præsentis futuræque sumptus necessitatem excusante. mirum id videri nonnullis. ego, qui propemodum id, quod accidit, opinione iam præceperam, non sum commotus, ipsoque missionis impetratæ munere contentus, cetera non dixerim equidem contemnens, sed certè non maximi pendens, otij cupidus nihilo lætior discessi. Nunc habeo cum valetudine negotium. eius enim morbi, quo me scis, Romæ dum essem, nec parum diu, nec leuiter laborasse, molestiæ admodum reliquiæ sunt. sed, vt spero, sublatis iam caussis, quæ morbum & pepererant, & alebant sedulitate, ac fideli meorum cura, adiuuante etiam huius cæli, quod in lucem editus primum hausi, benignitate, breui omnino conualescam. Tu interea fac ne officium desiderem litterarum tuarum. Vale. Venetijs.

EIDEM, *Bononiam.* 8

Nae ego istam villulam vehementer amo, quæ te fessum vrbanis curis leuat, reficitque secessu, & otio iucundissimo: vbi te colligis, animúmque transfers ad contemplationem pulcherrimarum rerum: quid agas, quid cures, lex nulla præscribit: scribis, aut legis, arbitratu tuo: modò aprica deambulatione, modò prospectu collium, quandoque aperto puróque cælo gaudes. nimirum hoc est viuere; & ista solitudine, isto vitæ genere, nihil beatius. cur ego tam longè absum? cur negotijs impedior ijs, à quibus quo magis vt dissungar, diuellárque, operam do, eo me distringunt, retinéntque magis? mihi crede, si rerum domesticarum soluta ratio esset, aduolarem ad te statim, in ipsam inquam villulam recta

rectà me conferrem, vt tua consuetudine, tuis sermonibus, tuo conuictu fruerer: te denique discedente, custos remanerem, pomarij præfectus, villicus planè tuus. quod si accideret, vt istic exsulare perpetuò cogerer, modò te interdum socio, modò cum libellis, præclarè mecum actum putarem, multam salutem vrbibus, multam honoribus, in quibus ceteri insaniunt, libenter dicerem. quid enim expectem amplius? didici iam, & magna mercede sum expertus, quàm inania sint illa, quæ, communi deceptus errore, præclara dixeram. magnæ vrbes magnas occupationes, ne dicam miserias, habent. si quem delectat ambitio: si quis augendæ rei familiaris cura tangitur: si sententiam in curia dicere, aut à multis in foro salutari, inter summa ponit: vrbem amet: me quidem posthac æmulum, riualemq; non habebit, vmquam. ætas nostra, mi Camille, ad otium vergit. vides, quàm fluxa sint omnia: quàm facilè hunc & illum, florentes opibus, florentes ætate, repentina mors auferat: vt hoc ipsum, quod spatij nobis relinquitur, totum in lucro deputandum esse videatur. ac fieri quidem potest, vt diu viuamus: sed, obsecro, quid erit, cur nos diu vixisse lætemur, inter domesticas curas, inter hominum fraudes, infidelitates, insidias, addo etiam publicas calamitates, quibus anguntur boni viri, quales nos & esse, & haberi volumus? Amplectamur igitur studia nostra: remota ab arbitris loca amœna, salubria, quæramus: vulgi stultitias, ineptiásque vitemus: animos excolamus, vt eas fruges ferant, quas nec cæli calamitas corrumpat, nec malus vicinus furto subtrahat, nec belli sæuientis impetus deuastet. In hac sententia te esse, & idem probari vtrique nostrum, litteræ tuæ, non minùs eleganter, quàm prudenter, scriptæ significant. Sed impedita, propter domesti-

cas

cas difficultates, mea ratio est: tua longè facilior & expeditior. nihil enim obstat, quo minus, id quod vis, exsequi, & præstare possis: ego voluntate, & cogitatione pascor: ab ipsa re quàm longè absim, intelligo. Nec tamen parum profeci, quòd ab vrbe Romadescessi. ibi enim ne spes quidem erat otij: hic sæpe vaco: nec tempus perire sino: sed, quòd otij perpetuitate careo, identidem interpellantibus aut hominibus, aut negotijs; & quòd angusta nimis vtor domestica re; ideo fit, vt conari, & instituere multa possim, absoluere & perficere, præsertim quod exspectationi respondeat, nihil fere possim Habenda est etiam ratio valetudinis: quam vereor, ne in longum tempus afflixerit Romanum cælum dicam, an negotium? an vtrumque potius? quod ita esse reor. Sed, si valebo, si rem familiarem ita constituam, vt absentis animum nihil pungat: imitabor, quantum in me erit, consuetudinem tuam, expertémque culpæ voluptatem quæram. &, quod te quoque facturum esse, vel potius iam facere cœpisse video, in litteris, in colenda pietate, in summi Dei, summique boni amore, & cupiditate conquiescam. Vale. Venetijs. Idib. Decem. 1570.

EIDEM, Bononiam. 9

NIHIL gratius oleis, vel earum magnitudine, vel condimenti suauitate, vel ipso amore tuo, qui te, vt mitteres admonuit. Hispanis honorem tribuunt nobilium mensæ, quia magnitudine ceteris antecellunt; mihi nescio quo modo subinsulsæ videntur. tuæ nec magnitudinem desiderant, & carnis habent multum, & præstanti sapore commendantur. quare non οἴχεται, sed præclarè collocatur indu-

stria

ria tua in oleario colendo. in quo multa consequeris. tibi post vrbanas curas, voluptatem quæris, domesticam rem iuuas: quamquam te quidem hoc arbitror in minimis ponere: amicos muneribus afficis: in quibus me non postremum locum obtinere, ita lætor, vt hac vna sæpe cogitatione in magnis molestijs non mediocre solatium inuenerim. Fruere, mi Camille, ista voluptate, qua nihil honestius; isto induſtiæ genere, quo nec liberalius, nec nobilius quidquam esse potest. Scis enim, quid de sapientissimis viris proditum memoriæ sit: agrestem eos vitam, expertem deliciarum, ab omni luxu, atque ab illa bonorum morum corruptrice copia remotam, victu cultúque simplici contentam, vrbanæ prætulisse; agro bene culto, & ipsa, largo sinu suas opes effundente natura, nihil vidisse libentius. Quid magni Reges? nónne sua manu satas pulcherrimas arbores, apto ad speciem ordine, iucundáque descriptione dispositas, exterarum nationum legatis gloriæ caussa ostentabant? Hoc qui studeant imitari, qui eos iure reprehendat? Vtinam fundus meus aut ea saltem regione esset, vbi cæli grauitas minimè timenda videretur. mihi crede, olearia ego quoque instituerem, rusticis me oblectarem operibus, valetudini simul animóque consulerem. quod aliqua tamen vt ratione consequar, quocumque loco, quacumque regione operam dabo. Nam hic diu commorandi spem auferunt multa, sed maximè frigoris iniuria, & vinorum austeritas: quæ, tenui corpore, imbecillo stomacho, ferre vix possum, vel planè nullo modo possum, itaque de migratione cogitandum. Vale. Venetijs. Kal. Ian. Ian. 1570.

FRANCISCO CIGEREIO.

Mediolanum. 10

QVAM vereor, optime ac doctissime Cicerei, quia seriùs

seriùs epistolæ tuæ respondeo, ne quid suspicêre de me durius: quod certè non debes. quo enim tempore mihi Romæ reddita est, graui morbo laborabam: neq; conualui, nisi post multos menses, nec in Vrbẽ, sed in patriam reuersus. nam valetudini meæ cælum illud, quo vsus eram antea perbenigno, aduersari, & obesse ita cœperat, diutius vt ferre non possem. itaque fuit omnino, vt vitæ consulerem, ab vrbe discedendum. in quo summi Pontificis clemẽtiam, & facilitatem laudabo numquam satis: qui, de languore meo certior factus, cùm adhuc muneris mei susceptæque prouinciæ menses non pauci superessent, abeundi tamen potestatem petenti æquissimo animo concessit. quam quidem eius benignitatem tanti æstimo, quanti suam quisque vitã & incolumitatem æstimare, debet. viuere enim diu me posse, aut rectè saltem & firmiter vmquam valere, si permanerem vbi cœperam ægrotare, febri præsertim adhuc vrgente quotidiana, planè desperabam. Hæc si tu nosti; non dubito, quin purgatus tibi satis supérque sim. id enim æquitas, & earum artium, quas magna cum laude profiteris humanitas postulat. Sin autem de statu meo nihil accepisti: mirari te fortasse non nihil decuit: malè tamen de me, quasi officium negligerem, aut inhumanitatis vitio laborarem, quem scires ab homine omnium officiosissimo, atque humanissimo, Octauiano Ferrario, diligi, existimare nõ oportuit. inter diuersa enim studia, dissimilésve mores, amicitia non oritur; aut, si oritur, non diu certè conseruatur simile sibi quisque ad amandum deligit: in quo errare se non putat; sed, si errat, iudicium iudicio meliore corrigit, dissuta, non discissa, vt à sapientibus præcipitur, amicitia. At mihi cum Ferrario triginta iam annos, eòque amplius arctissima intercedit necessitudo,

situdo. quo primùm die mihi cognitus est, ingenium, & futuræ doctrinæ principia perspexi; postea mores in consuetudine probaui: inde ortus est vtrimque amor: qui ne vmquam deficeret, aleretúrque potiùs, & ad summum perduceretur, ille suæ virtutis, ego meæ meritis in illum obseruantiæ, præstitimus. Hoc argumento, tu vide quid tibi sentiendum de me putes: ego, cùm Ferrario tali viro, cuius non minùs vita, quàm scientia, bonis omnibus, rectèque intelligentibus probatur, placere me video, ipse mihi displicere non possum. Nam quòd vna cum eo Bartholomeum Capram, Hannibalémque Crucium in cælum fers: planè tecum sentio, vel tu mecum potiùs. multi enim sunt anni, cùm, & hominum proborum, atque eruditorum celebri sermone commotus, & Ferrarij testimonio, quo quid grauius? impulsus, vtrumque cœpi diligere. Capram, iam tum audiebam, præter ius ciuile, dignámque nobili viro multarum litterarum scientiam, indigni quadam erga bonos omnes, præsertim liberalium disciplinarum amore flagrantes, liberalitate excellere. quæ laus eo pluris in priuato ciue debet æstimari, quo minùs hodie in ijs, qui beati propter opes putantur, id est in principibus ipsis agnoscitur. Cruceij humanitatem expertus sæpe sum in rebus meis: doctrinam è scriptis eius non vulgarem, præstantem eloquentiam duxi. Quis igitur dubitet (nam te quidem vix arbitror) quin ἀξίωμα illud apud me valeat, quod tu lepidè, verèque induxisti: si tibi cum ijs viris, quos ego vehementer amo, vehementérque colo, optimè conuenit, sequi omnino, vt mihi quoque tecum optimè conueniat, sed, mihi crede, his argumentis iam non eget virtus tua: quam probauit, largita tibi sua iura, ciuitas omnium nobilissima: probauit, mandato tibi publicè docendi munere,

sena-

senatus ille, cuius ad sapientiam & iustitiam, quasi ad sacram anchoram, rebus aduersis, aut dubijs, omnes confugiunt: probarunt denique suo testimonio, suáque commendatione, tres illi viri omni prorsus laude cumulati. Quæ cum spectо mecúmque cogito, munus hoc amoris tui delatum ad me per litteras, & eas litteras, quibus vt nihil humanius, ita nihil possit esse ornatius, quantum sit, intelligo. in quo tuendo, augendóque rebus ijs, quæ significationem habere potèrunt voluntatis meæ cum tua laude coniunctam, partes meæ non desiderabuntur. tu velim existimes, quod tibi nunc libenter promitto, multo facturum esse me opportuno tempore libentius. id si credis: & si vtendum tibi statues in omni tua restudijs, officijs, facultatibúsque meis, & eo quidem animo, tamquam ea tibi non recentis, aut dubiæ, sed veterimæ, & multorum annorum vsu confirmatæ beneuolentiæ iure debeantur: erit hoc alterum humanitatis tuæ non vulgare munus: quo me tibi deuinctum perpetuò fore polliceor. Vale. Ex oppido Plebe Sacci. VII. Id. Nou. 1570.

OCTAVIANO FERRARIO.

Mediolanum. 11

MI Ferrari, si me tantum amas, quantum profectò amas; gratulari te mihi æquum est, quòd exoptatæ diu patriæ compos denique factus post annos decem, tenui fortuna contentus ita viuo, vt regum opes honorésque contemnam. carebam otio, studijs, rebus multis ad meam naturam apris: quæ mihi nunc omnia Dei benignitas restituit: iisque fruor eo suauiùs, quo fit vius desiderij diuturnitate iucundior. Si quid præterea non tam de meo, quàm de meorum statu scire vis: vt fere,

qui

qui amant, curiosi sunt omnes: hæc accipe. vxor, & filius in vrbe, commoda vterque valetudine, illa rem domesticam, hic officinam, emendandorúmque librorum curam administrat egregiè. mihi, tædio diutinæ commorationis vrbanæ, rusticari vehementer placet: quo primùm afflictæ diuturno morbo valetudini consulimus; & imbecillo corpori vires addunus: demde, quasi quibusdam exsolutus vinculis, liberè vagatur, & voluptate pascitur animus honestissima. nullis hic angimur curis, nullis implicamur negotijs: licet id, quod antea numqnã licuit, prorsus nihil agere, si volumus: &, quod licet sæpe volumus. nam vehi curru, oppida inuisere propinqua, amicorum villulas obire, conuiuari etiam interdum, suauissimisque epulas condire sermonibus, hoc ipsum voco nihil agere, quamquam, qui, valetudine parum firma, operam dat, vt suauiter, iucundè, & honestè simul viuat, is profectó nihil agere mihi non videtur. Sed in hoc tamen vitæ genere libros, communes delicias nostras, abiecisse me penitus, nolim existimes. nobiscum vbiq; sunt comites numquam molesti, loquentes, silentes, cùm volumus, quoad volumus: &, quamquam veteris morbi reliquiæ quædam supersunt, & vires adhuc languent: quiddam tamen aggredi sum ausus; quod si, vt spero, absoluam; & si, vt principia dare se videntur, ita procedet industria, vel à te probabitur; (à te cùm dico, qui subtiliter, & sincerè iudicant, si mul omnes intelligo. tu enim is es, quem nec opinio fallat, nec voluntas à veritate detorqueat) vel, quin me putes omnis expertem ingenij, nec de mea, nec de cuiusquã omnino facultate statuere, & existimare quidquam posse, non recuso. Locus ipse me, vacuus interpellatoribus, & hæc viuendi arbitratu meo, rerum omniũ dulcissima, optata antea potiùs, quam

sperata

sperata libertas inuitauit, vt ordirer id, quod, nisi sedem hic statuo, aut certè, nisi in hoc secessu, & in hac pænè solitudine (eam si cum vrbe conferatur, quamquam celebre satis oppidum, solitudo tamen quædam videri possit) maiorem anni partem consumpsero, vereor, ne ferò admodum, fortasse etiam pertexere numquam liceat. opus est nec temporis nec laboris exigui. tempus hic, vt video, deesse non potest; laborem communis vtilitatis gratia numquam adducar vt fugiam: interim tamen, superiore periculo admonitus, operæ curæque plus in valetudinem, quàm in studia, conferam. Vale. Ex oppido Plebe Sacci. 6. Id. Non. 1570.

HENRICO ET CAMILLO CAETANIS, FRATRIBVS BONIFACII *Principis filijs Romam.* 12

LAETARI vos arbitror, nobilissimi adolescentes, pro vestra erga me beneuolentia, meo in patriam reditu; minimè dubitantes, quin tranquillè vinam, vacem ijs molestijs, quibus in vrbe Roma carere vix poteram, fruar studijs, cum quibus voluptatem nullam confero. nam de fructu, quem posteritas capere possit ex industria mea, nihil dico. conatus equidem à puero sum, idque mihi propositum in omni vita fuit, vt omnibus meo labore prodessem: vtrum autem, quod sequebar, assequi licuerit, ad meum iudicium non reuoco: viderint ij, qui nostra legent. ego mihi temerè nihil arrogo, nec assentor libenter, aut ita gloriosa ducor, vt falsæ opinionis errore, quod video multis contingere, oblectari me sinam. quòd si nihil alijs prodesse possum: bene tamen mereor de me ipso, dum ea lego, qui-

quibus curæ sedantur, dissipatúsque perturbationibus animus colligitur, & ab admiratione rerum inanium ad veræ solidæque felicitatis cupiditatem traducitur. hoc bono Romæ carebam, quia carebam litteris, & otio, molestissimis implicatus occupationibus, quarum ipsa nunc recordatione commoueor. itaque, cùm opinari & credere nonnullos audio, eo me consilio ab vrbe discessisse, vt recuperata valetudine, redirem; ita statuo, vel eos ignorare, quàm infeliciter mecum actum sit, quàm diu Romæ vixi, vel in illo quingentorum scutatorum stipendio tantum ponere, vt easdem subire molestias cum eodem expediat emolumento. qui si naturam moréſque meos tenerent: profectò longè aliter sentirent. non enim aut stipendium illud aut vlla me lucri cupiditas Romam perduxit: quamquam hæc priuatæ sortis homo non contempsi: sed spe sum allectus propè certa, vitæ cum dignitate traducendæ, fruendi nonnumquam studijs meis, amicorum consuetudine, voluptatibus etiam homine ingenuo, & liberaliter educato non indignis. quam contra ceciderit, vos optimè nostis. nunc, vel si stipendio vocarer multo, maiore sic insanirem, vt meam quietem, diuino mihi munere post annos decem restitutam, mea studia ipsam denique valetudinem vllo pretio venderem? tum verò, si eadem illa contingerent, iure plecterer: nemo excusatione aut venia dignum duceret: nemo querentem audiret: nemo opem ferret imploranti: ad auaritiæ culpam, & immodicam habendi libidinem conuerterentur omnia. Præstat igitur sapere, id est, quam alij fortunam admirantur, eam contemnere, paucis acquiescere, & ijsdem contentum esse, quibus ipsa contenta natura est: quæ, dum vitæ arceantur incommoda, & ali-

menta suppetant necessaria, præterea nihil desiderat. Iam ætas, & valetudo, hæc admodum infirma, illa quotidie magis ingrauescens, admonent me, cupiditate ne prouehar longiùs; vela citò contraham, & impendentes futuræ vitæ procellas extimescam. itaque facio non inuitus, vt, cum huius peregrinationis exitus haud longè distet, non tam de via, quæ minima restat, quàm de exitu ipso, qui principium afferet æternæ vitæ, cogitem, atque elaborem. Hæc ideo collegi, ne quando vos aut aliquis potiùs vestri dissimilis, (nam id quidem à prudentia vestra exspectandum non videtur) displicere mihi consilium meum suspicari posset, quòd in patriam venerim. quod vtinam biennio maturiùs feciſſem. non incidiſſem in eum morbum, quo valetudinem in perpetuum ferè perdidi: rationes hic domesticæ minùs iacturæ feciſſent: studia fortasse mea fructum studiosis aliquē tulisſent. Vna tamen ex hoc naufragio tabula me delectat, quòd opinione fruor amoris in me vestri; quòd ex disciplina præceptisque meis maximum vos in ea via, quæ ad eloquentiam ducit, feciſſe progressum intelligo; quòd, perspecta denique, indole, voluntate, industria vestra, augurari facilè possum de futura gloria: nec locum iam habet adhortatio: currentis enim vestra sponte, quò patrui Cardinalis dignitas, & virtus, quò parentis integritas, & sapientia, quò auita decora, & maiorum nomē immortale vocat. Valete. Venetijs, ix. Kal. Dec. 1570.

IOANNI CASELIO.

ad arcem Sucrinam. 13

VRBEM Romam ante duos menses, difficili diuturnóque coactus morbo, reliqui. meliùs omnino mihi nunc est: nec dum tamen ita valeo, vt in termissa

termissa officia repetere audeam. libros parcè attingo, amicorum litteris, nisi graue sit argumentum, aut breuiter admodum, aut prorsus nihil respondeo: negotia reliqua, vt valere ipse possim, valere iussi: ea re nec scripsi ad te antea: & in posterum, ne quid oneris mihi imponas, quod infirma ferre valetudo nequeat, à te peto. Familiares tuos, nobiles adolescentes, Ioachimum Basseuitium, & Nicholaum Rascium, verbis perhumaniter accepi: re non iuuo; quia nec ipsi rogant; & mihi, quid eorum causa præstare possim, ipsis non rogantibus, in mentem non venit. modesti sunt omnes, & morum elegantia præditi. ingenio, & litteris, cùm à te diligantur, tuáque consuetudine sint vsi, non dubito, quin pro ætate excellant. ac sapienter quidem eos facere iudico, quòd apud nos aliquandiu sibi viuendum statuant. præclaram enim indolem, materiémque virtutis haud mediocriter cælum Italicum adiuuabit: quod eo magis lætor, quia redundabit ad te aliquid ex eorum summa laude; cùm vel alumni fuerint disciplinæ tuæ; vel tuis hortatibus, consilijsque in Italiam, quasi ad mercatum bonarum artium, se contulerint. mihi autem, caue putes, gratius quidquam esse posse, aut curari à me libentius, quam quo ad existimationem pertinere tuam intelligam. id adeo cùm præstanti doctrinæ tuæ, studijsque ad communem vtilitatem spectantibus, tum summæ erga me perspectæ iam satis atque cognitæ, beneuolentiæ debere mihi videor. Vale. Venetijs, 18. Kalend. Ian. 1570.

HORATIO CARDANETO.

Perusium. 14

GRATVLOR tibi, mi Cardanete, nec sanè

magis ex animo gratulari possim, quòd nobilissimorum adolescentum, Henrici, & Camilli Caetanorum, fratrum, actus amicitia sis, melior omnino reperiri ratio nulla poterat, qua ferrem æquius eorum me consuetudine carere, quàm quòd vtantur tua. te enim vel studiorum similitudine, vel animorum coniunctione, vel mutuis etiam officiis quasi me alterum esse puto. qua modestia sint, qua grauitate, qua prudentia, quàm à communibus ingenijs differant, quàm à deprauatis huius sæculi moribus abhorreant; quia breui admodum ipse intelliges, nihil dicam. auguratus quidem antea sum, si diuturna vtrique vita contigerit: quod in tanta bonitate, tam propensis ad veram laudem studijs ab immortali Deo sperandum videtur: nullam esse gloriam tantam, quam non facilè consequantur: nullos honores, qui non eorum virtutibus vltrò deferantur. Te rogo, pro eo quanti me facis, conferas in eos quidquid poteris officij, studij obseruantiæ; quodq; facere cum omnibus qui te norunt, solitus es, id tibi cum ipsis præcipue faciendum putes, vt iis pateant opes ingenij, eloquentiæ, doctrinæ tuæ. De meo statu, quidquid possum scribere vt video, cognitum iam habes. in eo tamen erras, vel potiùs errare te coegit aliorum sermo, quòd me benè nummatum in patriam rediisse putas. decem enim annorum laboribus vix tria scutatorum millia, id est quantum ad filiam collocandam requiratur, colligere potuimus. ita mihi nullæ pecuniæ, nullum vectigal, præter veterem frugalitatem, quo vectigal nullum est vberius, animum paucis contentum, relinquitur. quare gratulari te mihi velim, non quòd abundem, quod falsum est, sed quòd tranquilla mente viuam: quòd in studijs quantum valetudinis ratio permittit, quòd cum meis, quòd denique nullis

nullis implicatus negotiis, ſed in ſummo otio, ſumma quiete, ſumma liberalitate, quæ ſunt omnibus diuitiis, rectè intelligentium iudicio, anteponenda. Vale, & illuſtriſſimis Caetanis ſalutem dices à me plurimam. Venetiis, XVII. Kalend. Ianuar. 1570.

ANTONIO ROLANDO.

Patauium. 51

ADHVC languebam ex vetere morbo: &, filio non leuiter ægrotante, eram ſanè perturbatior: committere tamen nolui, vt epiſtolæ tuæ inſigni præſertim Homerica magniloquentia, & beneuolentiæ notis erga me tuæ, nihil omnino reſponderem. Quod petis, vt orationem tuam corrigam: primùm id quidem neceſſe non eſt; cùm ſcriptor ſis luculentus, iudicióque excellas: deinde verò tantum ab re mea mihi otio non eſt, aliena vt poſſim legere. aut enim non vaco: aut, ſi quid temporis conceditur, ad ea, quæ inchoata, rudiáque iampridem habeo, abſoluenda, & perpolienda totum confero. quare à te peto, vt habeas rationem & valetudinis, & occupationis meæ. Ego, poſtea quàm in patriam reuerti, negotiorum magnitudine defatigatus, ætate iam admonitus, & Venuſini Poetæ verſu, ſolue ſeneſcentem maturè ſanus equum, mihi & muſis duntaxat viuere conſtitui. nullas ſuſcipio curas, niſi quas rerum domeſticarum neceſſitas imponit. nouas amicitias non expeto: veteribus colendis operam non do: cum vxore, liberiſque ſuauiſſimam vitam duco. hic enim dies, vt ille ait, alios mores, aliam vitam poſtulat. amicorum copia quid præter moleſtiam habeat, non vi-

deo. si quis aliter sentit, arbitratu ipse suo viuat: ego malo mihi sapere, quam alijs. De vxore à te ducta, de susceptis liberis, valde tibi gratulor. nam etsi onus alendæ familiæ, duriſſimis temporibus, magna rerum omnium caritate, perquam graue esse non ignoro: te tamen, virum bonum, peritum optimarum artium, tua virtus ex omnibus incommodis, ac difficultatibus eripiet: aderitque Deus, cuius eximia benignitas præclaris conatibus & optimis studijs deesse numquam solet. Vale. Venetijs. x. Kal. Ian. 1570.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER VNDECIMVS.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. IVVENI.

IACOBO BONCOMPAGNO.

NOTA sententia est, à sapientissimo viro litterarum prodita monumentis, mutatione temporum, euentu vario, per omnes ætates comprobata, cum Principum moribus, atque institutis, priuatorum hominum sensus, & studia congruere. est enim ita more comparatum, vt in eorum, qui imperant, vitam ij, qui parent, veluti in speculum intuentes, dicta simul & facta diligenter animaduertant. inde oritur cupiditas imitandi: inde fit, vt aut virtutes emanent,

aut

aut vitia deriuenrur. itaque, GREGORIO XIII. cui tu sanguine coniunctissimus, virtute carissimus es, in illa proxima cœlo sede, incredibili Cardinalium omnium consensu, in quo perspicua diuini numinis voluntas apparuit, collocato, speciem quandam, & imaginem rerum omnium laudandarum quasi post tenebras exorta luce vidimus. &, cùm ad vrbem quotidie tot immortales, præsertim qui nobili aliqua arte excellant, suæ quisque spei fauens, tam cupidè confluant, nemo dubitat, quin, cùm ille antea semper ita vixerit, vt ingenuarum disciplinarum studia rebus omnibus præferret, rectum & honestum sic amaret, vt nihil ambitioni, nihil gratiæ tribueret, ad æquitatem & religionem omnia referret eadem ei nunc prima sint, eadem studia colentes amplectatur, ornet honoribus, opibus augeat, maxima potestate cum optima mente coniuncta. Ille pacem, & concordiam Christianorum principum tuebitur: ille præclaram in perdendo communi hoste conspirationem fouebit: illi publica salus, Sedis Apostolicæ dignitas summi Dei gloria, à qua numquam oculos deflexit, erit antiquissima. In iustitia verò, cuius omnes partes nouit, plerásque cum laude exercuit, prorsus eum nihil fallet: non ex aliena pendebit opinione: non alienis consiliis auferetur: quæ sæpe labes, graui ciuitatum damno, bonos etiam Principes infecit: ipse disceptator, & iudex res publicas & priuatas pro sua sapientia suóque sensu moderabitur, ac reget. Quid artes illæ nostræ, quibus ad humanitatem informamur, quæ fessos curis animos leuant, nec tamen vtilitatem à voluptate seiungimt, non eæ nunc, nimium diu cùm oblanguerint, spe quadam recreatæ, oculos tollere videntur? cùmque nouo Principe, ad liberales omnes artes maximè pro-

penſo, vehementer lætentur, tum verò in te, IACOBE illuſtriſſime, ſpem ſuam in primis locatam habent, à te opem expectant, tibi ſe ſuámque dignitatem, fatali quadam temporum calamitate ademptam, ſupplices commendant. non negabis, opinor, bene de te merentibus patrocinium tuum, & ad cetera, quæ in te elucent, ornamenta, cùm ingenij, atque doctrinæ, tum verò eius modeſtiæ, qua te tam ſecundis rebus admirabilem præbuiſti, addes hoc, quo nullum illuſtrius eſſe poteſt, vt litterarum cauſſam ſuſcipias, reliqua tamquam inania contemnas: quámque tibi antea laudem apud multos, verſatus in celeberrimis Italiæ gymnaſijs, non obſcura voluntatis egregiæ ſignificatione peperiſti, eius augendæ cùm facultas hoc tempore diuinitus tributa maxima ſit, non committes, vt ipſe tibi aliquando, & gloriæ tuæ defuiſſe videaris. Quæ ſi cogitas, ſumma ſapientia eſt; ſi perficis, ſumma felicitas. nam ipſum, velle, quis in laude ponat, niſi, quod velis, res ipſa declarat? felicem porrò non ego quemquam duxerim, qui ſibi licere putat, quidquid libet; ſed qui, cum in magna poteſtate ſit, licere tamen ſibi nihil vult, niſi quod veritas, & ratio ipſa præſcribat. ſenſus autem hic multitudinis eſt, vt, abundare quam plurimis rebus, optabile in primis exiſtimet. rectè vero vti, neque optant multi, & ſoli ſapientes norunt. Ac mihi quidem, cùm ad tuam ſuperiorem vitam animum refero, hæc ipſa, quæ laudo, quæ tuum nomen immortalitati commendare poſſunt, eadem te ſentire, eadem cogitare, & velle, tuáque ſponte ſatis ad verum decus inflammatum eſſe, minimè dubitandum videtur: eóque breuius ad te ſcribo, ne ſuperuacanea legas. diſtentus magnarum rerum curis: ſcribendum tamen aliquid hoc tempore ſum arbitratus

vt,

vt, cùm omnes tecum gratulationis officio fungatur, omnes tibi natura operam & studium velint, ego quoque meam in te singularem obseruantiam, priuatim nihil spectans, tuæ studio laudis incensus, & nobilium disciplinarum amore flagrans, officio testatam aliquo relinquerem. Vale. x. Kalend. Quinct. 1572.

CAMILLO PALÆOTTO.

Bononiam. 3

PRAECLARA sanè amicitiæ lex de similitudine animorum in vtráque fortuna: quæ si seruaretur, nihil esset humana vita iucundius. sed, quod tu sentis, & quod ego tecum, siue munus hoc naturæ fuerit, siue earum artium, quibus ad ineunte ætate operam dedimus, in eo, quàm pauci fint, qui nos imitentur, tu profectò pro tua prudentia animaduertis, ego pro mea tenuitate sæpe fum expertus. equidem nulla re magis lætor, quàm opinione amoris in me tui. cui nisi ex omni parte responderem, hominem me non putarem. amo autem te non ob illa, quę tibi possunt esse communia cum multis quòd vnus ex amplissimo xl. virum collegio sis; quòd propinquitatibus, clientelis: opibusque valeas; denique, quòd fratrem habeas Cardinalem, & eum Cardinalem, quem non dignitas magis, quàm virtus illustrat: sed ob ea, quæ tua propria sunt; quòd ab adolescentia ita vixisti, vt senilem in te prudentiam nemo requireret; quòd, ortus clarissima gente, maiorem tamen, ex te ipso nobilitatem quæris: quòd ad omnem virtutem, libero viro dignam, præcipuè verò ad liberalitatem propensus, excipis, & complecteris omni officiorum genere, quicumque se studiorum gratia Bononiam conferunt: &, quo quisque magis

magis virtute, industria, probitate videtur excellere, eo maior ac præstantior in eum tua benignitas elucet. ita fit, vt ad liberalium disciplinarum studia plurimos quidem inueterata iam Bononiensis gymnasij gloria ex vniuerso terrarum orbe, multos tamen tui quoque nominis fama pelliciat. Hæc ego cum aliis potiùs, quàm tecum: nunc erupit amoris vis, quæ me, nihil minùs ab initio cogitantem, propè inuitũ ea scribere coegit, quæ tu cùm libenter agas, non libenter tamen audis. occasionem autem non ostendendæ solùm beneuolẽtiæ meæ, sed iudicij quoq; declarandi non leuem sanè tu dedisti, cùm in maximis occupationibus, in summa nouæ affinitatis lætitia non modò de me absente cogitasti, quo contentus esse debui, sed effudisti in me suauissimis litteris partem lætitiæ tuæ, affecistiq; me voluptate tanta, quantam animus meus capere potest maximam. Ac de isto quidem officio tibi nunc, vt debeo, gratias ago, habere numquam desinam: de ipsa verò re, quã significas, ita gratulor, vt, quæ mentis exprimere meæ sensum queant, verba prorsus nulla suppetant: ista enim affinitate, ad vtram familiam oculos conuerto, omnia video plena dignitatis, plena sapientiæ, plena virtutis. cùm verò vtriusq; decorã copulantur; tale quiddam exsistit, quod cùm intueor, haud facilè, quid conferre possim, reperio. Quare debes exspectare omnia iucundissima. soboles exorietur, approbante immortali Deo, digna parentibus, auis, maioribus, vnde mirabiles Christiana Resp. & in primis ipsa patria fructus capiat. Quod vt ita sit pro meo erga te singulari studio non minùs opto, quam si ad me ipsum, libertósq; meos eadem illa pertinerent. Tu me velim ames mutuò. Sigoniumq; mecum, & Amasæũ salutes. Vale. Ego, quãquam cælum mutauerim, nondum tamen satis rectè valeo. Ex

Plebe-

Plebe Sacci. XVI. Kalend. Maij. 1571.

EIDEM, Bononiam. 3

VALDE accidit non sanè contra voluntatem sed certè præter opinionem meam, vt Mediolani consisterem. sic sunt humana. consilia nostra plerumque ratio, casus interdum, & fortuna moderatur. Ego Genuam eapotissimùm caussa petebam, vt villulis pulcherrimis, iucundo placidi maris adspectu, &, quod in primis valetudo mea requirit, verno cælo hieme summa fruerer. nam Venetijs hieme superiore, cùm & cubiculo clauderer angusto, & camino assiduè vterer luculento, parum tamen abfuit, quin me vis frigoris absumserit. Scis, quæ mea tenuitas, quæ sit imbecillitas. nec ætatem, vt arbitror, ignoras. quotidie labuntur vires, & eo magis, quòd ea, quæ mihi ab adolescentia rerum omnium antiquissima fuerunt, & à quibus ne nunc quidem, ætate ingraescenti, diuelli possum, studia calorem illum, quo alimur, exhauriunt. Hæc de frigore: audi nunc, quæ supersunt incõmoda. Exercitationibus dum vtor, confirmari me sentio: atijs vti Venetijs, præsertim sub dio, vel ob angustias viarum, vel ob infinitam propè ciuium, peregrinorumque frequentiam non licet. huc illuc impellimur: sæpius alieno motu, quã nostro, mouemur: vix vt interdum, ac ne vix quidem, si lubrica via est, consistendi facultas detur. De vinis quid loquar? diuturna me consuetudo Romanis, omnium facilè primis, assuefecerat. similia non quærebam, sed quæ prorsus dissimilia non essent: perijt omnis industria. Carnis mira penuria: vitulinam quidem, qui differat à bubula, reperire, felicitatis est. Excellunt viri nobiles benignitate, virtute, sapientia; neque ego eorum amicitia, & consuetudine exclusus vnquam fum,

appe-

appetitus etiam à multis: quod in ijs rebus numero, quarum memoria non mediocriter oblector: sed nescio quomodo fit, ætatis fortasse vitio, vt quædam res, quibus olim pascebar, quotidie magis ex animo dilabantur. mihi ivni, mi Camille, iam cupio viuere, dum viuo, sic tamen, vt, me ceteris etiam vixisse, aliquando intelligatur. Habes, cur Venetijs non sim: quò spectem, & vbi esse velim, ac reliquæ vitæ domicilium collocare, sane nondum constat. amœnitatem, & salubritatem sequor. vtraque Genuæ est, vtraque, vt audio, Regij, quò peramanter inuitor & suburbanum mihi suum, magnificè exstructum, eleganter ornatum, vir primarius, integritate, doctrinâque excellens, Horatius Malagutius, summi Pontificis cubicularius, semel & iterum detulit. mihi tamen ocellus Italiæ, Bonacensis ora, Asulano meo, vnde multa suppetent, satis propinqua, vehementer arridet. eò me conuertit animus: eò referunt pedes: ibi denique cum rusticis malim, rusticò pæne more, quàm alibi cum perurbanis, in magna non modò lautitia, verùm etiam copia, vitam agere. Interea sum in hac vrbe, &, vt video, diutius ero, quàm putabam, non tam quia propter anni tempus discedere vix iam licet; cùm & imbres assidui vias corruperit; & ego is sim, qui vel leuissimis frangar incommodis; quàm quia duorum virorum, omni laude ac virtute circumfluentium, Bartholomæi Capræ, hospitis mei, & Octauiani Ferrarij, veterrima mihi necessitudine coniunctissimi, singulari doctrina, humanitate, beneuolentia perfruor. otij quidem habeo, quod tu fortasse vix credas, in vrbe amplissima, omniúmque celeberrima, non minùs quàm optabam, plus profecto, quàm sperare ausus essem. itaque studia calent. quod cùm dico, simul illud dico, Mediolani me perlibenter esse, nam cum

studijs,

ſtudijs, & litteris nullum vitæ genus, ne ſi Cræſi quidem addantur diuitiæ, permutauerim. De valetudine ſi quæris: ea ſum, qua ſoleo, id eſt non admodum firma: me tamen cùm domeſtica quiete, tum definita quadam victus ratione, aliqua etiam animi tranquillitate, tueor atque ſuſtento. Vale. Mediolani. Kal. Nouemb. 1571.

EIDEM, Benomium. 4

OLEAS Mediolanum vſque? mirus amor, & ſingularis humanitas. Sed vide, quid acciderit. venit in mentem Simonettæ tuo, vt eſt homo perelegantis ingenij, munus tuum cum ſuo munere coniungere, & ſubamari ſaporis oleas, quo ipſo gratæ ſunt, alio tamen ſapore gratiores efficere. itaque miſit ad me ſcire admodum condito coronea; & qui attulit, cùm mihi tuo nomine ſalutem dixiſſet, addidit illud, quod Simonetta ſepidè coniecerat, de olearum ſapore temperando. Eſt igitur cur vtrique veſtrum pares agam gratias: niſi ſi paulo fortaſſe maiores tibi debentur, cuius occaſione liberalitatis alia videtur exorta liberalitas. quamquam Simonettæ iam antea ſanè vel plurimum debebam, quòd humanitati ſuæ tantum tribuiſſet, vt ad me, vir nobilitate præſtans, & ſenatorij muneris honore inſignis, domum veniret, horáſque mecum aliquot ſuauiſſime ſermone conſumeret. quo quidem in genere, ſi mihi non dicam per ſtudia, quæ licet perjucunda, voluntatis tamen, arbitriique mei ſunt, ſed per valetudinem, cui ſeruire neceſſe eſt, liceret; ita me officio vinci non paterer: quemadmodum animi certè voluntate non vincor. Ego propter frigoris magnitudinem domo pedem efferre adhuc non audeo. itaq; paucis vtor, Capra hoſpes meus, & Ferrarius,

ille quotidie, præsertim vespertinis horis, hic, quantum ei vel à philosophiæ studio, vel ab amicorũ negotijs vacat, tantum ferè mecum est. horum virtus, humanitásq; facit, vt & paucos, & pauca desiderem. & omnino, si studiorum similitudo, si officia, si mores beneuolentiam gignunt: multos amore complecti, non illo vulgari, sed eo, qui excellit, id est qui inter nos est; quam non facilè sit, opinor, vides. nam quod in epistola tua, grauissimè, atque ornatissimè scripta, speras posse fieri, vt à Simonetta tantum diligar, quantum vel ille à te, vel tu ab illo diligeris, addo etiam, quantũ ego me à te diligi pro tuis maximis officijs iampridem mihi persuadeo: id qua ratione possit euenire, cùm aut in eum incumbo, aut ipse me perpendo, non equidem intelligo. diuersa studia sunt: consuetudo non interceßit: vitæ ratio dissimilima. illum publica negotia, summarumque rerum cura distinet. ego humili litterarum otio delector. ille, ad amplitudinem natus, curat ea, quæ speciem, & splendorem habeant: ego, si quies animi datur, si colere licet eas artes, quibus à primis temporibus ætatis meum omne studium, operamq; dedi, cetera propè contemno, quærenda certè magno cum labore non arbitror. deniq; illi celebritas, mihi, vt fatear id quod est, solitudo vehementer placet. Faciam igitur, quod officij mei esse duco, & quod à me dignitas hominis, ac virtus non modò postulat, verùm etiam exigit, vt eum omni tempore, quanquam absens longéq; disiunctus, animo diligenter obseruem, memoria colam, ijs etiam ornem laudibus, quibus ille suis maioribus vt respondeat, sic enititur, vt assequatur. quod cum scire tuis litteris, & persuasum habere, si cognouero: summo me, ac singulari affectum abs te esse munere iudicabo. Vale Mediolani, Kal. Feb. 1572.

EIDEM,

EIDEM, Bononiam. 9

QVID est, cur sperem assequi me posse tua merita officijs meis? par in vtroque voluntas: id enim iuuat credere: sed conditio longè dispar. tibi enim ad me ornandum vnà cum voluntate suppetunt reliqua, auctoritas, dignitas, virtus: mihi ad gratiam referendam, præter voluntatem nihil propè relinquitur. itaque, tu me magis vt diligas, quàm ego te, numquam concedam: idem, officij reddere plus apud te semper fatebor. dissimulem? nihil me ingratius. negem? facilè refellar. testes erant antea meritorum tuorum, egregiæq; cuiusdam voluntatis erga me sanè quàm plurimi: nunc accessit, qui pro sexcentis vnus est, vir amplissimus Scipio Simonetta: qui, quòd me amet, quòd aliquid esse putet, quòd etiam in sermonibus laudet, magnam in eo sanè benignitatem hominis agnosco; sed tibi quoque tribuo: cuius ille iudicium quanti faciat, quo primùm die sum eum allocutus: haud obscurè perspexi. Quod scire vis de mea valetudine, quam tibi summæ tuæ esse vehementer gaudeo: tantum abest, vt optima fruar, vt ab optima absim aliquanto etiam longiùs quàm à deterrima, ac si mihi medium quiddam contingat, præclare mecum agi putem. sed, id vt optare potiùs liceat, quàm sperare, ætas facit, & valetudo. studia mittoà quibus diuelli non queo. nihil me magis, quã scire, delectat. ita scribo, vt ad alios industriæ meæ fructum peruenire cupiam: sed, mihi crede, plerumq; fit, vt, quo diligentiùs in hac cura versor, eo plura ipse dicam, quàm alios doceam. De amicitia si tibi scrupulus molestus est, euellet eum aut Aristoteles, aut Cicero noster: quos tu cùm magistros habeas; miror sanè, cur ad me quidquam referas. nam ego

me

me vel scire nihil puto, quod tu nescias: vel, si quid scio, ab illis didicisse confiteor. hoc tantùm dicam, idque tua caussa mi Camille, quando te hoc de genere libenter video disputare: si quis perfectam illam amicitiam, cùm ex duobus animis tanquam vnus fit, vt afficiantur pariter in vtraque fortuna, vt nihil iucundum, nihil triste separatim, communia sint omnia; hoc, inquam, genus amicitiæ si quis cogitet, & ea, quæ leguntur in libris, inter homines quærat, eum frustra laborare. est enim amicitiæ, vt reliquarum rerum omnium, idea quædam & species absoluta: cuius præstantiam mente comprehendere, & ingenio consequi fortasse licet, exempla certè sub oculos non cadunt. hæc ego ita sentio: tu, siquid contra, doce me. Vale. Mediolani. Id. Mart. 1572.

EIDEM, *Bononiam.* 6

AGRI vestri, siquidem, vt scribis, imbribus irrigari cœpti sunt, meliore, quàm nostri, qui adhuc valde sitiunt, cæli munere fruuntur. de vindemia tamen, qnod ad bonitatem firmitatémque vinorum attinet, bene speratur: de copia, fore certum est vt non abundemus. Ego, non exspectatis imbribus, iam sarcinulas collegeram, vt in viam me darem: nihil enim erat potius, quàm vt domum redirem, eóque itinere te viderem, & villulam tuam, vtróque autem fruerer, quamdiu per anni tempus liceret: sed vicit consilium meum Cardinalium voluntas: quorum opera est effectũ, vt GREGORIVS 13. Pontif. Max. qui tamen sua sponte liberales disciplinas miro quodam studio amplectitur, fouet, alit, honorifico me stipendio retinendum putauerit. Hic igitur cogimur consistere, libenter, vt Romæ, in summa cele-

celebritate, & amicorum copia; inuiti, vt à te disiuncti, cuius consuetudine non semel, aut iterum, sed perpetuò æstiuis mensibus, amœna regione, iucundo otio, cum communibus musis frui cogitabamus. hoc tamen quidquid est incommodi, non illud quidem penitus, sed aliqua saltem ex parte, quantum scilicet per vtriúsque occupationes licebit, litterarum commodo sarcietur. Vale. Romæ, 7. Idib. Sept. 1572.

HIERONYMO CAPRÆ.
Mediolanum. 7

QVOD ad me Camilli Palæotti, viri nobilissimi, meique amantissimi, litteras misisti, valde gratum: quòd verò cum ijs etiam tuas, eásque Latinè scriptas, & ita quidem, vt Romanam illam veterem elegantiam redoleant, multo etiam gratius. nam vt, Mediolani cùm essem, interdum sermone tuo summa cum voluptate fruebar: sic, adempta mihi nunc tui sermonis vsura, totam spem huius mitigandæ molestiæ tuis in litteris repono. quamquam hoc in genere ita moderabor meæ cupiditati, ne tibi plus oneris imponam, quàm vel occupationes tuæ, vel studia patiantur: cùm præsertim eadem scribendi lege pariter vtrumque nostrum teneri æquum sit: vt cùm tibi caueam, mihi quoque, multis curis implicato, cauere simul videar. quid igitur faciam? nimirum id, quod vnum relinquitur, vt ex amoris in me tui memoria solatium capiam, ea fruar, & eam te absente intuear, alloquar, amplectar, & in exoptata re falli me sinam errore periucundo. atque hæc quidem in perferendo tui desiderio satis commoda ratio est, illa perdifficilis, remunerandi officia tua: quæ cùm libenter, & sæpe cogitem. egregiéque partes

in eo meas animo expleam ; nisi tamen id tibi reipsa aliquando persuadeam, non bene mecum actum existimabo. Extremum illud est, quod à te vehementer peto, vt, quantum mea caussa vis, quem velle arbitror quantum cupio, tantum studij ponas in tuenda mihi beneuolentia, cum qua thesauros non permutauerim, virorum illustrium, sapientissimorum senatorum, Scipionis Simonettæ, Ludouici Macentij, Hieronymi Montij: quorum erga me singularem humanitatem, semel atque iterum salutationis officio perspectam, nulla vnquam apud me delebit oblivio. Aldus filius te salutat, amicitiámque tuam, vt debet, plurimi facit. tu salutem viro optimo, multisque virtutibus ornato, Hannibali Cruceio, dices meo nomine. Vale. Venetijs. 8. Kalend. Maij. 1572.

HANNIBALI CRVCEIO.

Mediolanum. 8

INFIRMO adhuc corpore ob recentem morbum, nec mente, vt verè dicam, satis tranquilla, feci tamen, vt hæc ad te exararem, amore impulsus, quo te sum complexus ante multos annos, cui tu, ne quid addi iam possit humanitate tua, probitate, virtute perfecisti. Ille igitur amor, qui me ad scribendum impulit, idem purgationem tuam, quòd me non salutasses, in discessu, vt indignam vtroq; nostrum, planè respuit. Ego de te, tuorumque valetudine quàm sæpe quæsierim, Ferrarius noster optimus testis est. Atque ille de te ea, quæ volebam scilicet, de filia paulo duriora ; quæ comprobata euentu, teque ætate iam ingrauescente tam graui percussum esse venere, vt debeo, vehementer doleo. ac mihi quidem, partes esse meas veniendi ad te, vt hominis aman-

amantissimi officio fungerer, sæpe tunc in mentem venit: sed cùm opem tibi à me afferri nullam posse; molestiam verò fortasse aliquam posse, intelligerem; essem præterea, vt soleo, imbecillior, tenui me, inuitus equidem, sed tamen tenui. tu certè, cùm iaceres, aut confirmato corpore nondum esses, ad me vt venires, exspectare non debui. non enim is ego sum, qui plus amicis oneris imponam, quàm quantum ipse suscipiam. Ego mihi largior, & hoc in prima amicitiæ parte pono, ne quem colam ambitiosiùs, ne sæpe domum eam, ne tempus mani sermone conteram, ne de lucendi, aut reducendi laborem, & molestiam capiam. Quæ si mihi concedi volo, cur ea tibi, vel alijs eripiam? At etiam purgas te de superiori tempore, quòd sex amplius mensibus, id est quamdiu Mediolani mihi esse contigit, ter aut quater ad me veneris. Id quidem satis ab Hannibale Cruceio fuit, homine publicis muneribus assiduè distento, domesticis etiam tricis impedito, quæ nobis, qui, liberos habere, & patres familias appellari, pulchrum putauimus, negligendæ non sunt. Sed, vt hæc omittam, atque huius generis alia, quæ tibi cum multis communia esse possunt, & vt attingam ea, quæ vel tua propria sunt, vel certè cõmunia cum paucis: nullùmne munus, nullùmne priuilegium habet virtus? ea verò habet, & quidẽ maximum, ne vulgi legibus teneatur, vt sui iuris arbitrijque sit, vt se ipsa fruatur, vt otio interdum, & solitudine gaudeat sint igitur visitationes voluntariæ, sint gratæ semper, & iucundæ, ideo tamen raræ, quia perquàm rarò necessariæ. facessant hæc à nobis vulgaria, mi Crucei, in quibus non modò officiũ, verùm etiã laudem quidã locant: ego inepta, vilia, putida censeo, minimè digna ijs animis, studijsque quæ colimus. viget, & vigebit ipsa per se, externam

opem contemnens, suis fulta viribus, necessitudo nostra absentes, præsentes ijdem erimus: & multa etiam, quibus præsentes sæpe carent, animorum coniunctione, studiorúmque similitudine consequemur. cur enim, quod ipse tibi de me polliceor, & quod libenter præstabo, in te, viro optimo, omniumque humanissimo, non exspectem? Vale, & Ferrario meo salutem. Venetijs. Idib. Maij. 1572.

IOANNI CRATONI.
Viennam. 9

QVA primùm hora in patriam redij, vnde menses aliquot abfueram & valetudinis, & otij causſa, quæsiui statim de filio, ecquid Crato noster? Valet, inquit, & nos amat: deinde, quid tu ad illum de me, quàm sæpe, quam amanter, quid ille ad te scripsisset, pluribus verbis exposuit. vix credas, & cùm salua hic omnia compererim, & eam nurum, quam volebam, ætate, moribus, forma, quantus tamen ex litterarum tuarum humanitate lætitiæ cumulus accesserit. quamquam, cùm mihi iam antea & natura, & consuetudo tua nota sit, peccare mihi videar, & graui admodum scelere obstringi, si, quod ab vtraque abhorreat, & quod vtraque indignum sit, suspicari me vnquam patiar. Nec verò, me quidem id, quod mihi boni contigit, agnoscere, languere autem in gratia referenda, velim existimes. refero enim, mi Crato, referámque dum viuam: at quibus rebus? ijs, quibus te contentum fore scio, memoria, amore, obseruantia. nam reliqua neque tua dignitas, neque fortuna exspectat: neque is ego sum, qui possim paria paribus, aut qui officium potiùs in compensanda re, quàm in ementienda voluntate positum putem. in quo illam capio voluptatem, quòd

quòd filius meus, quę ſtudijs mihi & inſtitutis perſimilem eſſe, fortuna velim paulo meliore, te in oculis fert, laudare non deſinit; ſicut alterum parentem obſeruat, & colit. is excuſat ſilentium ſuum: habet enim, non modò quod aſſiduè agat, verùm etiam quod libenter agat, in nouis nuptijs: quæ ſi quid parient, vel dicam etiam ominis cauſſa quod parient, id tibi, aut qui tuo nomine agat, ſacro lauacro ſuſcipiendum defertur: vt amicitia noſtra, tuis inſtituta non vulgaribus officijs, noſtris ad hanc diem ſtudijs egregie culta, religionem quandam aſſequatur, quæ labem ab ea culpámque prorſus omnem perpetuò remoueat Mediolani abditus in litteras vixi. ſi quæris, quo ſtudiorum genere: explanandis Ciceronis orationibus: quod mihi propoſitum fuit ante multos annos, nunc dandi ſunt dies, tum amicis, tum etiam negotijs. Commentarios in epiſtolps, quę familiares vocantur, conuicio iam propè efflagitatos, debere ſtudioſis diutiùs vix poſſum. id nunc cogito, ad quem mittantur: an ad eum, qui me ornauit ea dignitate, cum qua nullas opes confero? tu ſtatue: ad te enim refero, cui vel prudentia, vel amore erga nos quem anteponam, habeo neminem. Vale. Venetijs. 11. Kal. Maij. 1572.

HENRICO ET CAMILLO Caetanis. Perusiam. 10

ACCIDIT incommodè, vt, quo ego tempore ad vrbem veni, negotij quidem cauſſa, ſed maximè ſtudio noſtræ conſuetudinis ex interuallo reguſtandæ, vos, eodem fere Perusiam ex vrbe diſceſſeritis quamquam cur ita loquor? rectè vos, & ſapienter feciſtis, iſtam ſalubritatem ſecuti, vrbe relicta anni tempore difficillimo, quod pro mea in vos ſin-

gulari beneuolentia sanè vehementer lætor. mecum autem actum est incommodiùs, qui vestro adspectu, vestro sermone caream, ex quo summam voluptatem spe, & cogitatione præceperam. at potest hoc sarciri litteris. qui potest? habent enim litteræ suauitatem, sed, vt ego sentio, minimè cum ea, qua præsentes fruimur, conferendam: vel quod infamiliari sermone arripere licet argumentum ex quacumque re, quæ gratissima libertas est: vel quòd in voce, oculis, vultu est quiddam, quod amemus magis, non modò quàm in litterarum notis, sed sæpe etiam, quàm in rebus ipsis, quæ litteris explicantur. quo molestiùs careo sermonibus vestris, qui præsertim fore suspicer, vt circiter idus Sept. fratris iam his caloribus, quibus maiores non meminimus, cum filia, quam ante biennium ægra valetudine discedens in cœnobio sacrarum virginum reliqueram, in patriam reuertar, hoc si euenerit, spe mea frustratus, fortunam accusabo; vos quidem animo complectens, dum de vestro erga me amore, dum de moribus, dum de virtute cogitabo: quòd mihi nec ipsa fortuna, nec vlla dies vmquam eripiet; facilè, vt spero, consequar, vt quasi officium meum ex aliqua parte persoluerim, ita dolor, & desiderium ex aliqua saltem parte leniatur. Valete. Romæ. 6. Kal. Sext. 1572.

CAMILLO CAETANO.

Perusiam. 11

DILIGENTIAM litterarum verus amor non desiderat. itaque, quòd per biennium nec ego ad te, nec tu ad me quidquam scripseris, vtrumque nostrùm libenter omni culpa libero. te quidem etiam vehementer laudo, quòd à iure ciuili, in quo perdis-

perdiscendo totus es, ab ijs artibus, vnde manat decus, officij minimè necessarij caussa deflectendum non putasti nam, quod ad me attinet, vixi cum veteribus musis, fortasse parum vtiliter, sed tamen vixi. quamquam quid vtilius, quàm rectè vălere? id ego peregrinatione, & libero quodam vitæ genere, si minùs quàm optabam, at certè plusquàm sperabam: sum assecutus. videras hic me diu languentem: vidi ego sæpe dolorem tuum: quo quidem amoris argumento ita sum lætatus, vt medicinam præstantiorem nullam senserim. nunc beneficium illud tuum, fratrisque tui Henrici, omni laude, quæ cadere in adolescentem possit, ornati, tueor, vt æquum est. & tuebor memoria sempiterna: officijs etiam gratum fore me dicerem, si modò vestra vel fortuna, vel virtus officium à mea tenuitate vllum exspectaret. De Antonio Persio scripsi ad filium, diligenter. non dubito, quin, vbi opus esse intelliget, eò curam, operam, industriam suam omnem conferat, neque id magis, vt mihi obsequatur, quàm vt à vobis gratiam ineat, atque adeo, vt hominem excellenti virtute prædium eo sibi conciliet officio, vnde in homines quam plurimos, & in multas ætates haud minima diffundetur & propagabitur vtilitas. Vale, & salutem fratri plurimam Romæ. 5. Id. Quinct. 1572.

HORATIO CARDANETO.
Perusiam. 12

CVM ante aliquot annos excellere te cognouerim ijs artibus, quas qui non diligit, hominem vix puto; & cùm ad hanc laudem ornamenta morum, probitatis, humanitatis, id quod paucis admodum contigit, addideris: quid est. quod malim, quàm

sic amari abs te, vt me tibi parem animum reddere, tèque mihi carissimum esse tibi persuadeas? amoris autem signa cùm à te multa sint, hoc eiusmodi est, vt eo maximè delecter, quòd me Perusiam inuitas, & quasi de vetere nomine appellas. ais enim promisisse me, nec promissum soluisse. ne tu bona memoria es, quam tamen amor in me tuus aluit, & confirmauit. at mihi id exciderat, vel quia tunc ratione temporis consilium mutare sum coactus: vel quia leues culpas vetus amor facilè dissimulat. nunc in summa tibi obsequendi voluntate vide quid obsistat. ego, si cum vno alteróue puero iter haberem, expeditus nullo negotio excurrerem ad te, quid autem iucundius, quàm Caetanis meis, tibique non modò id optanti, sed etiam exigenti dies aliquot dare? sed exiguo comitatu, cùm filiam virginem ducam, tot dierum viam conficere, quàm honestum sit, tute cogita. Accedit illa molestia, quòd duas lecticas, diurna mercede conductas, quaternis scilicet scutatis in die, vltra præscriptum à lecticarijs tempus remorari non licebit. breuis enim mora ferri posset: sed in vestra consuetudine, vestrisque sermonibus, addo etiam in lauta, nobilique ciuitate, biduum horae esset. Habes meam causam: quam, non video, cur non probes. nam, quod ad animi voluntatem attinet, tu vt cupidior mei videndi sis, quàm ego tui, numquam conceserim. Vale. Romæ. Id. Sext. 1572.

M. ANTONIO CIOFANO.
Sulmonem. 13

VASCVLO æreo, quod ad me Hercules frater tuus heri attulit, nihil amabilius, neque id vsu magis ipso, quàm operis elegantia. equidem, Sulmonenses

nenſes homines valere ingenio ſatis antea cognoueram, hoc artificij genere ceteris hominibus antecellere, vix vmquam putaſſem. nunc perſpecta induſtria, illos laudo, te de iſto munere vehementer amo. Nos hîc, fracti caloribus maximis, languemus, ego in primis, tenui admodum & infirma valetudine. itaque ingenium, artemque, ſi tamen ingenij, aut artis aliquid in me eſt, non, vt ſolebam, in litteras, & ſtudia, ſed anni tempore coactus in vnam valetudinis curam confero: &, ſi quid proficio, quæ doctrina præſtantior? vos iſtic, niſi me fallit poeta veſter, gelidas vdas, eáſque vberrimas, habetis. nimirum iſtuc eſt viuere, ſi cui cælum eiuſmodi contingat, vt hieme tepeat, æſtate refrigeretur. quod ſi vtrumque non licet, vel alterutrius optio detur: ordinem naturæ non equidem contemno, verumtamen æſtiuam temperiem, nec, vt arbitror, iniuria, longè prætulerim. nam frigoris acerbitas camino luculento, pellita veſte, cibi etiam ratione mitigatur: caloris leuandæ moleſtiæ, pauci ſunt, qui ſine periculo remedium inueniant. eſt igitur, cur tibi gratuler, cui contigerit id, non modò quod ego pluris facio, ſed fortaſſe etiam quod re vera pluris eſt. ego ſi dignus amore tuo, dignus etiam dolore ſum, cuius ad naturalem imbecillitatem vix ferenda robuſtioribus æſtus incommoditas acceſſerit. Vale. Romæ. v. Kal. Sext. 1572.

HORATIO MORONO. 14

EPISTOLA tua, ſermonum tuorum ſimilima, quàm me affecerit, qua voluptate perfuderit, quem ad meam ſuperiorem erga te voluntatem cumulum addiderit, nec mihi verbis explicare, nec tibi mente conſequi facile ſit, ô miram prudentiam, ſuauitatem,

tiam, ſuauitatem, elegantiam! equidem antea te non vulgariter amabam, vel quòd Ioanni Morono Cardinali, præſtantiſſimo viro, cuius in me exſtant merita quamplurima, propinquus eſſes: vel quòd ore, ſermone, moribus modeſtiam ſingularem præte ferres. nunc verò, cùm ex epiſtola tua, quàm longè per eloquentiæ rectiſſimam viam ingenio, ſtudio, induſtria proceſſeris, intellexerim, neque ſolùm, qui nunc es, verùm etiam, qui futurus aliquando ſis, conjicere potuerim: ita ſum amore incenſus, nihil vt vmquam ſenſerim ardentius. & quamquam hæc adoleſcentiæ tuæ tam præclara principia gratulationem potiùs, quàm cohortationem, requirant: in eam tamen partem neſcio quo modo libentiùs delabor, vt te horter, ac rogem, ne contentus communi laude ſis, ne mediocribus acquieſcas, ne præſtantiam naturæ tuæ languere vmquam ſinas, ſed eam ita exerceas, vt, quod adhuc feciſti, & quod facturum te eſſe non dubito, ætatem ſemper virtute vincas. in eo ſi putabis omnia ſumma eſſe collocata; mihi crede, omnia ſumma ad te confluent. quæritur enim cum labore virtus: ea verò ſine labore omnia conſequitur: quod qui ignorant, aut qui aliter ſentiunt, nihil habent in vita firmum, nihil ſtabile, dubia ſemper fortuna vacillant, nulla re perpetuò fruuntur. Vides autem, opinor, non eum te eſſe, cui liceat vtrumuis. nam obſcuro loco nati ſi dignum laude nihil præſtant, vitio non datur: domeſticis enim latebris deſidia regitur: à nobilibus autem quaſi debita res exigitur virtus: eam ſi habent, verè nobiles dicuntur: ſi ſecus, illa ipſa à maioribus accepta nobilitas dedecus & culpam auget. te familiæ tuæ claritas ad gloriam vocat: tibi rectũ atque expeditum iter oſtendit: deflectere te, aut offendere nuſquam patitur. quæ tamen proponenda

tibi

tibi ne sint, effeciſſe iam videris: totus addictus liberalibus diſciplinis, totus incumbens ad ea, vnde verum decus, & vera nobilitas exoritur: vt, qui tua ſtudia planè nouerit, is tecum gratulatione potiùs, quam ego omiſeram, quàm cohortatione, vtendum eſſe iure putet. A me tamen quæ dicta ſunt, ſic in bonam partem accipies, ſi priùs, eum eſſe me, tibi perſuaſeris, qui tuę laudi, tuiſque ſtudijs libentiſſimè ſeruiat: hoc enim ſi credes, res ipſa te profectò numquam fallet. Vale. 18. Kal. Sept. 1572.

ANTONIO FVRNARIO. Neapolim. 15

QVOD felix, fauſtumque ſit, iterum Romæ ſum, id mihi, non dicam inuito, (quis enim inuitus, honeſta præſertim conditione, Romæ ſit?) ſed certè nec opinanti contigiſſe, velim credas. nam, cùm poſt obitum Pij quinti, Pontificis Maximi, quo ſedente neſcio quo meo fato ſecundis vti ventis haud ſatis mihi vmquam licuit, eo conſilio ad vrbem veniſſem, vt nubilem iam filiam, quam hic, biennio antè æger diſcedens in cœnobio celeberrimo, ſacris commendatam virginibus, reliqueram, in patriam ad nuptias reducerem, exceptus incredibili omnium lætitia, precibus amicorum, ſuaſu Cardinalium, iuſſu GREGORII 13. Pont. Max. cuius ex mente, propter ſanctitatem, ac ſapientiam honeſta omnia, vtilia, ſalutaria proficiſcuntur, ſedem hic ſtatuere, & redeundi conſilium abjicere ſum coactus. quod tibi, mei amantiſſimo, qui me olim diſcedente doluiſti, ſignificandum putaui. Videre enim mihi videor tuum vultum, cùm hæc leges. vtinam tu quoque videres animum meum, dum

hæc

hæc scribo. tua lætitia mihi lætitiam affert: in amore pari, qui tuus est sensus; idem & est, & esse debet meus. mutuæ voluntatis fructus non apparet: quid tum? non ij sumus, qui amicitiam vtilitate metiamur: iam pridem erudiui animum, & docui, vulgaria quædam contemnere, in bonis, doctisque viris fortunam non quærere, sola virtute, quæ nulla re indiget, nullam extra se appetit, contentum esse. in quo tuos sensus meis cum sensibus congruere, neque dubito, & vehementer gaudeo, Vale. Romæ. 12. Kal. Oct. 1572.

MARTINO BERZEVICÆO. Patauium. 16

EGO verò & postremis Cratonis litteris respondi, contra quàm tu existimas; & illius epistolam, tum quia testis esset amicitiæ nostræ; tum quòd ita scripta, vt ad elegantiam parum, ad prudentiam certè nihil posset accedere, vna cum meis imprimendam curaui. quod tamen antea familiaribus meis, vehementer petentibus, excluseram. nunc id ei submolestum fuisse, indicant litteræ tuæ. in quo summam eius modestiam agnosco. meæ quidem cogitationes, præter illius laudem, nihil spectant. quod si aliter ei persuasum crederem, vitam mihi acerbam putarem. nemo est, cui me magis debere & confitear, & gaudeam. Volumen epistolarum mearum, cùm valetudinis caussa ab vrbe discederem, dedi negotium filio, vt ad eum mitteret. nec mandatum neglexit. amat enim, obseruatque Cratonem pro suis erga nos officijs, æquè propemodum, ac me ipsum. Quod ais, Patauij cùm essem, adire te ad me, nisi Pinello duce, ausum non esse; cùm tamen Romæ perhumaniter à me esses acceptus: id equidem valde sum miratus. tibi tua virtus aditum facilè patefecit ad amicitiam meam. vtinam is sim, qui præ-

præstare aliquid tua causſa possim. ambigere te non pateret de animo erga te meo. Filius te salutat. Vale. Venetijs. 12. Kal. Sext. 1571.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER DVODECIMVS.

CAMILLO PALÆOTTO. Bononiam. 1

AIN tu? litteras ego sine nomine, præsertim ad te, quem tanti facio, quanti fortasse neminem? equidem erratum meum vix agnosco. itaque peto à te, vt mihi litteras illas remittas: quo simul intelligam, de emblemate quid scripserim: si modò is ego sum; qui aliquid scripserim. valde enim in hoc quoque perturbor. Quod ais me rursus in bellum: ominare, quæso, melius. ego enim quietem, ego otium, ego studia mea & vrbi, & vrbanis rebus antepono, sed si & vrbe, & simul studijs meis frui licet: quis erit tam iniquus rerum æstimator, qui mihi non concedat? otij quidem adhuc, quantum optaui semper, tantum conceditur. negotium sponte nullum suscipiam. imponetur; feram, quoad licebit, id est, quoad instituti mei ratio permittet. nihil enim malo, quàm posteris prodesse. in eo mihi diuitiæ, in eo sunt omnia, quòd si non assequor id, quod propositum est: me tamen ipsum,

ipsum, conari, & velle, delectat. vtinam consuetudine tua ne carerem: nam, ea si accederet, in cœlo essem. voluntas vtrique nostrum eadem fuit, facultas defuit. Vale. Romæ. 13. Kal. Oct. 1572.

EIDEM, Bononiam. 2

AGNOVI erratum amanuensis: in quo tamen subaccuso negligentiam meam. nam si scribere, est officium: omnes officij partes complecti, eius est, qui cùm vehementer amet, tum etiam amare vehementer debeat. eum autem esse me si profitear, & prædicem; quod vtrumque facio, faciamque dum viuam: non est, cur me quidquam dare auribus, aut gratiæ caussa fingere, quisquam putet. tu enim is es, cuius in me ornando studium eiusmodi semper fuit, vt, non modò quantum possim, sed plus etiam quàm possim, tua debere caussa mihi videar. ideo fit, vt, si quid in minimis etiam rebus aut omittam, aut committam, scelerisque propè loco ponam. tu autem cùm dissimulas, mihique ignoscis, ingenium simul & humanitatem declaras: nec me tamen culpa, curáue liberas. ego enim, cùm tibi de ista facilitate agam gratias, ipse tamen mihi non ignosco, aut ea tenus ignosco, vt aliquo dolore non caream. Villula tua, non est, cur à me quidquam exspectet, cùm in te ipso sit, quod aliunde quæris. atque illa quidem, vt arbitror, tecum, si posset, ita loqueretur. Ego te tessum vrbanis curis recreo: ego otium, ego tibi valetudinem restituo. à me fruges, à me poma, à me etiam auiculas & palato gratas, & stomacho vtiles, habes. denique aut, hic dum es, viuis, aut numquam viuis. nunc tu me orna, quod potes. noli pati me ad quemquam confugere, aut cuiquam debere, nisi tibi, cui libenter debeo. Has voces, mi Camille, quas

tacita

scita videtur emittere, noli contemnere: refer aliquam gratiam benemerenti: vt, quid tu illi, quid illa tibi debeat, omnes intelligant. quam enim tu vnus optimè nosti, quis, nisi tu vnus de ea optimè loquetur? Vale. Romæ. 13. Kalend. Decemb. 1572.

EIDEM, Bononiam. 3

DE oleis quid exspectas? eadem, quæ antea, adspectu pulchræ, sapore perquam gratæ pleniores etiam, quàm anno superiore, cæline munere? an tuo delectu? visæ sunt. agerem gratias, si tua ferret humanitas, & nisi iam inter nos, pro vetere amicitia, ac familiaritate, putidum id esse videretur. tuam quidem industriam, quòd eas tua manu seueris, atque alueris, nec admirari satis, nec laudare possum. quod verò eius industriæ fructum ad amicos etiam absentes peruenire vis, & quòd in eo me numero locas: vtrique nostrum æquè gratulor. nam de nomine, oleæne poma sint, in quo tu mihi, susceptæ grammatici personæ, quasi litem intendis, ipso a te munere delinitus non contendam. quamquam, si nuces & amygdalæ, quæ ipsæ quoque oleum efficiunt, poma sint; quod, opinor, non negabis: cur oleas inter poma referri non liceat, haud equidem intelligo. sin tu, de earum nobilitate laborans, vt ferè suum opus amat omnis artifex, fruges appellari mauis: indulgebo non inuitus: ne te mihi, tamquam tuis muneribus detrahenti, subiratum liberalitatis tuæ cum aliquo fortasse eo damno pœniteat. Vale. 5. Non. Ian. 1573.

EIDEM.

EIDEM, Bononiam. 4

QVAE mihi res maximæ curæ fuit, & in qua meas omnes cogitationes, omniáque studia fixeram, & locaram, ea cùm ex animi sententia, diuino fauente numine, successerint, litteris tibi, mei amantissimo, significandum putaui. Vnicam filiam, inter sacras virgines educatam, non habetem ingenio, nec paucis, nisi me fallit amor, virtutibus instructam, iuueni optimo satis honesti loci, haud postremi ordinis in iure ciuili, adeo etiam, quod hodie potissimùm requiritur, à fortunæ bonis non imparato, meis reclamantibus, de sententia tamen fidelium amicorum despondi. hoc tu meum consilium, pro vetere nostra necessitudine, tuáque æquitate, non dubito quin & probes, & omnibus optimis prosequare. equidem onus Ætna grauius deposuisse mihi videor: speróque fore, vt, quod reliquum est vitæ, vacuo curis animo tranquillè degam. Quæris, vbi. Romæ, si per valetudinem licebit. nam hieme fere tota mecum actum est non optimè, communi tamen pituitæ morbo, quo robustiores etiam laborarunt, alij periculo, alij sic, vt decesserint: in quibus fuit is, cuius obitu dolendum est maximè, poetica laude insignis Amaltheus. mihi eadem, quæ antea, victus ratio medicina fuit: nec dum audeo institutum mutare propter anni tempus inæquale. in publicum, nisi necessaria re coactus, numquam prodeo: domesticis me finibus teneo: & cum libellis, id est cum amoribus, & delicijs meis, iucundissimè viuo. Orationem pro Archia cum meo commentariolo scire cupio an acceperis. absolui iam in reliquas omnes, duabus exceptis pro Ligario, & Deiotaro: quàm bene, alij iudicabunt, magno certè cum labore,

labore, opera numquam, nisi per morbum, intermissa. Quiddam etiam explanare sum aggressus, &, vt se principia dederunt, videor aliquid præstare posse. assentor mihi fortasse. nam sua quisque amat : verumtamen hîc omnes, præsertim qui litteris excellere putantur, initium, quod ad te mitto, valde probant. Cardinalem, fratrem tuum, veteris exemplum innocentiæ, columen sanctæ sedis Apostolicæ salutari à temeis verbis, magis opere cupio. Vale. Romæ, x i i. Kal. Martij. 1573.

EIDEM, *Bononiam.* 5

Sic tu par pari. ego de filia mea paulo antè collocata, nunc tu de tua significas. cuius rei quæ tua lætitia sit, meus me sensus admonet. equidem cum ea voluptate, quam cepi superioribus diebus, quam spero diuturnam fore, prorsus nihil confero. &, quia te pariter affectũ existimo, mirabiliter gaudeo. postulat enim noster amor, ego secundis vt rebus tuis æquè læter, ac meis, tu meis vicissim æquè læteris, ac tuis. Gozadina familia vel doctrina, & sapientia, vel honoribus, & rebus gestis præclari nominis est, generi tui pater is & fuit in omni vita, & nunc quidem is maximè est, cui præferri nemo integritate, ingenio, dignitate conferri possint admodum pauci. filius adolescens, ex omni à te, tali viro, iuuentute probatus, atque electus, non dubito, quin & parentis, & maiorum suorum laudibus egregiè respondeat. Quocirca tibi, vt debeo, de ista coniunctione vehementer gratulor: eámque Deum Opt. Max. ita fortunare volo, vt maiorem quotidie tui consilij fructum, voluntatémque capias. Quòd autem, abiecta rerum vrbanarum

curâ, otium & solitudinem cogitas: ignosce, non assentior. tu ne, cum auctoritate valeas, virtute excellas; cùm ita factus à natura sis, ita liberalibus disciplinis institutus, vt prodesse patriæ, laborantibus amicis opem ferre, familiam tuam, illam quidem satis claram, adhuc tamen illustrare possis; tu hæc deseres omnia, vt vni tibi viuas? obsecro, quis probabit? vel dicam etiam, re permittente, quis non improbabit? ego sanè, qui tenatum rebus maximis iampridem intellexerim, si feceris id, quod significas, vt salutem curiæ, foro, negotijs dicas, probabo, fortasse ominis caussa, qui tibi cupiam, quidquid agas, ex animi sententia succedere; sensibus tamen quin angar intimis, impetrare à me non potero. quid ceteri, quid sentient? quid loquentur? nam, etsi genus illud vitæ, quod orduis, totum cum virtute coniunctum, reprehendi posse non videtur: tibi tamen, vt opinor, multo minùs quàm alijs pro tua superiore vita, benèque de omnibus merendi præclara consuetudine, conceditur. At ego me litteris totum tradidi. id enim objicies. Diuersa, mi Camille, ratio est. ego enim, quod præstare posse videor, homo à rebus gerendis alienus, valetudinis incommodæ, non magni animi, id libenter vnum ago & quidem in vrbe Roma. quod tu minaris, vtin deserta solitudine, interpellante nemine. quod beneficium optatum antea potiùs, quàm speratum, nunc à Pontifice optimo, ac liberalissimo, ad excitanda doctrinarum ingenuarum studia mirè proposito, GREGORIO XIII. acceptum, meminero, & prædicabo, dum viuam, fortasse etiam scripta mea, me mortuo loquentur, & obscurum posteris esse non sinent. Ego igitur si cum libellis assidue sum, & hoc non modò ad naturam, verùm etiam

ad

ad valetudinem meam apto vitæ genere delector: peccare me non arbitror. Te tua nobilitas, animi non minor, quam ingenij, præstantia, spectata sæpe virtus, ipsa patria vocat ad eas res, vnde laudes oriuntur maximæ: vt, quod tibi vitæ reliquum erit, non priuatis humilibúsque curis in remota villula, montanáque crepidine, sed actionibus nobilissimis in oculis, & in auribus clarissimæ atq; eruditissimæ ciuitatis perpetnò traducas. quod si feceris, aut si non omninò neglexeris: medium enim quiddam est: magnopere cùm tua, tum communi etiam multorum causa lætabor. Vale, & fratri tuo, integerimo, ac sapientissimo Cardinali, & Sigonio, nostræ ætatis ornamento, ad illustrandam antiquitatem, salutem à me plurimam. Romæ. 1573.

EIDEM, *Bononiam.* 6

Post grauem trium ferè mensium, morbum, nunc denique incipit esse mihi paulo commodius. nec tamen adhuc vel eo, quo solebam, stomacho, vel ita firmo vtor capite, vt cogitandi, aut etiam legendi laborem sustineam, gradum verò facere sine sensu doloris, aperto nuper educendis humoribus leuo crure, neque dum possum, & conari, supra quam vires patiantur, non audeo. quæ quoniam fieri quotidie mitiora sentio; aliquam in dolore voluptatem capio: cùm præsertim propè aniuersarius hostis valetudinis meæ iam abierit autumnus. Oleis tuis, quibus me, quocumque loco sim, carere non pateris, in quo tuam benenolentiam agnosco, fruar cum filia, & genero. simul enim viuimus, & planè viuimus. ego autem parcè, quia nondum firmus offensiones

etiam minimas extimesco, illi comedent liberiùs, quia rectè valent, nec in cibis plus minúsue dijudicant. De me ipso dixi: de rebus meis quod ad te scriberem, noui nihil erat. omnia fere sunt eadem quæ antea, hilaria satis, & prospera. ampla nō dixerim, ne mentiar. quamquam hoc vulgi more loquar. nam, si ampla sunt ea, quibus maiora non expetimus; amplissimis opibus fruor. nihil enim deest, quod natura desideret: quod autem natura non desiderat, abesse facile patior. Vale. Romæ. Id. Dec. 1573.

ANTONIO FVRNARIO.

Neapolim. 7

VALDE sum lætatus lætitia tua, humanissimis, & ornatissimis litteris expressa. amoris enim index est. amari autem à te, quo nihil amabilius, siue probitas, siue doctrina cogitetur, quis tanti non æstimet, quanti ea, quæ summa sunt? nec verò, quamquam voluntatis erga te meæ nullus adhuc quidem fructus exstat, à me tibi gratiam non referri, debes existimare. nam, etli disiuncti satis longè sumus, & congrediendi, colloquendique facultatem interualla locorum impediunt, meus tamen in te animus est, de te sæpe cogitat, de te etiam nec mediocri voluptate, secum ipse nonnumquam ipse loquitur. &, si tu, amare, & colere, officium esse putas; officia tibi mea numquam deesse, testis ipse mihi sum. Citrea, quæ mittis eo, mihi gratiora sunt, quòd, vt mitteres, non te magis instituti tui memoria, quàm amor admonuit. quod autem addis, eis stomachum imbecillum confirmari: cupio verum esse, idque mihi persuaden facilè patior: quandoquidem & hoc medicinæ genere nihil suauius: &, stomacho si valerem, hac

fere

fere valetudine, præsertim iam senior, contentus esse possem. nam, vt robustioribus me conferam, optare non debeo: cùm id mihi natura semper: nunc etiam ætas deneget. Vale. Romæ. 4. Non. Octobr. 1572.

EIDEM, Neapolim. 8

VIX credas, & memoria nostri tua quàm delecter: & eas, quas mittis, epistolas, quibus ipsa memoria declaratur, quàm libenter legam. Ego enim hoc mihi primum ab ipsa natura videor accepisse, vt amari vellem à tui similibus: qui quidem hodie (ne assentari me putes: à quo vitio longè absum) quàm pauci sint, qui rectè iudicant, mecum omnes intelligunt. accessit ratio, quæ voluntatem auxit, atque in hanc partem quasi propendentem impulit. hoc mihi bonum, id est amicitiam tuam, cum tua mihi vltrò detulerit humanitas, quam à me putas facilitatem præferri? atque adeo cur non in hoc ipso felicitatem esse maximam existimem? Est igitur, cum & ipse mihi gratuler, & tibi gratias agam. quorum alterum perpetuò à me fit: alterum vt fiat, à tua singulari benignitate non conceditur. Munusculo tuo, cùm hæc inter nos minimè necessaria sint (quippe omnibus muneribus mutua, præstat beneuolentia) nihil tamen gratius. Vale, Romæ. 17. Kalend. Febr. 1573.

EIDEM, Neapolim. 9

AMABO te, mi Furnari, quid tibi in mentem venit? an tu me vis muneribus obruere? ego enim illa scripseram, non vt peterem, sed vt admonerem,

spectans videlicet illud tempus, quod adhuc quidem longè distat. amoris hæc nimirum interpretatio fuit. amor autem errare non potest: aut, si errat, gratificandi voluntatem secutus, & bene merendi studio ductus, quis tam insipiens, aut rerum tam iniquus æstimator est, qui non eum laude potius, quàm reprehensione dignum ducat? Cotonea sanè ipsa, tum celeriter ab te missa, mihi accidisse per quam grata, nec possum negare, nec debeo vtar ijs, vt consueui, post cibum, libenter, vt egregie conditis, vtiliter, vt remedio pituita laborantibus aptissimo. O te amicum optimum: tantúmne? immò etiam medicum suauem, qui curat simul & delectat. qualem qui reperit, si eum in oculis non fert, cum humanitatem ignorat prorsus, tum sua ipse diligere commoda non videtur. Vale. Komæ. 3. Kalend. Feb. 1573.

MEDICOS omnes de conditis coteneis audio sentire melius, quam de citreis. itaque posthac quando tu, vt video, tuum institutum retinere vis, nec ego contra disputo, illa malim propter valetudinem, sic tamen, vt pura sint, non cum aromatibus, & sicciora densa, quam tremulo coacta gelu.

IOH. CRATONI.

Viennam. 10

EPISTOLAM tuam, à te datam XVII, Kal. Nou. accepi VII. Kal. Dec. eo sanè gratiorem, quo minus hoc tempore expectatam, noui enim, quàm vacuus numquam sis, non tam a tuo munere, quam ab amicorum negotijs, quæ ita suscipis, vt

vt sustineas, donec ad exitum perferantur, scripsisti igitur amore impulsus, & omnia vicit humanitas tua: quo tibi nomine debere me multum dicerem, nisi tantum iam deberem, quantum persolvere vix possim. Romam qua causa adductus venerim, scripsit, opinor, ad te filius: quæ retinuerit, à me cognosce. atque hoc primùm, quod tibi pro tua in me singulari benevolentia maximè voluptati fore non dubito: incredibili sum exceptus hominum lætitia. Pontifex ipse, præclarè in optimas artes animatus, cognito aduentu meo, læti animi signa ostendit, negotiumque Cardinalibus dedit, vt ita mecum de mansione agerent, ne discedere paterentur. noli quærere, quàm sim lætatus: non qui libenter abessem à meis, quibus mihi dulcius in vita nihil est: aut quo penderem ab iudicis honoribus, qui ne iuuenem quidem mouerant vnquam, ne nunc senem: sed vt homines, obliti superiorum temporum, eundem in vrbe Roma, qui semper fuit, virtuti locum esse perspicerent. parui rogantibus, cognita præsertim Pontificis voluntate. stipendium satis per se tenue, in quo meam facilitatem nonnulli reprehendunt, cum libertate & otio maximum vi letur. nihil oneris imponitur litteris, vt in solitudine, frui licet, &, vt spero licebit. vnum, aut alterum Cardinalem bis in mense, tertue summum, vel quia me diligunt, vel qua virtute excellunt, salutare consueui. Cælum idem experior, quod antea, humidum, graue, inæquale: nec tamen valeo deterius, quàm in patria; vel quia, quod te virum doctissimum non fugit, hilaritas animi corpori medicinam facit; vel quia me domesticæ tricæ sollicitum non habent: vel fortasse etiam propter vina, quæ sunt hic ex omni genere optima pituita carere iam non possum, sexagenarius,

laborem scribendi, aut legendi fere numquam intermittens. Vereor, si longior epistola sit, ne tibi molestiam afferam: nisi si hæc ipsa tibi molestia maior est, quòd excusatione tecum vtar. A te igitur peto, vt quemcunque Cæsar oratorem in de mortui locum Romam mittet, ei me de meliore nota commendes. dicerem significationem amoris in me tui commendationem fore omnium grauissimam: cùm nemò sit, quin facilè diligat, quem diligi à te sentiat: sed egóne tibi præscribam, homini omnium, quos in vita nouerim, humanissimo, & prudentissimo? Vale. Romæ. Kal. Dec. 1572.

IO. SARIO ZAMOSCIO. II

MVLTORVM mensium aduersa valetudine vexatus, omni prorsus carebam legendi, scribendique facultate. quod eo mihi in primis nomine permolestum est, quia, multis ad me scribentibus, respondere sine valetudinis incommodo vix possum. nam, etsi depulsa vis est morbi: pristinas tamen vires desidero, & capitis infirmitas non modò litterarum, sed propè sermonis vsum adimit quotidiani. Dabis igitur, mi Zamosci, veniam homini tui amantissimo, qui te pro ingenij doctrinæque præstantia summis ornare laudibus numquam desinit, si ad tuam elegantissimam epistolam hoc vnum rescribo, rescribere me tibi pluribus verbis hoc quidem tempore non licere. nam, cùm licebit, persuade tibi, non esse me commissurum, vt debitum humanitati, amicitiaque nostræ officium non persoluam. interim hæc pauca, vt recenti morbo. vacillantibus litterulis. Vale. Romæ, Non. Dec. 1573.

VBERTO

VBERTO FOLIETÆ. 12

ETSI tu is es, cuius ingenium & virtus neque meum, neque cuiusquam omnino testimonium desideret: tamen vel amor in te meus, vel ipsa veritas adduxit, vt exstare vellem de tuis Elogijs iudicium meum, non tam apud te, qui te ipsum egregiè nosti, quàm apud omnes gentes, atque adeo apud ipsam posteritatem, quæ de studijs ingenijsque nostris, expers amoris & odij, pro cuiusque merito sententiam feret. Ego enim tua scripta & legeram ante multos annos, & ita probaram, vt ex ijs, qui tunc excellere putabantur, tibi neminem anteferrem: nunc, vt verè dicam, non vt gratiæ caussa tuis auribus largiri quidquam velim, hæc de tuis Liguribus illustris, & diligens, & ornata commemoratio ita mihi placuit, vt, qui conferri tecum hoc in genere possit, prorsus neminem esse iudicauerim. nam ex vniuersa Italia, aut ex multis prouincijs multarum virtutum exempla colligere, id quod ex veteribus multi, ex recentioribus nonnulli fecerunt, haud sane magni negotij videtur esse: ex vna verò ciuitate, & ex vna satis angusta regione tamquam ex vberrimo fonte multos haurire, qui vitæ sanctitate, qui militari gloria, qui reipublicæ administrandæ scientia, qui solertia & inuestigandi nouarum rerum, nouarumque gentium studio, qui etiam litteris & eloquentia floruerint, hodiéque floreant, admirandum quiddam est, & immortali laude dignissimum. in qua cogitatione dum versor, non tam equidem patriæ tuæ gratulor, quòd eos ciues tulerit, qui tantas res generent, aut qui insigni aliqua laude inter ceteros eminerent, quàm

quòd

quòd tu, incredibili quodam erga tuos amore incensus, ad eorum memoriam ab interitu vindicandam ingenium artemque conuleris. viuunt enim nomina, consumptis corporibus, excellenti scriptorum industria: &, si præconem virtus inuenit, elucet; eo si caret, obscuratur, & exstinguitur. Quo circa vel ijs ipsis, qui ornati à te sunt, quorum hodie nonnulli sua gloria viui perfruuntur, vel eorum posteris tanti debet esse munus, officiumque tuum quanti semper à fortibus ac sapientibus viris æstimatam nominis æternitatem videmus, qui eam non modò laboribus, ac periculis, verùm etiam vita, ac sanguine quærendam putarunt. Et, vt aliquid de meo sensu, cùm alumnum disciplinæ meæ, præstanti virum ingenio, natum maximis rebus, ornatè dicendi, scribendique facultate, siue Latina lingua, siue communis Italica spectetur, nemini prorsus ætate nostra concedentem, proprij elogij laude decorasti, etsi debitum in eo virtuti, præmium persoluisti, me tamen pro mea in illum singulari beneuolentia, qua voluptate lætitiaque afficeris, quo tibi beneficio deuinxeris, nec mihi verbis exprimere, nec tibi cogitatione consequi facillimum sit. Ac tu quidem materiam cepisti nobilem, & præclaram: sed, vt ea speciosior, & iucundior, &, vt ita dicam, se ipsa maior sit, eloquentiæ tuæ præstantia consequeris. omitto reliqua, ne sim nimius: nam sua quidque laude dignum est: sed in principijs tam multis tantam varietatem, tam splendidam, tam elegantem quis non admiretur, aut quis vidit vnquam? in ceteris enim elogiorum partibus tui nunquam non similis, id est grauis, & sublimis, & ornatus, ita hac verò tantus es, vt in illis certare cum alijs, in hac te ipsum vincere voluisse videaris. Macte

vir

vir ingenio, atque virtute optimè de patria merite, cui tot ciues, tot heroes, tot principes, communi fatorum lege ereptos, vel temporis incuriam timentes restituis, atque conseruas. nunc illa te suæ studiosum dignitatis, publici cupidum commodi, verèque suum alumnum agnoscit: nunc amplectitur absentem: nunc incolumem, florentem, beatum exoptat. quæ tibi merces vna pietatis in illam perpetuæ præstantissima videtur. Vale. Romæ, ex ædibus, pridie Kalend. Decemb. 1572.

CÆSARI ORLANDO. 13

NIHIL abest à natura mea longiùs, quam vel assentari, quod sui commodi spe plerique faciunt; vel inambus verbis tempus conterere; quod eius est, qui minimè sua bona nouit, quique secum sibi, & suis, tum etiam ciuibus vniuersis, & patriæ natum obliuiscitur. Ego, mi Cæsar, cùm vtrumque nostrum æqua lance perpendo, cur ipse tibi assenter, caussam video esse nullam. tu enim tua virtute, ego mea fortuna contentus viuo. si quis didicit esse blandus, vt alterum capiat: eius artificio locus apud te non est. Ego autem, si assentatio mercedem spectat, aut emolumentum aliquod aucupatur, nihil habeo, quod à te exspectem, aut quod petam præstantius beneuolentia tua. at eam adeptus iam sum: adeptamque tanti facio, vt nihil anteponam. amari enim ab homine excellentis ingenij, summæ probitatis, cogitationes curasque suas omnes ad vnam virtutem referente, iurisconsulto denique eruditissimo, non ex recenti barbarie, sed ad illam doctrinæ veteris elegantiam exculto; amari, inquam, abs te, tali viro, & frui beneuolentia tua, ipsum per se optabile est. cùm verò ab eadem beneuolentia multa

mihi

mihi quotidie commoda nascantur: quid est, quod me tibi debere non confitear? mitto reliqua: illud omnium maximum nec meminisse, nec prædicare vmquam desinam, quòd mihi non solùm bibliotheca tua, omni propè referta librorum genere, sed ea, qua excellis, doctrina ita patet, vt, si quem ex his commentarijs, quos in Ciceronis orationes diu noctúque texo, posteras fructum colliget, eum tibi ex aliqua parte acceptum referre debeat. Sunt enim quædam. amissis duodecim tabulis, omni pænè formularum, responsorum, edictorum exstincta memoria, ita complicita, & inuoluta, vt, nisi singularis Iurisconsulti scientia, vsu confirmata, aucta ingenio, adhibeatur, explicari, & euolui vix, aut ne vix quidem interdum possint. Agerem tibi gratias de isto munere, si vel tua pateretur humanitas; vel ego is essem, qui bene de me merenti verbis potius, quàm re, satisfactum esse vellem. memoria tuebor officia tua, donec illucescat ille dies, vt referre gratiam liceat: quod si assequar: non dubito, quin tu, quem tibi hominem adiunxeris, cùm intelligas, tua præstanti liberalitate, benéque agendi consuetudine vehementer lætere. Hæc interim, cùm de officio meo cogitarem, facere non potui, quin ad te scriberem: quamquàm & à studijs meis inuitus auellerer; &, vt verè dicam, non me tuus tantùm, sed meus etiam pudor ab hoc argumenti genere, quod totum ad tuam laudem pertinet, haud mediocriter auocaret. Vale. Ex ædibus. Prid. Non. Ducemb. 1572.

MAXIMO ZABRERÆ. 14

SI quis est, qui tuam humanitatem, tuosque mores

mores & probè notit, & laudare loco numquam desinat: eum esse me, velim existimes. verumtamen, cùm ego diutiùs, quàm studia fortasse tua patiebantur, eo, quem superiore mihi æstate commodaueras, libro sim vsus, nonnumquam mihi, ne tu durius id acceperis, venit in mentem suspicari. adire ad me solebas: nec in officio tuo mediocre beneficium erat: quippe tua suauitate exhilarabar: delectabar ingenio: doctrina etiam, in qua mentiar si tibi quemquam ex æqualibus tuis anteponam, nonnihil interdum & leuabatur labor meus, & adiuuabatur industria. hæc nisi restituis: nimium à te grauis errato meo, si modò erratum esse vis, pœna constituitur. Longè, inquis, habitas. Fateor: nec tamen vltra mille passus. at memini, cùm ad templum Diui Petri, vt es religioni deditus, maximèque pius, itare quotidie soleres. præclara consuetudo: quæ si manet, incommodi nihil mea caussa susscipies. non enim deuiæ sunt ædes meæ, ab arce sancti Angeli recta euntibus ab Basilicam beati Petri propemodum occurrunt: sia autem intermissa est, & te sanctæ Mariæ templum, quam Mineruæ vocant, magis tenet: impetrare tamen debet amor in te meus, non dicam, vt quotidie vnà simus, sed certè, vt adspectu me, & sermone tuo, semel in mense frui sinas. Hæc, mi Maxime, ita velim accipias, vt, si te delectant, seriò; si quid offendunt, ioco dicta credas. ego enim cùm eo sum ingenio, vt incommodare velim nemini: tum eo erga te animo, vt tibi multo minùs; quàm ceteris. amo scilicet, vti debeo, studia tua: occupationes noui: breuitatem dierum video, addita præsertim tempestate, ventis, frigoribus, imbribus infesta. Gabriel frater tuus, omni laude ornatus adolescens, de quo,

ita

ita viuam, vt sæpe cogito, vt valeat, quid agat, quam spem reditus afferat, scire vehementer velim: ad quem cùm litteras mittes, ita cupio salutem adscribas meis verbis, vt amari se à me non mediocriter intelligat. Vale. ex ædibus. Pridie Idibus Ianuar. 1573.

M. ANTONIO CIOFANO.

Sulmonem. 15

LAETARI te, quòd Romam venerim, valeamque post itineris laborem satis commodè, cùm etiam atque etiam gaudeam, minimè tamen miror. Facit hoc amor in me tuus, illo primùm tempore, quo inita inter nos amicitia est, mihi non obscurè perspectus, quotidie postea ijs illustrior officijs, quæ si patiar ex animo meo deleri, peccasse mihi valde videar. At gratiam non refero. Non arbitror te id spectare: quæ tua humanitas est. nec ego quidem ex eo molestiam capio, qui mihi sim conscius voluntatis in te meæ, & si qua tui dabitur ornandi facultas, eam prætermittere non cogitem. Herculem quidem, fratrem tuum, tibi & probitate & virtute similimum, dum hic ero, omni officiorum genere complectar. Laudibus ijs, quas in me confers, non quòd is sim, qui gloriosa capiar, sed quòd eæ quoq; ab amore proficiscuntur, magnopere delector. Vale. Romæ. 5. Kal. Quinct. 1572.

AVGVSTINO ANGELELLO.

Fabrianum. 16

PERSVADE tibi, nihil mihi gratius, aut iucundius esse posse litteris tuis, & quia pure in primis, ornateque

nateque loquuntur, & quòd amorem in me tuum, perſpectum illum quidem à me antea, clarioribus tamen argumentis quotidie magis oſtendunt. Inſcriptiones miſi ad filium. iſte tuò merito amat, & gaudet muneribus tuis. mihi lanè, quas proximè miſiſti, valde probantur. Onuphius ad te ſcripſerat meo nomine, vt mitteres ad nos ea, quæ nos olim ad te miſimus. tu nihil dum reſpondes. quid putemus? humanitatem, & diligentiam tuam non requiram. eſt enim vtraque mihi probè cognita. quid ergo eſt? occupationibus diſtineris: quæ tamen adimere tibi noſtri memoriam non debent, quemadmodum nec ipſe in magnis curis & negotijs tui poſſum obliuiſci, quamquam litteris tuis interdum non reſpondeam. quod ſi tu deteriorem in partem non accipis, facis quod amicitia noſtra dignum eſt. Vale. vij. Kal. Iun. 1573.

BRANCONDIO OPHIDANO. 17

Est omnibus à communi parente naturæ tributum, vt amari velint à ſui ſimilibus, & in animorum ſocietate, & coniunctione multum ponant. Ego autem, quorum eminet virtus, & quibus in ipſis ea ſunt, quæ præciduum quendam amorem concilient, eorum amicitia nihil optabilius, nihil eſſe præſtantius, exiſtimo. atque ego te, vel hominum ſermone, vel, tuis litteris, ornatiſſimè ſcriptis, adductus in horum numerum libenter aggrego, mihi autem vel maximè gratulor, quòd ita te ſentire video de ſtudijs meis, vt mihi tantum largiare, quantum ſi agnoſcam, aut ipſe me parum noſſe, aut, quos mea mihi fines moleſtia præſcribit, eos præterire longè videar. nec tamen contra tuam

benigni-

benignitatem disputo: potiùs eam amplector, atque amo. quòd si res tulerit, vt referre gratias possim, in his præsertim rebus, quæ ad tuam laudem pertineant: dabo operam, vt eo te esse apud me loco, quem tua virtus postulat, intelligas, & in magna tui amantissimorum hominum copia me tamen eorum nemini concedere. Vale. Romæ, Prid. Non. Nouemb. 1572.

PAVLI

PAVLI MANVTII
PRAEFATIONES,
QVIBVS LIBRI.
AD ILLVSTRES VIROS AVT AD AMICOS MISSI COMMENDANTVR.

PAULI MANUTII

PRAENOTATIONES,

AD MATTHÆVM SENAREGAM AMBROSII FILIVM, IN EPISTOLAS CICERONIS QVAE FAMILIARES VOCANTVR. 1

TVONE, Matthæe Senarega, an meo dicam felici contigisse fato, vt, relicto Louanienſi celeberrimo gymnaſio, quò, tamquam ad mercatum bonarum artium, virtutis & eloquentiæ comparandæ cauſſa, concesseras, Venetias te hoc potissimùm nomine contuleris, quòd noſtri, vt ipſe dicere ſolitus es, videndi & cognoſcendi mira quædam te cupiditas incenderat? tu quidem, ſi tuum ſenſum attendo, vis me hoc tribuere fortunæ tuæ. nam, quòd ita euenerit, non modò vt ad amicitiam, & conſuetudinem, verùm etiam ad conuictum, & contubernium meum tibi aditus patuerit; in eo quaſi tibi quiddam expetendum contigerit, ipſe tibi gratulari plurimum ſolitus es de quo, non eſt meum ſtatuere, verè ne ſentias, an ſecus. at illud meum eſt, paucis oſtendere, cur tu contra mihi cariſsimus, iucundiſsimuſq; ſis. & quòd nunc in meis ædibus mecum habites, mecumq; viuas, in eo ego quoq; meæ felicitatis aliquid agnoſcam. nam, ſi tu ita de me ſentis honorificè, quòd iudicio mouearis; æquum eſt mihi à te concedi, vt ego de te non minùs verè, quam tu de me, iudicare poſsim. ſin iſtam tibi de me opinionem peperit humanitas: me quoq; non ſolùm natura, ſed ipſa iam ratio docuit, præclarum eſſe humanitate

nitate excellere. itaque de me libenter in eam partem, vt homines officijs colam, laudibus exornem, re, si opus est, pro mea tenuitate sustentem. Sed mehercule ego de te, mi Matthæe, à vero animi mei sensu iudico: nihil me gratia, nihil afficit ambitio. Primùm, cùm aliquoties mei salutandi causa domum meam venisses, pellexisti me in amorem tui, comitate morum, & lenitate sermonis: deinde, quod iam non tibi modò, verum & alijs petentibus negaueram, atque excluseram, vt ego te domo reciperem, eloquentiæque studijs erudirem, multis precibus vsus peruicisti. Nec mihi tamen, quòd tibi, meorum sermonum cupiditate flagranti, meamque domesticam consuetudinem petenti, satisfecerim, adhuc venit in mentem pœnitere: quin, quo plus ad nostrum conuictum accedit temporis, eo maiorem è tuis moribus, tuisq; studijs haurio suauitatem. non enim tam hoc in te laudo, quod certè in adolescente summa laude dignum est, quòd à studio doctrinæ non te suis illecebris voluptas, non commodum, ne ipsa quidem valetudinis ratio deducit; quàm illud & admiror, & prædicare satis pro dignitate non possum, quòd in tuis cogitationibus hæc tibi prima est, & antiquissima, vt Deum optimum maximum, à quo vno, quæ verè bona sunt, emanant omnia, humanis rebus, quæ fluxæ nimis, infirmæque sunt, longe omnibus, anteponas. Perge adolescens optime in hoc præclaro diuinoque sensu. hæc est omnium rerum vna nobilissima, vna, mihi crede, quæ omnium Philosophorum scientias, vna, quæ omnium Regum opes facilè vincat. quare tu quidem oblecta te, quod facis, eloquentiæ studio: in qua, quo modo principia se dant, futurum auguror, vt breui superiorem nemiuem, aliquando ne parem quidem habeas

habeas. sed illud stet in primis, neque vmquam excidat, omnium virtutum Pietatem in Deum esse fundamentum. ac vide, quot inde tibi bona fluant. Primùm, tuæ saluti consulueris egregiè. animi salutem appello, non corporis. decet enim nos æternam potius illam vitam, omni felicitate circumfluentem, quàm hanc, quæ temporum spatijs definitur, miserijs numquam vacantem, cogitare. deinde, patrem tuum, qui, vt audio de multis, atque etiam de te ipso, humanam prudentiam præ diuina religione nihil esse putat, incredibili voluntate lætitiaque perfundes. cui quantum debeas, non ex eo solùm intellige, quòd pater est; sed quòd is pater, qui te filium vult esse inter tuos ciues omni re florentem, atque honoratum; qui te consilijs à puero sapientissimis eruditit; qui te suo exemplo, suo optimis institutis, ac tactis ad laudem quotidie vocat. Tali patri, tam probo, tam tui amanti, tam libenter suas omnes curas in te consumenti, curare debes, vt id, quod reliquum est vitæ, per te sit incundissimum. quod ita consequeris, si statueris, quibus artibus ideo nunc operam das, vt aliquando ceteris hominibus elegantia sermonis, & scientia rerum antecellas, earum artium infirmam esse gloriam, nisi perpetuò erga summum Deum amore studioque fulciatur. mihi quidem, cui tu carissimus esse aut vis, aut certè ita videris velle, vt mihi persuadeas, magis vlla re placere non poteris, quàm si te in eo, quod instituisti, vitæ innocenter & cum virtute degendæ studio constantem, tuique similimum videro. Et, vt iam nunc intelligas, quos in animis hominum amoris igniculos vera virtus accendat; scis quintum abhinc mensem mihi tecum nihil fuisse, te mihi numquam visum, ignotam mihi tuam faciem; obscurum nomen. nunc, apud me quo loco sis,

intelligere te puto. paucissimis diebus ex conuinctu consuetudo, ex consuetudine amor, ex amore familiaritas exortr. itaque tecum & sæpissime sum, quod sub ijsdem rectis necesse est; & admodum iucundè, quod ea, quæ in tuis moribus elucet: probitate consequeris. Et, quoniam is ego sum, qui, quò me voluntas ducat à ratione profecta, eò libenter sequar; gessi morem animo meo, tacitè hortanti, vt hanc meam ad te amandum propensionem non modò tibi, sed, quatenus quidem per me liceat, reliquis etiam hominibus illustri aliquo officio ac munere declararem. cumque tulisset casus, vt hoc tempore Ciceronis epistolæ familiares, eæ, quas tu iam legendo & peruolutando trinisti, denuo typis, vt nunc loquimur, essent imprimendæ: peropportuna ad id, quod volebam, visa res est. nam, hunc librum si cum tui nominis inscriptione publicarem, putaui me facere quiddam, quod vtrique nostrum æquè conueniret: tibi, quia ex his primùm Ciceronis epistolis ad Latinæ orationis elegantiam informamur, ex his primus eloquentiæ quasi succus, qui qualis initio fuerit, permagni interest, ebibitur: mihi, quia, cùm hic liber omnium fere versetur inter manus, circumferet, id quod ego cupio, tuum nomen & meum de te iudicium, meam que spem quàm plurimis ostendet. quorum alterum est eiusmodi, vt ego tibi nunc ex æqualibus tuis neminem in vllo genere laudis anteponam: altera, cùm ætate processeris, ea mihi de te pollicetur, quæ si euenerint, (omnium autem rerum euentus in Deo positus est) vir eris inter viros maximus, habebit à te familia tua memoriam nominis sempiternam, patria verò exemplum in ciuitate virtutis excolendæ præclarissimum. Venetijs. 1554. mense Maio.

AD

AD CAROLVM PISAVRIVM LEONARDI FILIVM IN EPISTOLAS CICERONIS AD ATTICVM. 2

BENEFICIORVM, Carole Pisauri, non eadem omnium est ratio. multi, quid detur, spectare solent, sua quidque magnitudine metiuntur, nihil attendunt præterea: ego potiùs, quibus de caussis, & à quo homine detur, animaduerto: ac, si quid in aliquem, aut in me ipsum collatum est gratiæ, tanti soleo æstimare, quanti videtur is, qui contulit, æstimandus. hinc fit, vt quæ à patre tuo, viro sapientissimo, & cùm alijs laudibus ornato, tum verò omnium, quos ego in vita nouerim, humanissimo, quæ ité à patruo, qui nuper magno bonorum omnium mærore mortuus est, Ioanne Maria, Paphi Episcopo, excellenti non minùs doctrina, quam bonitate, prædito, diuersis temporibus in me profecta sunt officia, ea quamquam summa non fuerint, (neque enim tulit occasio, neque rationes meæ postularunt) pro summis tamen acceperim, & earum rerum loco duxerim, quas qui possident, beati existimantur. fons enim ille, vnde manarunt, amor fuit, & cum amore iudicium, quod vterque de me habuit: quod equidem, si potero, tuebor officijs: studio certè, omniq; prorsus cura, atque industria bonum virum, meritorumque memorem præstabo. quod si liceret ingenium cum voluntate coniungere: vt alterum alteri responderet, & cupiditati vires equarentur: illustrarem beneficia vestra; ac fortasse efficerem, vt gratia mihi à vobis aliqua deberetur, gratiam persoluenti. verum, vt, hoc quidē ab infirmitate mea sperari minimè posse,

non solùm intelligo, verùm etiam ingennè confiteor: sic illud facilè polliceor, vereq́ue affirmo, si quid autiam est in me facultatis, aut erit aliquando, ijs, in quibus assiduè versor, studijs partum, & vigilijs, velle me id in omni mea vita, quantumcumque erit, seruire totum vestræ laudi, tuæ præsertim; quæ cùm à meis præceptis, & consilijs originem duxerit, exornabo eam, tamquam opus meum, quibus potero artibus, qua licebit industria; florentemq́ue pulcherrimis virtutibus alumnum disciplinæ meæ cùm inspiciam, gratulabor vtrique nostrum pariter, fructumq́ue amoris & studij veteris in te mei ex tua gloria vberrimum capiam. Ac tu quidem, mi Carole, cùm tibi nasci contigerit ex ea familia, in qua semper verus honor, & splendor virtutis enituit, nihil debes humile cogitare, nihil angustum, nihil obscurum, aut inane. excelsa petat animus tuus, ampla, illustria, plena dignitatis, & gloriæ. quò te semper à tua prima pueritia mea vox incitauit; quò pater tuus, cuius ad te cogitationes curaq́ue referuntur omnes, assiduè cohortatur, quò denique te vocant maiorum tuorum exempla; quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obscurabit oblivio. non enim, si præstiteris ea, quæ à te exspectantur, quæ maxima sunt, nouum in tuam familiam decus inferes: antiqua renouabis, præclaramq́ue consuetudinem retinebis in tua domo laudis expetendæ, exercendarumq́ue artium optimarum: quibus instructos, vtiles fuisse patriæ ciues, sibi & familiæ gloriosos, de tua gente multos, si annales euolueris, inuenies. Verùm, quando te sacris addixisti, & illud vitæ genus complexus es, quod est totum in laudabili ratione, totum in præclaris cogitationibus & factis constitutum; non te libera voluntas, vt alios ad honestum rectumq́ue ducit; sed, quo te primùm

die

die ad religionem contulisti, eodem die legem ipse tibi imposuisti perpetuæ continentiæ, exclusisti rerum inanium cupiditatem; Velle ad solidam laudem omnia referre, velle summi Dei gloriam in omni vita, id est tuam salutem, spectare professus es. Quare non tibi monitores, quorum te moueat oratio, exspectandi: ipse te excita, ipse acue, & impelle. multæ sunt propositæ adolescentibus viæ, fallaces, obliquæ, insidiosæ, oculis iucundæ, specie quadam obiecta voluptatis: in quibus errare quotidie vides, & labi, ducem sequentes libidinem, non rationem, de tuis æqualibus quàm plurimos. tu viam virtutis ingredere, simplicem, rectam, apertam, principio fortasse difficilem, atque asperam, exitu certè salutarem, & gloriosam. hanc, inquam, viam, signatam, & impressam vestigijs proborum sanctorúmque virorum, si vis ipse tibi carus esse, si vis ipse tibi rectè consulere, vnam ingredere: aut, si ingressus iam es, curre per eam celeri gradu ad ea, quæ te manent, præmia immortalitatis. Hæc ego, pro meo in te amore singulari, veteréque erga parentem tuum studio, scriptis tecum ago, quæ sermonibus & libentius agerem, & sæpius, si liceret. sed, quando te Patauij tua studia, à quibus abduci non debes, me Venetijs mearum rerum ratio, & valetudinis detinet infirmitas: proficiscetur ad te mea vox, his consignata litteris: quæ tecum erit perpetuò, vbicumque fueris, te prosequetur, quocumque iueris. nec verò dubitaui, quin ea tibi paulo gratior esset futura, coniuncta cum Ciceronis voce, id est cum ijs epistolis, in quibus cum Attico, familiari suo, non minùs grauiter. & sapienter, quàm eleganter, & splendidè loquitur. fructum, vt spero, capies ex vtraque non vulgarem. ego enim, vt velis optima, te hortor; Cicero volentem

adiu-

adiuuat; ornat enim eloquentia, consilijs instruit sapientissimis. nam disputat sæpe in his epistolarum libris, sermone perquàm eleganti, de statu reipub. de vitijs Principum, vnde fluunt exitia ciuitatum, de vicissitudine fortunæ. qui tibi erit, accuratè legenti, sapientiæ fons vberrimus. A me verò munusculum hoc habebis, meæ in te voluntatis & studij argumentum. exiguum, inquies. fateor: sed velim spectes animum, non rem: quam tamen ne ipsam quidem debes contemnere, siquidem eiusmodi est, vt tuas, tuorumque laudes, à me non expressas, sed tamquam tenui penicillo designatas, simul cum beneuolentia mea cunctis gentibus patefaciat. Venetijs. 1558.

AD BENEDICTVM ACCOLTVM, RAVENNAE CARDINALEM, IN ORATIONVM CICERONIS PARTEM PRIMAM.

MAXIME esset optandum, Accolte clarissime vt, quæ olim à doctissimis viris magno labore, magnisque vigilijs sunt elucubrata, ea nostram ad ætatem peruenire omnia potuissent. artium plurimarum scientia, quarum adiumento ad vitam rectè instituendam indigemus, non desideraretur. verùm ita casu nescio quo accidit: vt ex ijs scriptis, quæ veteres illi, homines sapientissimi, reliquerunt, non solùm multa prorsus interierint, sed etiam, quæ in hanc diem seruata sunt, ita deprauata, ita mutila legantur, vt sæpissimè vix, aut ne vix quidem intelligi possint. hoc incommodum pater olim meus magna ex parte sustulit. cuius industria multos excitauit, vt, eandem rem aggressi, iacentem litterarum laudem

laudem pro suis quisque viribus subleuaret, quod si alij fecerunt, tantum æmulatione gloriæ permoti: certè, cur ego id faciam, hoc plus habeo causlæ, quòd, cùm pater studiosis id, quod in hoc genere promiserat, morte præuentus præstare non potuerit, hoc me nomine ita appellant, quasi ad filios soleat non paternæ solùm rei, sed voluntatis etiam hereditas peruenire. hæc me, vt debet, opinio multum mouet, sed auctoritas tua plurimum: quam ego tanti soleo facere, vt, quamcumque tu probas rationem, ea demum & vtilis mihi, & honesta videatur esse. tu igitur cùm ad hoc posteritatis adiuuandæ studium nos & vehementer, & sæpe sis cohortatus; effecisti, vt in eam rem tanto alacrius incumbamus; quanto pluris apud me tua, quàm reliquorum omnium consilia sunt. quòd si labore, studio, diligentia profici in hoc genere quidquam potest, vt certè potest: magnopere spero fore, vt neque te officij tui in me admonendo, neque liberalitatis in adiuuando pæniteat. cuius rei quasi specimen erit hæc prima Ciceronis orationum pars, quam, ex veterum exemplarium collocatione diligenter emendatam, in manus hominum sub tuo nomine emittimus. nam, cùm vsu, & consuetudine ita comparatum sit, vt, quibus rebus Principes viri delectentur, in ijs rebus multi suum studium probare velint; ex quo fit, vt ab aliis canes, ab aliis equos, aut aues nobiles dono dari videamus: commodè me facturum existimaui, si quid ego eius generis ad te mitterem, quod omnibus te præferre voluptatibus intellexissem. soles enim quotidie fere à grauissimarum artium tractatione, in hæc studia, quæ sibi ab humanitate nomen adsciuerunt, quasi in hortum amœnissimum, diuertere: vbi te modò oratorum & poetarum flores,

modò

modò dulcium amicorum colloquia mirifica delectant: vt præter id temporis, quod valetudini dare soles, quod sanè pusillum est, hora nulla sit, quam non litteris, cum virtute traducas quam tuæ vitæ rationem qui ignorant, mirantur scilicet, vnde illa tibi in aduersis rebus fortitudo tanta, vnde animi robur illud inuicti, quod ne illa quidem ipsa, quæ in rebus humanis Fortuna dominatur, vllo pacto poterit infringere; contra cuius vim duplici te præsidio muniueris, artium maximarum cognitione, & mentis optimæ conscientia. hæc est aliarum virtutum, qui te sunt multæ, quasi princeps, & regina quædam; vt in alijs neminem tibi anteponere, in hac ne conferre quidem possim. Nam de prudentia, de pietate, de iusticia, ne videar assentari, nihil dicam: ne de liberalitate quidem: quæ tamen ita nota est, vt non, qui eam laudet, assentator: sed, qui non laudet, maleuolus existimetur. cùm enim hæc dandi beneficij ratio eiusmodi sit, vt nulla certior ad laudem, nulla item magis lubrica videatur via; propterea quòd in beneficijs collocandis plerique fortunam hominum spectare solent, vt eandem gratiam, aut etiam cum fenore recipiant: non est, quod in hoc te labi quisquam arbitretur; cùm & rarissimè contingat, cuiusquam opera vt egere videaris, & tu tamen quàm plurimis, ob eximiam naturæ tuæ liberalitatem, atque amplitudinem, benignè facere & soleas, & possis. & cùm de omnibus ad bene merendum natura es maximè propensus: tum verò ipsa te ratio atque doctrina ita conformauit, vt ad eos honestandos, qui se ijs artibus, in quibus ipse excellis, dedidere; tuum soleas studium libentissimè conferre. quæ quidem humanitas & beneficentia tua non sane video, qui possit in vllo maior esse,

quam

quam in me tuendo fuit. quæ est est enim à te res, quę ad meum commodum attineret, prætermissa? quis diligentius est adhortatus, vt hanc restituendæ antiquitatis laudem, qua pater meus olim excelluit, pænè afflictam excitarem? quis eam ipsam ad rem perficiendam plura contulit? cum etiam magnis Principibus, tui similimis, ita me commendaris, vt, iudicij tui testimonio permoti, non minimis ad se præmijs euocarint. Quæ cùm recordor, etsi me ipsum probè noui, tamen interdum mihi assentor, & mihi aliquid videor esse, quòd à te sim ornatus. hæc me inanis ambitio ita delectat, vt illum dolorem, quem ex difficultate cupio remunerandi; si non tollat, minuat quidem certè. quamquam tu is es, qui te satis supérque remuneratum existimas, si modò id, quod dedisti, ab eo, qui accepit, intelligis memoria teneri: quo in officio præstando, noli credere quemquam esse, qui me vincat & huius quidem rei confido fore vt aliquando eiusmodi à me signa dentur, quæ nullum cuiquam de mea in te voluntate dubitandi locum relinquant: nunc earum rerum, quas ipsi quidem hoc tempore possumus, maxima, primum, vt dixi, Ciceronis orationum volumen in tuo nomine apparebit. omnino neque amplitudine tua, neque ijs, quæ in me contulisti, digna res videtur: sed, vt spero, muneris nostri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo subleuabit.

AD GVLIELMVM BELLAIVM LANGEVM APVD SVBALPINAS GENTES PROREGEM, IN ORATIONVM CICERONIS PARTEM SECVNDAM. 4

MAGNI refert, Bellai, ornatissime, quo quidque tempore

tempore agatur, & ad omnes res non parum habere momentum solet occasio quædam, & commoditas, qua vti dicuntur ij, qui nihil, nisi loco facere consueuerunt. nam, quemadmodum pictorum tabulæ certo loco positæ delectant, eædemque minùs bono lumine constitutæ, non item eorum, qui spectant, oculos tenere solent: sic actiones nostræ, mirum est, quantum opportunitate commendentur: vt interdum plus in tempore, quam in ipsa re, positum esse videatur. quod ego cùm semper iudicassem, tamen non sum veritus, quin tibi, in ijs rebus vel maximè occupato, quas Rex Christianissimus, & post hominum memoriam maximus, tuæ fidei diligentiæque mandauit, hoc ipsum, quod nunc à me proficiscitur, officium futurum esset vel iucundissimum. nam etsi magna tibi est grauissimorum negotiorum imposita moles; quam tu summa tua cum laude, & omnium pæne gentium admiratione sustines: tamen in ipsa illa occupatione ita te litterarum tractatio delectat, vt & legas cum voluptate, quæ alij scripta reliquerunt, & scribas ipse, quæ à posteris cum admiratione perpetuò legentur. ex quo illud consequeris, vt non modò Regis voluntati seruias, quod est summa laude dignum; sed etiam posteritati consulas, quo laudabilius esse nihil potest. itaque tantum abest, vt à maioribus tuis, omni decore affluentibus, ad te ornandum quidquam haurias; vt etiam in re sit, quod ad illos redundet. nam, si tibi aliunde petenda sit laus; vnde plura suppetant ornamenta, quam à fratribus tuis, maximèque ab eo, qui à Paulo 3. ita est in Cardinalium Collegium cooptatus, vt ei summus Pontifex amplissimam dignitatem non quasi optatam concessisse, sed quasi debitam persoluisse videatur? cui quidem viro cùm ad summam gloriam nihil desit; cumque item tibi

ex

eæ res abundè adsint, quibus homines hominibus antecellere videntur: tamen sit vestra bonitate & sapientia, vt viciſſim & tu in illius dignitate, atque amplitudine, & ille in ingenio, atque virtute conquiescat tua. vterque verò magna apud Regem prudentiſsimum, & ſummo iudicio præditum auctoritate, magno eſtis apud omnes nomine, & gloria. nam tu quidem, quis eſt tam longinquus, cui notiſſimus non ſis? non ex præſenti corporis forma, (quamquam multas prouincias Regis legatus obiiſti) ſed ex imagine ingenij tui; quam veriſſimis eloquentiæ coloribus expreſſam in tuis ſcriptis licet intueri. in hac cum & naturæ tuæ bonitas, & virtutis eximia præſtantia cernatur: ſequitur, vt, ex ea qui te norunt, ijdem ament. quorum ego in numero cùm ita eſſem, vt nemini concederem: tamen non eſt credibile, quantum ad illam ipſam animi erga te mei voluntatem addiderit Gulielmi Pellicerij, oratoris in hac vrbe Regij, hominis præſtantiſſimi prædicatio. cuius multi, & egregij de tua laude ſermones me iam antea commotum impulerunt, vt ex orationibus Ciceronis, cuius tu libros è manibus dimittere non ſoles, alteram partem cum tui nominis inſcriptione diuulgarem. qua in parte ab erroribus, & mendis vindicanda quantum operæ, ſtudijque poſuerim mihi ipſe ſum teſtis; quantum autem profecerim, & tu, & alij iudicabunt. tibi quidem, ſi conſequar, vt noſtra diligentia probetur, ſanè meos labores non exiguo compenſatos eſſe fructu exiſtimabo.

AD

AD ALEXANDRVM CÆSARINVM CARDINALEM, IN ORATIONVM CICERONIS PARTEM TERTIAM.

BENE mereri de litteris, etiamsi vtilitas præterea consequatur nulla, tamen præclarum in primis, atque egregium esse semper duxi: quamquam, vtilitatem spectare si volumus, ea demum summa est, quæ ex hoc genere percipitur. fructus enim in posteritatis memoria, & prædicatione positus est, quē nemo vmquam sapiens non pręstantissimum iudicauit. sed hæc bene merendi ratio duplex videtur esse. nam & qui aliquid ipsi scripserunt, & qui alios vel cohortatione vel præmio, vt scriberent, impulerunt, litteris opem tulisse existimantur. quæ duæ res eiusmodi sunt, vt, qui alterutram commodè facit, ei scilicet à studiosis omnibus gratiæ sint agendæ; qui vtramque, ne haberi quidem satis possint. Atque hanc laudem, ne apud veteres quidem sæpe accidit, vt vnus consequeretur: propterea quòd, qui ea virtute, atque fortuna fuerunt, vt & ingenio posteris prodesse possent, & opibus, vt idem facerent, multos adducere; alterum facilè fecerunt, vt eos qui doctrina, & eloquentia valerent, adiuuanda litterarum studia excitarent; alterum facere, vt ipsi monumentum aliquod industriæ suæ relinquerēt, propter rerum gerendarum curam non ita potuerunt. quod item nostris temporibus vsu videmus euenire. nam neque multi sunt, qui præstare vtramque possint, &, qui possunt, ijs ferè, cùm velint, non conceditur. cuius generis exemplum, ne id, quod adest, aliunde quæramus; concede quæso, Cæsarine præstantissime, vt à te sumam; & sine me hoc impetrare

trare à modestia tua, vt ea, quæ sentio, de te dicam. certè enim, qui maiorem aut iuris ciuilis, aut sacrarum litterarum cognitionem sit consecutus, neminem esse constat. neque tamen hæc studia quæ humaniora appellantur, quæ nos adhuc secuti sumus, contempsisti; in quibus etiam diligenter versatus es, vt illa superiora, quæ quibusdam ipsa per se nimis horrida videntur eloquentiæ pigmentis, cùm velles, atque etiam quantum velles, illustrare posses. est igitur in te ipso, vnde posteritas adiuuetur. nec, vt arbitror, voluntas deest: sed otium eripiunt maximarum rerum occupationes. nam, quia tua virtus non humili, neque obscuro loco latet. sed quasi in specula quadam excelsa, atque illustri posita est, vnde opem ostendere bonis omnibus videtur; idcirco homines accurrunt ad te, vel vt consilium, vel etiam vt auxilium petant. itaque negotijs à litterarum tractatione distractus, ex duabus rationibus, quibus initio bonas artes adiuuari posse dixi, alteram inuitus omittis, cùm ipse nihil scribas; alteram studiosè amplecteris, cùm ijs, quos industria vides excellere, nulla re desis. quamobrem Hieronimus Ferrarius, qui se iampridem tibi adduxit, homo & ingenij, & iudicij laude præstantissimus, cùm alia, quæ à te habet, prædicare solitus est, tum illud vel maximè, quòd domi tuæ viuens, te permittente, atque adeo libente, totum diem in litteris ponit, & otio fruitur tanto, quantum deserta in regione vix esset. cuius ex ingenio qui fructus percipiuntur, qui certè maximi sunt, ij sanè tuæ liberalitati referuntur accepti. à te habemus, quæ Ferrarius in veterum scriptis vel correctione restituit, vel explicatione illustrat. à te emendationes in Philippicas Ciceronis orationes, quas ille plurimas, atque op-

optimas ad me misit, quæ iamiamque edentur, à te inquam omnes sunt. itaque etiam eas ipsas orationes, vt à Ferrario, id est à te, restitutas, & quæ præterea in hoc tertio volumine continentur, in quibus ipsi quę malè affecta erant, multa sanauimus; tibi inscriptas, atque dicatas emittimus, vt, quod beneficium habemus maximum, eius beneficij auctorem agnoscamus. & huic libro summum ornamentum Cæsarini nomen, apponatur. quare etiam id, quod iampridem optaui, fortasse consequar, vt, quàm præclare ego de te sentiam, cùm intelligas, tu me eum existimes, quo in amicitiam, vel potius in clientelam tuam accepto, non pessimè sensisse videaris.

AD IOANNEM MONLVCIVM CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIVM, EIVSDEMQVE APVD VENETAM REMP. ORAT. IN CICERONIS ORATORIOS LIBROS. 6

QVOD te non fugit, Monluci sapientissime, præstare omnes ceteris hominibus, sed alius alia re vult. non enim vniusmodi sunt nostræ voluntates; sed, quoniam ex animo, qui variè afficitur tãquam ex typo effinguntur, ipsæ quoque variæ sint & multiformes, necesse est. ergo non eadem omnibus prima sunt. Quoniam verò ex ijs, quæ appetuntur, necesse est aliquid excellat, vt de multis optabilibus vnum optabile maximè sit: quid sit id, quod ego ceteris præstare putem, si de me quæratur, dicam, id quod qui assequuntur, eorum in potestate sensus omnium, animique sunt. id autem sine dubio Eloquentia est: quæ tantum possidet dignitatis vt infrà vel eorum fortunæ, quorum im-

imperium prouinciæ nutúmque sequuntur, me quidem iudice constituantur: cùm ita accidat, vt ab hac quamcumque in partem volentes ducamur, illis inuiti sæpe pareamus. Sed, quoniam quo loco posita laus est, eum locum maximis difficultatibus Natura circumsepsit, vt perueniendi facultatem pauciſſimis relinqueret: non est quare nobis in mentem veniat mirari, cur neque diuturna, neque in multis perfectæ fuerit species eloquentiæ. illud video, cùm in hanc cogitationem mentis aciem intendi, bene dicendi gloriam duabus rebus ali maximè, otio, & libertate. itaque in vrbe Roma, quæ bonorum oratorum quasi fecunda genitrix partus edidit vberrimos, neque ante secundum Punicum bellum, neque post Cæsaris dominationem magnopere fuit, quod in hoc genere probares. Hannibale victo, hostis Italiæ terribilis nemo fuit. tum in vrbe securitas, tum summa tranquillitas orta: tum seditiosorum hominum ingenia popularibus concionibus acuit ambitio. conciones, inquam, eloquentiam perpererunt: nisi quid me fallit ratiocinantem: ratiocinor autem sic, & per hos quasi gradus interrogationis adscendo. Eloquentiæ quod summũ fuit propositum præmiũ? consulatus: qui summus honor fuit. consulatum quis mandauit? populus. populum quis tenuit? concionator optimus. ergo à concionibus exiſtit orator. idémq; sublatis concionibus, nullus fuit. cùm enim ciuilibus armis oppressa Respub. iaceret; vetus consuetudo perijſlet; à populo, cuius potestas vniuersi translata ad vnum esset, non iam magiſtratus, non præfecturæ peterentur: eloquentiæ, quæ populi gratiam honorum spe quæsierat, inanis omnis & superuacanea fuit exercitatio. sic oratoria facultas summorum hominum ſtudijs, exercitationibúsq; culta, cùm à

duobus Gracchis ad C. Cæsaris ætatem, hoc est per annos centum ferè ita viguisset, vt nihil vmquam fuerit illustrius; non effugit rerum humanarum commune fatum: quas vbi ad summum siue industria, siue natura perduxit, retrò ferè præcipiti lapsu reuoluuntur. Imperatores deinde multi rem Romanam exceperunt: quorum ætatibus vestigium veteris eloquentiæ nullum agnoscerem. quid pòst? multo minùs. nam, imperij sede in Græciam translata, crebræ vastationes Italiæ consecutæ; cùm influentes barbararum nationum copias reprimeret nemo tum non eloquentia modò, sed ipsa pænè litterarum memoria funditus deletâ, nec suus est bonis disciplinis honor nisi multis post sæculis restitutus. patrum denique aut auorum nostrorum memoria, cùm exteros mores Italici cæli temperies aliquando ad humanitatem deduxisset, paululum oculos litteræ sustulerunt. doctrina primùm, serius enituit eloquentia nec mirum: doctrinam enim sine eloquentia laudamus; eloquentem sine doctrina rectè intelligens nemo dixit. nunc in oratorum nomine, quod eximium semper fuit, nihilo minor, atque haud scio an etiam maior, quàm priscis illis temporibus, dignitas, & amplitudo est. mittuntur à Regibus ad Reges, aut ad liberas ciuitates, qui non de stillicidijs agant, non de iure fundi; quarum rerum controuersias qui peritè, & copiosè disceptarunt, scimus olim habitos esse eloquentes: sed ea tractent, quæ prudenter disputata, otium gentibus constituere, dignitatem imperij conseruare, terminos proferre possunt. hoc qui præstat, eum ego veteribus oratoribus non comparo solùm, sed etiam antepono. illi causas agebant primùm apud iudices sorte ductos, deinde apud eos iudices, quibus de aliena re, non

de

de sua iudicantibus persuadere orator siue hoc, siue illud haud magno negotio posset. nunc agitur in consilio lectissimorum virorum: agitur ijs de rebus, vnde ad eos ipsos, qui iudicant, maximum potest siue emolumentum, siue damnum redundare: cùm & de publica re iudicent, & in publica, extra quam nihil est, priuata cuiusque contineatur. his probare quæ velis, eo maioris ingenij videtur esse, quò difficilius ab artificio capitur prudentia. itaque, cùm hoc multi voluerint, magnum decus atque ornamentum est eorum, quibus contigit, vt possent; qui sanè pauci sunt: maximum verò, si cui tantum aut natura dedit, aut exercitatio doctrinæ, vt inter hos ipsos emineret. qualem siquis te iudicet, Monluci clarissime, hunc ego rectè iudicare mihi persuadeam. nam, si consideremus, primùm à quo missus orator sis, deinde, ad quos, tum quibus de rebus missus: ita reperiemus, missum ab eo Rege, qui omnes Reges sapientia vicerit, quoniam quidem omnium vnus, quid contra Fortunam virtus posset, maximè declarauit: ad eam Rempublicam, quæ nisi sapientissimorum ciuium copia floreret, semperque floruisset, profectò neque tanta nunc esset, cùm olim minima fuerit; neque tam diu staret, cùm ceteræ Respublicæ suorum ciuium temeritate conciderint: ijs autem de rebus esse missum, quarum quæ magnitudo sit, ex eorum, ad quos pertinent, opibus apparet; quæ tantæ sunt, vt paucorum imperijs distributus terrarum orbis teneatur. Et, cùm hæc legatio tibi perhonorifica fuit; tum illud, ad tui nominis celebritatem longè maximum accessit; quòd cùm à Principe Turcarum Solymano pacem defessa bellis Europa peroptaret, eaque sine Christianissimi Regis intercessione desperaretur; vnus electus, qui

tantum muneris obires, acceptis à Rege mandatis, æstate media, summis caloribus in Græciam nauigasti, pacem vt componeres, optabatur: composuisti: hieme summa difficillimis itineribus, per dispositos equos in Galliam recurristi. Exceptus alia cura, cùm de sedandis inter Regem tuum, Regémque Britannum magni momenti controuersijs ageretur, præfuisti. te consulente, agente, vltrò citróque cursante, abiectis armis pax inter eos firmissimo fœdere constituta. Habes hoc omnino, Monluci, non dico à Fortuna, quam casus, & temeritas regit, sed a te ipso, qui ad consilium & rationem omnia refers, vt in tuis actionibus felix vsquequaque sis. nimirum Sors, quam in rebus humanis dominari quidam sunt opinati, non omnium est æquè communis; sed ipsa sibi virtus propriam fortunam architectatur. non erras, quia non est errare sapientis: & quia sapienter agis, omnia procedunt. bonus etiam orator es, quia bonus vir: ingenium enim probitas commendat; nec minùs mouet, is qui dicit, quàm ea, quæ dicuntur. Quod nisi Latinum sermonem in Italia peregrinitas immutasset: ne tu nobis longo interuallo & Crassus, & Antonios retulisses. sed quoniam ea lingua vtimur, quam multis coeuntibus linguis generatam corrupta consuetudo peperit: veteribus Romanis oratione dissimilis, ingenio simillimus, non tu quidem loqueris vt illi, sed vt illi tamen & sapis, & persuades. Quare non fuit ab re, cùm ego eos libros, in quibus perfecti formam oratoris à Cicerone videmus expressam, mendis antea deformatos, nunc mea correctione expolitos emittere; non fuit inquam ab re, tuo nomini dicatos emittere; vt, quæ de perfecto oratore traduntur, ea perfecti item oratoris titulo cohonestarentur, hoc cùm ita existimassem

quia,

quia videbatur esse aptissimum, feci, & feci eo libentius, quòd, cùm tu mihi & multa iam summæ humanitatis officia tribuisses, & is esses, qui tribuere etiam maiora posses; ego, nisi aliquid, præsertim vbi daretur occasio, retribuerem, verebar, ne, ex duobus maximè insignibus vitijs, alterutrius infamiam non effugerem, vt vel ea viderer, quæ à te accepissem, minùs meminisse, quod à consuetudine naturáque mea alienissimum est; vel ea, quæ sperari possent, negligere; quod quia superbi esset, abest non modò à fortuna mea, sed etiam à voluntate plurimum. Venetijs. 1546.

AD BENEDICTVM RHAMBERTVM IN CICERONIS LIBROS DE OFFICIIS. 7

NON ignoras, Benedicte Rhamberte, sensuum esse quandam in hominibus similitudinem; quæ cùm in consuetudine cognita est, efficitur, vt, inter quos id accidit, amor exoriatur, ab hoc quasi fonte multorum amicitiæ manarunt, multos etiam beneficium cùm obligasset: cúmque id, quod acceperant, memoria conseruatum gratè animo redderent, idque vterque fieri ob ingenij bonitatem, & voluntatis erga se propensionem existimaret, statim est illam opinionem benevolentia consecuta. itaque duæ caussæ sunt, quamobrem homines ament inter se: sed hæc posterior, quæ à rebus externis originem ducit, cùm illa superiore, quæ à natura proficiscitur, nulla pacto videtur esse comparanda. illa enim primùm habet eam suauitatem, qua, vt opinor, & certè, nulla maior est, cùm eos, quibus vtimur, & ijsdem rebus, quibus nos, & æque atq; nos affici sentimus: deinde,

etiam qui in dando & accipiendo beneficio fructus est, eo non eget. nam, si hæc actio bene merendi interdum est, & esse potest in ijs, qui voluntate non admodum coniuncti sunt, quanto facilius exsistit apud eos, quorum animi ita consentiunt, vt, quasi natura hortante, eadem res appetere, ab ijsdem fugere videantur? at verò, qui officiorum commoditatibus adducti in amicitiam coierunt; etiamsi alter alterum initio summè diligat; tamen, si quando accidet, id quod accidere sæpe solet, vt ea, qua diligere cœperunt, caussa tollatur; certè eorum animi pedetentim in amore langueſcent. quo in genere animaduertis, Rhamberte, quàm multi quotidie labantur: de quibus, facile est intelligere quid sentias, cùm ab eorum instituto tua ratio tam vehementer abhorreat. probè enim te, quæ nostra debeat esse in iungendis amicitijs cautio, quæ in ijsdem colendis religio, quod item in omni vita præstandum officium sit, horum librorum quos nunc tibi inscriptos ad te mittimus, lectio erudiuit. sensi in me ipso; quem, ab opibus non magnopere firmum, aut ne firmum quidem, tamen octauum adhuc annum tanto studio es complexus, quantum, qui ab omni re paratissimus sit, remunerando compensare vix possit. cumque rerum mearum status, vt sunt humana, interdum mutaretur, memoria teneo, te numquam immutatum, eandem semper cùm mihi, tum fratribus meis voluntatem, ac beneuolentiam præstitisse. cùm verò maior aliquanto inter nos consuetudo esse cœpisset; quod quidem est factum, postea quàm te in nostram vicinitatem contulisti: facile sentio, ad meam vitam recte conformandam quanto mihi obseruatio tuorum morum fuerit adiumento. collocutiones verò de litteris nostris quid non dicam

delecta-

delectationis, sed vtilitatis habuerunt? equidem, si liceret, totos dies vellem tecum ponere. quarum enim ego rerum cognitione delector, earum in omni genere quæ tui sit iudicij subtilitas, intelligo. sed hanc Latinè scribendi rationem, in qua multi nunc volunt excellere, pauciſſimi possunt, eam verò sic tenes, vt tuis scriptis mihi quidem purius nihil esse videatur. quod eo mirandum est magis, quia tu non, vt alij, diuturno atque assiduo librorum vsu, sed temporum studio subsecinorum, hoc vt posses, consecutus es. nam vt omittam, quod tibi, cuius fidei atque prudentiæ Veneti senatus arcana creduntur, otium non sæpe contingit. ecqui dies est, quo non ex amicis tuis aut consilio tibi aliquis, aut opera, aut etiam re sit adiuuandus? qua in consuetudine retinenda nimium diligens esse dum vis, accidit sæpe, vt tuum potiùs ipse commodum, quàm officij colendi facultatem prætermittas. quod ego me potius facere sum arbitratus, si hæc opuscula in quibus maximè de officio præcepta traduntur, ad te, quem cognoui esse omnium officiosissimum, mitterem. genus hoc, Rhamberte, quoddam est, quo ego eos, qui de me bene meriti sunt, remunerari soleo. perpende rem, nulla videbitur. animum respice, gratissimum dices.

AD DIEGVM HVRTADVM DE MENDOZA CAROLI CAESARIS A CONSILIO. EIVSDEMQ. APVD VENETAM REMP. ORAT. IN PHILOSOPHI AE CICERONIS PARTEM PRIMAM. 8

SVPERIORIBVS diebus, cùm domum tuam veniſſem, vt Benedictum Accolnum, qui apud te diuersa-

diuersabatur, honoris caussa viserem, quem ego hominem, non tam quia Cardinalis est, quàm quia Cardinalatu dignissimus, vehementer obseruo: casu accidit, cùm ego adessem, vt inter vos sermo oriretur ijs de rebus, quæ, ab antiquis ignoratæ, nostra patrúmque memoria non solùm inuentæ sunt, sed ad summam etiam elegantiam perpolitæ. cuius generis cùm Accoltus ita multa commemorasset, vt mihi quidem, credo item alijs, qui aderant, facilè probaret, veterum solertiæ nostrorum hominum industriam antecellere: suggessisti tu, ne de philosophia quidem, in qua tantopere antiquitatem admiraremur, tibi videriesse dubitandum, quin ea posset etiam nunc expoliri, atque ornari; si modò, quæ quisque linguam à parentibus, atque à nutricibus traditam cum lacte simul hausisset, in ea vellet scribere: nunc vsu euenire, vt, externo sermone addiscendo, totam ætatem consumamus: quod si nos à pueritia disciplinarum cognitioni totos dederemus; non esse desperandum, quin & Platones, & Aristoteles aliquando possent existere: non enim & cœlum hoc, vnde spiritum ducimus, idem est, quod olim fuit, & hominum ingenia non eadem esse possunt. prava consuetudo naturam peruertit. quæ, tamquam ager, si colitur, fructus edit vberrimos; si negligitur, exarescit. annos tuiginta ponimus in verbis percipiendis: quantulum spatij restat, vt res ipsas consideremus? licet ad antiquitatē animum referre: num aut Græci illi philosophi, quorum nomen celeberrimum est, ea, quæ ab Ægyptijs acceperant, Ægyptio potiùs, quàm patrio sermone scripta reliquerunt; aut nostri aliena lingua, non domestica, sunt vsi, cùm ea, quæ vel de Græcis sumpserant, vel ipsi pepererant, in vsum posteritatis explicarent? cōstat, apud omnes gentes, qui suas cogitationes litteris

teris mandare voluerunt, eos fere ijs esse verbis vsos, quorum significationē matris in gremio cognouissent. quod item nostra ætate si fieret, facilè cōtingeret, quod tu opinaris, Hurtade clarissime, vt in philosophia veterū inuentis non nihil, vel etiā non parum addi posset. neque enim eos, qui fuerunt, vsque eò cogitatione, ingenioq; processisse existimandum est, vt ijs, qui futuri sunt, quod præterea cognoscerent, nihil reliquerint. multa latent adhuc, retrusa, atque abdita in immensitate naturæ: quæ eliciet, & euocabit in lucem, si quis inuestigandis rationibus, & perscrutandis rerum caussis ab ineunte ætate suum studium dederit. quod ab ijs fieri commodè non potest, vel potiùs nullo modo potest, quibus nō ea lingua, in qua alti educatiq́ue sunt, sed ea, qua veteres vtebantur, scribere consilium est. quorum tu si probares institutum, quotusquisq; tecum esset in eo laudis genere conferendus? tenes enim perfectè Latinam linguam, tenes Græcam, Arabicam, alias præterea. scribis tamen, vt in patria tua loquuntur. in quo video quid spectes. quod pater tuus egit, vt optimè de Hispania mereretur; id tu alia quadam ratione consequi vis. ille enim, cùm annum ageret vix dum quintum & decimum, qua ætate milites in exercitu pauci solent esse, omnium approbatione, qui exercitus regeret, electus, Beaticæ Regem, bis acie fusum, regno exluit, & quæcumq; in eius ditione fuerāt, Catholici regis imperio potestatiq; subiecit. Aliam tu ornandæ, atq; amplificandæ patriæ tuæ rationem iniusti profers enim, quantum in te est, Hispanicæ linguæ terminos; &, vt ea non solùm verbis, & nominibus, sed etiam rebus, & scientijs, per te locupletata ab exteris nationibus, appetatur, ingenio doctrináq; cōsequeris. quod nescio an omnibus patris tui victorijs, atque triumphis sit ante-

anteponendum. nam, etsi, populos bello superare, & imperium augere, præclarum est: tamen mihi cum animo meo consideranti multo melior videtur esse conditio litterarum, quàm regnorum: hæc enim in varus hominis fortuna posita sunt, & vnius sæpe culpa extinguuntur, illæ viuunt, & vigent quotidie magis, neque vlla temporis circumscriptione terminantur: itaq; magni & excellentes viri, qui bellicæ laudis gloria florerent, cùm earum rerum, quas gessissent, memoriam non satis fore diuturnam sperarent, nisi ab hominibus ingenio præditis celebrarentur: eos, qui id præstare possent, non vulgaribus præmijs affectos, in honore summo, atque etiam in amore semper habuerunt. Quo mihi illorum laus videtur esse illustrior, qui & res præclaras manu gerere, &, quæ gesserint, litteris custodire ipsi possunt, quo in numero fuit soror illa tua præstantissima femina: cuius militaria facinora cùm audimus, cuiuis eam nostræ ætatis viro animi magnitudine comparamus: cùm autem ea, quæ scripsit, legimus, vel antiquis scriptoribus ingenij præstantia similimam iudicamus. Huiusmodi cùm in tua familia mulieres existant, de viris quæ sunt speranda? quàquam fratres omnes tui, tuque in primis, ea, quæ sperabantur, iam præstitistis. itaque Carolus Imperator vestra potissimùm virtute, vestraque fide nititur. nam fratrem tuum, Marchionem de Mondesar, qui ceteros ætate antecessit, cùm alijs in rebus, tum in victoria Tunetana, equitibus leuis armaturæ, & classi maximæ præposuit, magno suis rebus sentit esse adiumento: alterum autem, Episcopatu Lunensi ornatum, summè propter eruditionem, & prudentiam diligit: tertium Indicis prouincijs Proregem: quartum Hispanicis triremibus præfecit: te primum sibi voluit esse in consilio: deinde, cùm difficultatem

quan-

quandam temporum pænè fatalem impendere, & ea, quæ cogitabat, sine summa prudentia non esse tractanda intelligeret, vtium è maximo numero delegit, qui apud Venetam Remp. id muneris orator sustineres. quo quidem in munere clarior indies significatio tuæ virtutis elucet. nam ad vtium rerum, quo vales plurimum, addis doctrinæ cognitionem: quam à libris petitam, grauiore in caussa consilium capere si vis, explicas, vt, proposito præteritorum rerum exitu, cautior præsentium sit deliberatio. quod quoniam maximè præstant historia, & philosophia: tu quidem vehementer vtriusque studio teneris: sed nescio quo pacto magis te philosophia delectat, credo, quòd pluris apud te est, excogitare quæ nemo viderit, quàm imitari quæ alij fecerint. quo in genere cùm omnino nullius ope videaris indigere, quippe qui ita abundes ingenio, vt, quocunque te applicueris, excellas, tamen vide, quid egerim, inuitationem, vt iuuare te possem. nam hos Ciceronis de philosophia libros cùm vetustis exemplaribus contuli, & emendatos ad te misi; vt tibi, si quando eos in manus sumeres, quasi facilior & expeditior legendi cursus esset. sæpe enim ex te audiui, cùm diceres, antiquorum in scriptis ita multa esse corrupta, vt in eorum qui legerent, animos permiste falsa cum veris influerent: cui malo si quis mederetur, eum te existimare à studiosis omnibus, sed à te ipso certe maximam esse gratiam iniurum. quæ me vox non cohortata est, sed impulit, vt id facerem, quod feciss me vides. Ac fieri tamen potest, vt meo re studio, & diligentia nihil iuuerim, & ea, quæ ego nunc in his libris restituta, in tuo nomine emitto, iam nunc in his libris restituta, domi tuæ nata, & à te ipso quasi fita, sed ego ita sum ratiocinatus: cùm tu à philosophis dediceris, non in

reges

reges solùm, & principes, qui summam iuuandi facultatem habeant, sed in tenuiores etiam liberalitatis nomen posse cadere, quòd bene mereri, etiam si non possunt, tamen & cupiant, & præclarum existiment: eadem ratione fore, vt, quòd ego te iuuare voluerim, pro eo id accipias, quasi maximè iuuerim.

AD MARCELLVM CERVINVM SANCTAE CRVCIS CARDINALEM, IN PHILOSOPHIAE CICERONIS PARTEM ALTERAM. 9

EST genus hominum, qui ita sentiunt, philosophari, aut eorum nihil esse, aut non eorum esse, qui rerum agendarum in studio versantur: quorum in altero mihi videntur, cùm homines sint, bestiarum consuetudinem imitari, quæ tantùm ea, quæ pedibus teruntur, quæque adsunt, intuentur, nihil altum suspiciunt, nihil longinquum cogitant: in altero res à natura copulatas velle seiungere. nam, qui ab actione rerum philosophiam excludit, is quantum in se ipso est, corpus & animi societatem dirimit: cùm & corpus regimine animi, & animus ministerio corporis indigeat. Sed proferunt multos, quibus ignoratio philosophiæ non obstitit, quo minùs ea, quæ volebant, rectissimè perficerent quasi verò sit eadem rerum omnium natura, &, quod vni aliqua in causa contigerit, id cuilibet omnibus in causis posse contingere credibile sit. naufragium facie natationis ignarus: arripuit tabulam, &, amplexu tenens, ad litus incolumis à fluctibus appellitur: num idcirco natandi peritiam negemus esse vtilem, quòd, sine ea qui sunt, è periculo tempestatis euaserit? incidat aliquis in febrem: non curatur, & conualescit? tollemus

tus igitur medicinam, quoniam sunt, qui sine eius ope sanentur? nihil minùs: nisi si ea, quæ in casu sita sunt, anteponimus ijs, quæ ratio gubernat. quod idē de philosophia dicendum est. nam, vt illud demus, sine ea multos esse laudem consecutos: non & hoc dabimus, fore, vt sine eadē consequi omnes possint. non eiusdem semper generis agendæ sunt res. est, vbi prudentia vel mediocris abundè satisfaciat: est item, vbi mentis altior contēplatio requiratur. hoc extremū qui potest, sequitur vt & illud primū: sed qui illud primum, non & hoc extremum. quod cùm ita sit: vtrum præstet habere, facilis est dijudicatio. in optione enim, & eligendi potestate, nemo fere est, quin totum partibus censeat esse præferendum: propterea quòd non totum in partibus, sed partes includuntur in toto. Ergo, cùm perspicuum hoc sit, accidere & posse, & solere, vt philosophiæ cognitio & vtilitatem afferat, ignoratio detrimentum: dubium non est, quin ea videatur esse cum rerum actione coniungenda. Sed ijdem coniungi posse negant: quo argumento? aiunt eas dissimili in genere versari, alteram in otio, alteram in negotijs: itaque se non videre qui possit in vtraque vnus excellere. Hic ego, Ceruine præstantissime, meam memoriam non excutiam, vt ea, quæ legerim, aut audiuerim, reminiscar. non est consilium, quæ ad illos redarguendos faciant, veterum è scriptis eruere. volo, vt exemplo tuo refellantur. Romæ viuis, & vixisti multos iam annos. nunquam omnino tua virtus iam illustri loco latuit: sed postea quàm te Paullus iij. incredibili Pontifex non modò sapientia, sed bonitate etiam ornatus, in altiore dignitatis gradu collocatum, suorum omnium consiliorum & participem, & adiutorem esse voluit: tum verò clarissimè esse ostendit lumen animi, ingeniique tui: vt nullus

esset

esset honor tantus, qui, in te collatus, non videretur, ei, qui contulisset, magnam esse iudicij laudem allaturus. itaque paulo post Cardinalis factus es, & factus tanto bonorum applausu, tantaque lætitia, quantam in animis hominum rectè sentientium summa dignitas virtuti tributa potuit excitare. quo toto tempore valde tu quidem fuisti, atque es etiam nunc distractus à negotijs, maximéque ab ijs, quæ & ad sedandas Christianorum Principum discordias, & ad restituendam Religioni dignitatem pertinent: sed te tamen à philosophiæ studio nulla res vnquam potuit diuellere. sic & animo, & corpori suis vtrique muneribus aptè distributis, quondam fere modò à cognitione ad res agendas, modò à rebus agendis ad cognitionem traductus, teque ipse in hoc quasi circulo identidem reuoluens, effecisti quod ab ijs, de quibus initio dixi, fieri posse negatur, vi & in tractandis negotijs, & in considerandis rerum humanarum diuinarumque causis occupatus, dispari in studio, pari tamen cum laude versaris. ex quo intelligitur, ab ijs, qui rerum actioni se dedunt, & percipi philosophiam, & tractari posse: debere autem ostendimus: est igitur eorum, qui aliter existimant, sententia omnis explodenda. Nos quidem, & nostra sponte commoti, & tuo exemplo impulsi, quotidie magis philosophiam admirantes, in eius cognitione cupimus acquiescere; ad eamque, magnis defatigati laboribus, & molestijs, tamquam ad iucundissimum diuersorium properamus. quò si peruenero, vel potius cùm peruenero: (cur enim meam ipse cupiditatem omnibus optimis non prosequar?) tum ego quidem multo, quàm nunc facilius tua in me merita vel tuebor, vel etiam illustrabo. interea non sumus otiosi: vnam potius aliquanto minùs occupati. prouinciam cepimus

duram,

duram, atque difficilem, veterum scriptorum libros emendare. dum volumus, omnino in hoc onere sustinendo valde fidamus, sed animus, tuarum cohortationum memoria confirmatus, manet in officio, manebitque, dum id, quod instituimus, absoluatur: nunc edimus Ciceronis libros de philosophia, sanè multis à mendis, potissimorum ex antiquo Bernardini Maffæi, qui te maximè obseruat, iuuenis eloquentissimi, libro vindicatos. qui cùm ita digesti essent, vt in duas partes tributi legerentur; cumque ego ex iis partibus eam maximè vellem tibi inscriptam emittere, quæ tuæ personæ, dignitatique aptissima videretur: feci, vt eam deligerem, in qua de natura deorum eleganter & acutè disputatur: vt, quoniam valde tibi pro tua veteri erga me voluntate, proque summis officijs deberi fructus industriæ meæ videntur, ij dum ad maturitatem peruenirent, his te interim quasi floribus oblectares.

AD RAINVTIVM FARNESIVM CARDINALEM, IN SVOS COMMENTARIOS CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. 10

BENE audire, qui est rectè factorum fructus, omnes fere volumus, amplissime ac præstantissime Rainuti: ipsum quidem rectè facere, vnde illud quasi ex fonte deducitur, paucorum hominum semper fuit. est enim tum perfectæ naturæ, tum doctrinæ singularis: vt tamen natura sine doctrina facilè possit ad laudem peruenire; doctrina sine natura laudabilis numquam, turpis etiam sæpe fit. Itaque vel in agris inculto homines ingenio virtutem tamen coluere: doctrinis autem eruditi viri

quæ ad bene agendum esse instrumenta debuerant, ijs ad perniciem suarum ciuitatũ sunt abusi, quid de Pisistrato Græcæ historiæ loquuntur? quid nostræ de Cæsare doctũ vtrumq; & eloquentem fuisse; ijs tamẽ vtrumq; sensibus, vt, exempla maiorũ, & legũ sanctissima iura cõtemnentes, libertatẽ suis ciuibus eripere præclarũ duxerint, ergo prima laus bonitatis est; quæ nihil, nisi seipsam, spectat, ipsa sibi finis est: altera doctrinæ; quæ nisi ad bonitatem referatur, laudabilis non est ideoq; vt laudetur, finem sequitur se ipsa præstantiorem. quod si quis est, qui alterũ cũ altero coniunxerit; vt & bonus sit, & idem doctrinis institutus, neq; rectum ideo solum cupiat, quia sit ipse ad rectum natura propensus, sed quia, quod rectum non est, id esse turpissimum intelligat: hic est, quem in uita humana diuina bona consecuta putemus, præclara res. sed exemplo minus nota; id autem, vt ego opinor, ob eam causam, quod vnusquisque in vitam Principis, tanquam in speculum, intuens, ad illius similitudinem se ipse fingit, & formar. Idoq; viri sapientes alterutrum rectè cupiuerunt, vt aut reges philosopharentur, aut regnarent philosophantes. vtrum esset, futurum vt ex virtute penderemus. Quod si fuit vllum tempus cum homines rationes, & cogitationes omnes suas in philosophia constituerent; tum profecto cæpit esse, dum annus tuus ad Christianæ Reipublicæ nimium magno periculo fluctuantis, gubernacula Dei iussu accersitus, sedit in Pontificia Pontifex dignissimus, ea præditus non solùm auctoritate, sed etiam sapientia, vt hic nos in tantis tempestatibus seruare solus à naufragio posset, cumque laudandus est maximè, quòd optime ipse sentit, optimis semper in studijs, consilijsque defixus: tum, quòd optimos viros adsciuit

sibi

sibi & consiliarios, & suæ voluntatis administros in quo ego tantum soleo ponere; vt si mihi ad alterutrum eligendum optio detur, non bonum Principem malim cum bonis administris, quam bonum cum sui dissimilibus, sed bene, quod habemus vtrúque; & pontificem, qualem res poscebat, & Collegium tali Pontifice dignissimum. itaque nunc emergit virtus: honestum reuocatur: desertæ per multos annos litteræ patronos habent diuque, vt auguror, habebunt. tu Rainuti, fraterque tuus, duo clarissima Italiæ lumina, vterq; Cardinalis, & Cardinalis vterq; optimus, præclaram consuetudinē tenebitis ab auo traditam, certe enim non ideo te Patauij per tot annos summi doctores erudierunt. vt ea, quæ tantis vigiliis quærebas consecutus negligeres, amabis eadem, & fouebis; tuúmq; erit proprium studium non solum colendæ virtutis, sed etiam ornandæq; referanimum ad eos, qui multis antè sæculis extincti, tamen in laude viuunt: omnes reperies, his gradibus adscendentes, ad immortalitatem peruenisse. quorum tu qui facta imitaris, non dubito, quin eorum semper florentibus nominibus ita tuum nomen inseras, vt numquam exarescat. Materiem habes ad gloriam, Anconitanam prouinciam: quam nunc ita regis adolescens, vt ea præstes, quæ sæpe desideramus in senibus, quæ quamquam ad eos solum, quibus cum potestate præes, pertinere videantur: tamen illa tuæ dictionis terminis non continentur. scis consuetudinem famæ, illa per nos per ora hominum sublimes vehit: benefacta simul, & malefacta æque circumfert: sed benefacta laudibus excipiuntur, male facta conuitijs exploduntur. Itaque noli putare te Picentibus solis esse continentem, esse iustum, esse beneficum. Picentes hæc vident, longinq-

audiunt,& prædicant, te agunt esse,ad quem aditus omnibuspateat, cui sit iustitiæ, sit pietatis antiquissima,cura; cuius & potestas timeatur,cum omnia possis; & bonitas diligatur, cum idem non plus licere tibi velis,quàm quantum leges præscribant. macte adolescents laudibus eximiè, imitator avi, maiorumque tuorum. rectè cogitasti, in imperio laudem non esse, nisi cùm is,qui imperat, imperio dignus est. quod tibi siue à natura, siue à disciplina, siue, vt ego arbitror, ab vtraque simul contigit quod ad naturam attinet'. referemus ad Deum; de disciplina, te ipsum & laudamus, qui ad hæc præclara inu gilaueris; & amamus, quia sunt amabiles virtute præditi,me quidem & multis ab hinc annis. cùm Romæ te vidissem, atque allocutus essem, in tui obseruantiam voluntas inclinauit, iam tum de tua indole exspectantem ea, quæ consecuta sunt; & postea Patauij, cum in studijs optimarum artium totus esses,iudicium impulit, hæc tua Picentina legatio quasi operis perpolitio fuit; in qua thesauros philosophiæ, multorum annorum studio congestos, explicas,& cum prouincia communicas,ita que,cum ego multo antè,quam istam tibi administrationem summus Pontifex demandasset,eos commentarios,quibus epistolas ad Atticum illustrare sum conatus, in tuo nomine emittere statuissem: postea simul cum tuis laudibus creuit voluntas mea. Eos igitur nunc emitto,serius omnino,quam nonnulli exspectauerant; sed meam tarditatem opus ipsum excusat. epistolas ad Atticum interpretanti properandum non fuit. alijs in rebus possum esse quantumuis strenuus: in hac qui possim esse non tardus? primum multa difficilia; deinde nõ isdem caussis omnia,sed alia propter breuitatem,alia propter historias, alia propter mores. Huc adde,

quòd

quòd mihi quibusdam in locis non satis fuit explicare ea, quæ aperta non erant; sed tentaui, num etiam paulo floridiùs possem, quàm nostri grammatici solent. Neque tamen sum nescius, fore multos, qui me in his commentarijs vt hebetem, quia nonnulla minùs acutè viderim, vel fortasse etiam vt cęcum, quia prorsus non viderim, reprehendant. qui si mihi cur id faciant, causas afferant probabiles; non committam, vt ijdem me etiam vt pertinacem possint reprehendere. amo enim veritatem, neque eam in me ipso magis, quàm in alio: itaque complectar, ficubi eam videro. Tibi verò, clarissime Rainuti, quod in has Ciceronis epistolas laboris impendi, maximè ob eam caussam cupio probari, vt, si qui verè iudicare propter inscitiam non possint, aut propter moleuolentiam nolunt, eos à consilio detrahendi tua deterreat auctoritas. Venetijs. 1548.

AD ALFONSVM CARAFAM ANTONII MARCHIONIS MONTIS BELLI F. IN SVOS COMMENTARIOS CICERONIS EPISTOLARVM AD Q. FRATREM. II

SI suo quæque res merito penderetur, Alfonse Carafæ, hominum esset in virtute vigilantium præclara conditio: contráque, quos auersa à ratione voluntas ad malas artes, & flagitiosa consilia traducit, cum ijs pessimè semper ageretur, eorumque docti exemplo, sapientius deinde alij non modò suis, verùm etiam publicis rationibus consulerent. itidem enim, vt è corruptis seminibus vitiosæ fruges, sic à malis exemplis improba studia, à laudabilibus optima nascuntur. verùm hoc totum secus est. quippe non modò ad reprehendendum, qui re-

prehendi iure possunt, procliuiores, quàm ad laudandum, quæ laude digna sunt, omnes fere sumus, nec satis æqua lance turpe & honestum examinamus: quæ debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere: sed etiam sæpe facimus, vt eas res, easque actiones, quarum causas ignoramus, quæque recte ne an secus fiant, dijudicare non possumus, accusemus tamen, acerrimáque vituperatione, quæ interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac ne me putes, Alfonse clarissime, huius initium sermonis temerè detulisse, ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo verò communem vtriusque nostrum causam ago. aut enim vterque agimus egregiè, aut vterque similiter peccamus. Audisne tu voces in Latinæ linguæ nomen irrumpentes, hominum obtrectantium, qui rei pulcherrimæ scientiam reprehendant, qui nos derideant, ludósque faciant, atque etiam, si dijs placet, odio dignos existiment, quòd operæ tantum ac temporis in hoc tam nobili studio collocemus? tu fortasse non audis, totus in litteris abditus, multorum à consuetudine seiunctus: aut, si audis, negligis, opinor, magnis non tam fortunæ, in qua tamen ipsa multum inest, quàm rerum omnium laudabilium præsidijs ad omnia munitus. me verò, humilis hominem loci, hac vna tibi Romani sermonis cupiditate parem, ceteris rebus omnibus inferiorem, ista sanè, quæ feriunt aures meas, vehementer commouent: non quòd ea, quibus vtuntur argumenta firma sint, quæ ostendam esse inania: sed quòd, vt eam quisque virginem, cuius amore flagrat, intactam ab iniuria, puram ab omni labe velit, sic ego, quasi lutosis maculis adspersam, ac fœdatam eloquentiam, quam semper dilexerim, cùm adspicio, sensibus intimis afficior, sic, vt ferre non possim. Objiciunt illud primùm, quatenus

aliquid

aliquid cognosci possit, eatenus in eo laborandum: Latinam linguam obsoleuisse iam, & exstinctam pæne totam esse: quam enim hodie nationem, vt omnes animo perlustrentur, Latina loqui? quod verò ex ea superfit in libris minimum id esse, tamquam aliquod inane simulacrum corporis exanimis: quocirca neque sciri perfectè, cùm exiguam partem libri contineant, neque pronunciari decenter, cùm sermonis vsus euanuerit, à nobis posse. Secundo loco statuunt: vt absolutè percipi, quod negant. Latina lingua possit: mirari se tamen etiam atque etiam cur industriam in ea perdiscenda tam diuturnam, ponamus: vitio quidem id fieri voluntatis, & iudicij dignitatem in re tantam non esse, vt hærere per tot annos in hoc studio debeamus. Concludunt postremò: vt de perfecta cognitione, de dignitate, ac præstantia concedatur; tamen esse, cum. ea pulsa, succesſerit alia minimè necessariam. Hæc isti; quæ specie aliquid videntur; ego, re nihil esse, si quando me præsente disputantur, ostendo. Conuenit inter nos, esse aliquid in omnibus facultatibus, atque artibus extremum: quo nostra studia cùm peruenerint, quiescendum. sed hoc extremum quibus terminis metimur, reine natura, an vulgi opinione? si opinione? vulgi licet propemodum otiosè viuere: mediocria, quæ putantur excellere, quæramus: id satis est: illa summa, vbi summum pecus habitat, quæ vulgus ignorat omittamus, sin extremum illud esse volumus, quò peruentum cùm est, progredi longius non licet: moderata studia non dantur. perfectam enim scientiæ laudem adipisci, maximi operis est: itaque hoc extremum, quod, opinor, Natura nouit vna sapiens nemo vmquam se putauit esse consecutum, extant, litterarum clarissimis testata monumentis, exempla summorum philosophorum,

qui cùm etatem in abditarum rerum perſcrutanda notitia contriuiſſent, multáque partim legendo, partim cogitando præclara & eximia reperiſſent; latere tamen adhuc, magnis inuolutam difficultatibus, veritatem, & aliquid ſibi, atque adeo multum eſſe quærendum exiſtimabant. Eadem nunc, aut certè ſimilis admodum noſtra ratio eſt. Quærimus id, quod in Latina lingua perfectum putamus. non aſſequemur: eſto: verumtamen, quo plus, vt aſſequamur, contenderimus, eo ſcilicet propiùs, ſi quid ſtudio proficitur, accedemus. At laboris, & induſtriæ terminus tamen ſtatuendus aliquis eſt. Concedo: ſed hoc quidem, ſi diligenter attendatur, nihil aliud eſt, quàm perfectum ipſum definire, hoc enim ad vnum noſtri laboris intenduntur, hoc vnum noſtra ſpectat induſtria. perfectum autem ipſum ego mihi ab hominibus imperitis definiri nolo. certè definiant ij, quibus vtor magiſtris, Cicero, Cæſar, Terentius, Plautus, quorum ex libris, quæ Latinæ linguæ ſit elegantia, quæ vbertas, quæ vis, facilè poſſum intelligere. quæ ſi non dico quanta ſunt, (immenſa enim eſſe video) ſed ſi ea mihi magna ex parte comparaſſem: modum fortaſſe facerem ſtudio meo. ſed vt inter hos, qui nunc homines viuunt, aliquid eſſe videamur, nihil tamen, ſi verè de nobis ipſis iudicare volumus, præ illis, quorum exſtant ſatis multa ſcripta diuinitus, nihil, inquam, planè ſumus. Quare, quod ad ſcribendum attinet, habeamus abundè quod imitemur. De pronuuciatione verò minimum laboro. quid enim? an putamus in iis ipſis, qui tum Romæ viuebant, eandem pronuntiandi rationem fuiſſe? non fuit. confluebant in vrbem, illecti ſpe ſummorum magiſtratum, quod habuit illis temporibus præmium eloquentia, ora-

oratores ex vniuersa Italia, causas agebant Romani homines pariter & peregrini, sono vocis dissimiles, pronuntiatione diuersi: suam tamen quisque, pro eo, quantum quisque valebat, ingenio, laudem ferebat. si Curibus educatum, aut Arpini, orantem in foro, audires: Sabinum statim, aut Arpinatem agnosceres. neque tamen à forensi opera, & à iudiciis propterea quisquam est exclusus, quia minùs Romanè, hoc est, quia minùs aptè, minusue decenter, pronunciaret. Nunc ipsum, in hac, qua Itali omnes vtimur, lingua éstne omnium in disiunctis & longinquis vrbibus simillima pronunciatio? mehercule ne in ijsdem quidem. Venetijs enim (domestico vtar exemplo) aliter in vrbe media, aliter in extrema loquiuntur. quapropter nimis iniusto priuilegio damnabitur Latina lingua, si, quod in ceteris linguis vsu videmus euenire, vt non modò diuersis, verùm etiam ijsdem & temporibus, & locis non similiter omnes pronuncient, id ei præcipuum apponatur; cuius etiam magnis ac præstantibus meritis aliquid largiri, tum humanitatis, tum æquitatis esset. Secundum erat de dignitate, in quo, non tam equidem quid ipse respondeam, quàm quid istos in hanc mentē impulerim, quæro. Itáne? dignitatem Latinæ litteræ non habent? humiles, & obscuræ sunt litteræ illæ, quæ populi Romani nomen extollunt, atque illustrant? quæ summorum Imperatorum fortiter & præclarè gesta per omnes gentes cum laude disseminant? quæ maiores opes, quàm vlla vmquam lingua, maiora suorum meritorum præmia in orbis terrarum dominos ciuitate sunt adeptæ? Sed ineptus sim, si me patronum Latinæ linguæ profitear: quæ tantum possidet eloquentiæ, vt, ipsa suam causam si agat, facilè se ab aduersariorum calumnia vindicare possit. Nunc quod isti postremo

loco

loco argumentum, quasi postrema in acie subsidium firmissimum, collocant, videamus in eo quantum roboris ac neruorum sit. plus enim est fortasse quàm vt contemnere, minus certe, quam vt pertimescere debeamus. Nusquam, inquiunt, viget vsus Latini sermonis: aliter nunc omnes loquimur. id verum est. si quid igitur in Latinam linguam studij confertur, opera non bene ponitur. hoc falsum, duplex autem est, qua vtor, ratio probandi. Primum, illud suscipio, ac defendo, non, quæcumque necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia: atque explodenda; deinde, si spectetur vtilitas ita Latinam vtilem esse linguam, vt etiam necessaria videatur. Quæ sunt, quæ verè, & propriè necessaria dicimus? nimirum ea, quibus carere nullo modo possimus. huiusmodi sunt primum elementa deinde, quibus famem, frigoraque arcemus. victus, vestimenta, ædes, aut ea, quibus, hæc parantur, præterea, in publicis rebus, leges, & magistratus, in priuatis seueritas, & vigilantia. ex hoc numero Latinam certè non esse linguam, facilè concedo, neque enim is ego sum, qui libenter cum veritate pugnem. Sed præter hæc, quibus hominum vita sustinetur, ac regitur, quàm multa sunt, minimè necessaria, quæ tamen habemus in delicijs, quæ amamus, quæ etiam honore prosequimur? gemmas, & vasa pretiose cælata, columnas marmoreas, laqueata tecta, sericas vestes, textiles picturas, artem in vocibus, & fidibus. odores in vnguentis, condimenta in cibis, hæc certè, atque huius generis sexcenta, non vt necessitati pareret, sed vt sensibus satisfaceret, inuenit, industria, quæ quin habeant iucunditatis, & ornamenti plurimum, nemo negat. quod si; quæ sensus iuuant, & laboriose quæsita sunt, & retinentur accuratè; quanto, nobis, ea, quæ animum

tium oblectant, potiora debent esse? pascitur animus magnitudine rerum; quid Liuij sublimius historia, quæ populi Rom. bellicam virtutem commemorat? grauitate sententiarum quis Cicerone prudentiùs, quis eruditiùs disputat? elegantia verborum, & copia: quis eodem ornatior, qui vberior? varietate scriptorum: quod genus Romanæ litteræ desiderant? poetas habent egregios, historicos, oratores, philosophos etiam excellenti doctrina claros. quæ si vera sunt: (sint, necne, res ipsa declarat: ambigere non licet) & si voluptatem studiosis Latina lingua parit incredibilem; possum istis tribuere, quod volunt; necessariam vulgo non esse; dum ipsi contrà, quod ratio postulat, atque exigit, hoc mihi tribuant, amandam esse vehementer, atque expetendam. Sed hæc ad eam, qua legendo fruimur, voluptatem pars attinet: nunc, quod eram alterum pollicitus, de vtilitate videamus. Omnes linguæ aliarum admistione linguarum, si moderata sit, augentur; si nimia, corrumpuntur, atque intereunt. quod enim recipitur, id esse debet eiusmodi, vt recipientis naturam sua vi, suaque magnitudine non exsuperet. itaque sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, quasdam aliarum nationem habet partes. causam si quærimus: non alia, quàm earum gentium interuentus, & consuetudo, fuit. quòd si Gallorum, aut Hispanorum immensa multitudo, (exempli causa dictum à me sit; omen quidem inane esse volo) sed si earum nationum maior aliqua vis in Italiam irruperit, ac permanserit: maior simul inducetur Gallici, aut Hispanici sermonis vsus; & fortasse aduentium illud vsque eò valebit, vt hoc domesticum vincat, suisque sedibus expellat,

quod

quod olim Romanæ linguæ contigit: quam, multarum ætatum spatio, multis maximarum rerum adiumentis auctam, atque confirmatam, diuersis tamen populis Italiam occupantibus, diuersarum linguarum impetus oppressit. Cùm igitur lingua linguam amplificet; nostráque hæc Italica, non multis abhinc sæculis orta, nec admodum liberaliter præmiorum nutrimentis educata, non ita dum adoleuerit, vt suis contenta viribus esse possit: statuo sic, atque concludo accessionem ei fieri maiorem non posse, quàm si cùm Latina coniungatur: non modò, quia nulla plenior, aut ornatior: verùm etiam, quia nulla similior: ex quo sequitur, vt ad coeundam cum ea societatem nulla commodior. Est igitur litterarum Romanarum cùm per se laudabilis admodum, & iucunda tractatio, tum verò, siquidem hunc ipsum, quo nunc vtimur, auctum exornatúmque sermonem cupimus, magnópere necessaria. Atque hæc tu quoque vides, Alfonse ingeniosissime, tuúmque iudicium cum mea sententia coniungis. itaque, cùm à prima pueritia ad eloquentiæ Romanæ cupiditatem incumbere cœpisses; postea te non ambitio, quæ sæpe præclarè iactatu fundamenta virtutis euertit, nõ commodum, non illa bonis artibus inimica voluptas ab hoc studio deduxit, ac ne nunc quidem langues; cùm tamen omnia videas ardere bello, armorúmque strepitu aures tuæ quotidie personent, quin, dum patrui tui, Carolus Cardinalis, & Ioannes Palliani Dux, uterque ob virtutem immortalitate dignissimus, maximéque pater tuus, Antonius Marchio Montis belli, natus ad omnem gloriam, omníque princeps laude cumulatus, vrbem Romã, & iura Pontificia tuentur, partésque in bello quisque suas consilio, vigilantia, fortitudine ita explent, vt antiquam maiorum suorum consuetudinem

nem referant: ipsę te interea contines tu, tuis perē-nibus studijs, animum que tum alijs magno Princi-pe dignis virtutibus, tum vero maximè excolis elo-quentia, doctorem in eà, ducèmque nactus, diuino quodam munere, virum excellentem, Ioannem Paullum Flauium, qui te nouo quodam, planèque admirabili genere disciplinæ, abductum à vulgi er-roribus, per directam semitam ad eximiū illud ve-teris Romanæ linguæ decus facilis ducit, quo vel cum summis laboribus ac vigilijs adspirare pauci, aut fortasse etiam nemò potest, quamquam me nō-numquam, de statu Latinæ linguæ cogitantem, mi-seratio quædam acerbo cum dolore tangit: quod ita futurum animo cernam, hæc, per tot iam sæcu-la, à tot ingenijs, tam diligenter culta, Latiné scri-bendi ratio, quæ parentem nostram Italiam no bili-tauit, quæ tot in nos merita contulit, ætate demum nostra, nisi remedium aliquod diuinitus exstiterit, suam honestatem omnem neglecta prorsus in per-petuum amittat, quod si rebus inclinatis, iamiám-que cadentibus opem ferre quisquam potèst, vnus est Paullus IV. Pontifex omnium optimus, idémque diuina potiùs, quam humana, sapientia præditus, v-nus, inquam, aut nemo vmquam, & Latinam linguā & laudabilia quæque studia veterem dignitatem vindicabit, qui tum frater fuerit aui tui, cumque il-lum vna virtus ad eum gradum extulerit, vnde hu-mana omnia despicit, supra casus omnes supra for-tunam ipsam collocatus: hunc te decet imitari, hu-ius vitam, perpetuo, sanctissimè traductam, huius omnia facta, consilia, instituta tibi ante oculos po-nere, vides pietatem erga Deum, & in auctoritate Pontificia, id est in ipsa religione tuenda firmitudi-nem animi. atque constantiam vides multiplicem rerum humanarum diuinarumque scientiam: trium

verò

verò linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ cognitionem pænè singularem. eloquentia verò prorsus eum excellere omnes fatentur: qui quidem ita quacúmque de re non modò copiosè, verùm etiam eleganter, ac diserè loquatur ex tempore, vt ei non arte quæsita, sed à natura donata videatur eloquentia. hunc igitur sequere & in illius vestigio pedem statue. ipse enim Deum secutus est: cùm ea felicitatem, quam plerique mortales ignorant, animo cogitaret. quem tu quoque finem spectas, vt audio: & ob eam caussam futurum homines augurantur, vt eius dignitatis, quæ summæ proxima est, insignia breui omnino consequaris. quod cùm euenerit: lætabor primùm tua, deinde communium studiorum caussa. qui enim tuos impetus ad laudem nunc videmus, tuósque planè sensus intelligimus, an, vbi ad istam voluntatem auctoritas, atque opes accesserint, fore dubitemus, vtà te ipso dissentias? Præstabis Alfonse tu quidem alia præclara, te ipsò scilicet digna, tuáque familia, in qua florere vides heroes permultos, gloria circumfluentes, virtutis in studio defixos: maximè verò gratiam referes optimè de te meritæ Latinæ linguæ, eamque, paulatim Italia cedentem, & ad transalpinas nationes, magno nostro dedecore, migrantem, in suam sedem, domicilium que reuocabis. Cuius gloriæ caussa, si monendus es, monitorem ad te: sin rogandus, supplicem volui mittere commentarium hunc meum in epistolas ad M. Brutum, & ad Q. Fratrem: Qui cùm tibi studii commendat eloquentiæ, in quibus ego per tot annos, vtinam cum aliqua laude, magno certè cum labore versor, commendatæ simul, paulo tamen verecundiùs, se ipsum, & vigilias meas: quarum fructus mihi erit vberrimus tum benuolentia, tum iudicium tuum. Quæsiui omnino, idque mihi primum fuit,

fuit, posteritatis vtilitatem, quod est proprium familiæ nostræ: sed te in ipsum simul, cùm huic operam commentario darem, spectaui, tu si probas ea, quæ literis mandamus; si faues industriæ, optimeque te esse animatum erga mea studia significas; ego me, quæ summa sunt, omnia consecutum putabo.

AD ANTONIVM ÆLIVM POLÆ. EPISCOPVM, IN ORATIONIS CICERONIS PRO P. SEXTIO COMMENTARIVM.

CVM alia multa, quæ vigebant olim, rerum laudandarum studia perijsse, atque extincta prorsus esse, dolendum est, Æli, vir optime, ac doctissime: tum hanc, in qua sitam omnes vel maximam vtilitatem intelligunt, inter pretandi rationem ita amissimus, vt ex eorum, quibus nostra patrumque memoria suam hoc ingenere industriam locare studium fuit, magno admodum infinito prope numero, non tamen ita multos, qui tolerabiles videantur; qui verò excellant, quàm pauciſſimos, aut fortasse neminem liceat inuenire, atque, huius quidem in commodi culpa vnde manauerit, exponam. Primum illud in controuersiam non cadit; quo quidque præstantius, eo laboriosius, ac difficilius esse alioqui nihil iis excelleret, quod enim consequerentur multi, in eo dignitas non esset, & ex copia vilitas exsisteret, est igitur in magnis rebus item magna, quæ nos ab earum quasi possessione arcet, constituta difficultas. hæc porro simplex non est, sed in duo genera diuiditur. quædam enim, sicuti existimantur, ita difficilia sunt: quædam. cùm non existimentur, tamen sunt. vbi difficultas & est, & apparet; inde multitudo voluntatem & studium libenter abducit.

rem

rem quidem ipsam, quanti est, opinione æstimamus, & vehementer expetimus: magnis vero laboribus, & vigilijs vr ematur, non facilè quisquam à se ipso impetrat. amæ enim hominis natura moderatam quietem, eaque alitur, & crescit; nimias contentiones, quibus frangitur, ac minuitur, recusat. vbi verò facilè in speciem aliquid ostenditur, difficultas inclusa latet: cuiusmodi non esse pauca, inanis multorum docuit experientia: eò frequenter, bona spe inuitati, accurrunt, facilèque ad eas res aggrediuntur, in quibus vel mediocrem operam si ponant. futurum, vt ex animi sententia succedat, arbitrantur: quos deinde, grauis temeritatis infamia, refellit euentus. huius generis hæc est, de qua orationem instituimus, ratio interpretandi. quis enim est, qui se non existimet Liuium posse, Sallustium, Virgilium, ipsum mehercule Ciceronem ità commodè explicare, vt desiderari ab eruditis, beneque intelligentibus viris nihil queat? atque hi, cùm in C. Marii, aut in L. Sillæ nomen inciderint, si Marii, aut Sillæ vitam, à Plutarcho sumptam, in sua scripta totam transtulerint; tum se suas præclarè partes absoluisse existimant: cùm interim, in quo doctrinæ, quæ paulo sit occultior, appareant notæ: in quo ingenij lumen eluceat, in quo prudentiæ vis, aut iudicij signa cernantur; nihil afferant. exire videmus quotidie, à postremi ordinis hominibus factos, speciosis magnaque pollicentibus, titulis insignes, minimi pretij commentarios: quos non modò qui scribunt, falsa de se ipsis opinione decepti, verum etiam qui typis impressos edunt, iis qui hoc de genere iudicare possunt, inconsultis, quodammodo deformant præclara studia litterarum, & de posteritate ipsa pessimè merentur. sed cetera, quæ ferenda non sunt, feramus tamen, ac dissimulemus sanè multa.

commen-

commentarios verò illos qui passim leguntur, in Ciceronis orationes (quem librum? Latinorum omnium facilè principem) grauem, inquam, illam immensi voluminis molem quis est qui ferre vllo modo possit? loca sunt in Ciceronis orationibus male mendis affecta quàm plurima: sanari nullum videas. sunt ob antiquitatis obscuram notitiã difficilia: quis est, de tot interpretum numero, qui lumine explanationis illustret? denique communia tantum, quæque omnibus pæne patent, ea sumunt ad explicandum: ex abditis, quo sine labore & ingenio accessus non est, doctrinæ fontibus nihil hauriunt. contraque, multa corrumpunt magis dum emendare conantur; multa explanando peruertunt, & pulcherrimas sæpe sententias turpissimis mscientiæ maculis inquinant: Quæ me ita cõmouit indignitas, itaq; meum animum, vt vere dicam miseratio quædam affecit, quasi ob illùtam viro optimo, egregiéque de litteris merito, Ciceroni, qui Romanæ terminos eloquentiæ longissimè protulit, ignominiam; vt illatterim, si cum vita valetudo, & cum valetudine otium suppetat triennium, aut quod omnino res exiget spatij, in hoc omnium pulcherrimo libro interpretando, studiosorum gratia consumere: non quòd ego is sim, qui mihi tantum arrogem, vt alijs detractam scientiæ laudem ad me transferam: abest hoc à consuetudine mea, abest á natura plurimum: sed neque rursus is sim, qui, cum ceteros probè nouerim, ipse me prorsus ignorem, & qui cum alios accusem propterea, quia non præstant ea, quæ ab eorum studio postulantur, ego me si quid præstare posse mihi videor velim contemnere. non ita laudem fugio, etsi nec nimis appeto, alterum stupidæ cuiusdam sapientiæ, alterum insaniæ ambitionis esse vitium

semper duxi: neque verò, si quid mihi elegantioribus in litteris assumpsero longè admodum abijs finibus quos modestiæ ratio præscribit, discedere mihi videbor. scis tu, Æli, pro nostra vetere amicitia, & familiaritate, per quot annos, quibus laboribus hæc, quæ ab humanitatem nomen acceperunt, studia coluerim, siebat optimè omnium & mihi, cum viueret, hoc nomine tribuebat plurimum, Renardinus Maffeus Cardinalis, meus ille, in omni vita deflendus Matthæus Vrbis deliciæ, lepor, humanitas, exemplum antiqui officij, omnium virtutum. is amabat hæc studia mirifice, eaque quibus poterat rebus (rebus poterat autem plurimis) tuebatur & fouebat. bene autem de hac, quæcumque in nobis est, vel potius quantula cumque est, Latinæ orationis facultate existimabat: meque, quotidie, quantum possem, vt Latine scriberem, vigebat, & scribebat ipse, vt scis, luculenter, & egregiè probatur omnino meum consilium, & efferebar, maximè de commentarijs in Ciceronis orationes; sed exerceri malebat prius industriam meam in Antiquitatibus Romanis, ipso potissimùm auctore institutis interim, vt quasi ex vnius partis forma de toto liceret æditicio conijcere, vnam aliquam, quæ speciem ingenij mei præberet, orationem subsecuis horis, vt exponendi susciperem, hortatus est. ego sumpsi pro Sextio: nec multis post eum sermonem mensibus, hunc, qui nunc, meo nomine, Antonij Æli, apparebit, commentarium absolui, &, quod, illi si viueret, feciſlem, vt hoc ei, quidquid est, muneris deferrem, studio meo commotus, illius virtute impulsus, idem nunc ijdem adductis causſis, tecum facio libentissime. nam cum amicitia inter nos est, quanta inter duos, quorum & voluntates, & iudicia consentiant.

tiam, esse potest maxima: tum habet virtutem, non eam, quæ petitur à libris, quæ vno scientiæ nomine definitur, sed eam, quæ oritur ex animi præstantia, & multas in se laudes continet, studium in suscipiendis Ecclesiæ caussa laboribus, constantiam in perferendis; humanitatem in excipiendis hominibus, benignitatem in subleuandis; comitatem in consuetudine familiarium, grauitatem in congressu & sermone clarorum tuique similium virorum; denique voluntatis propensionem ad optima quæque singularem. itaque te summus ille artium honestarum patronus, decus Italiæ Alexander Farnesius Cardinalis in oculis fert; tibi arcana communicat, tuis in consilijs, si quid deliberandum est, multum, si quid perficiendum, in vigilantia plurimum ponit. tu, quo apud illum Maffeus olim loco fuit, eodem ipse nunc es: rectissimamque laudandarum actionum vitam, obseruatis Maffei vestigijs, ingressus, pergis eò sauentibus hominibus, approbante Deo, vbi debitum ijs qui bene ac laudabiliter vixerint, præmium summa dignitas persoluitur. Mouit etiam me vehementer illa ratio: quod erat inter vos coniunctio animorum arctissima, conueniebant sensus, congruebat voluntas: præterea simplices animi, & puri, nulla simulationis arte obducti, nulla inuidiæ aut maleuolentiæ labe suffusi. Quare quoniam illa Maffei suauitas, illud ingenium, illa virtus erepta morte, nimium iniquo fato, nobis est; (tametsi memoriam illius viri neque mors, neque omnino dies vlla vmquam eripiet) & quando, quæ illius erant partes in ornandis liberalibus disciplinis, eæ translatæ ad te videntur, præclariq́ue muneris quasi vicarius relictus es: ego quoque, quod in illum studij, quod habui voluntatis, ac beneuolentiæ, (id erat tantum, vt accidere

nihil posset) totum illue in te vnum, illi quàm similimum, contuli: & qui te antea, multis erga me meritis, multis ingenij tui suauitatibus adductus, vnicè dilexissem, tamen id quod in amore summum videbatur, auctum, cùm hoc accessit, etiam atque etiam, plenissimèque cumulatum intelligo. Tibi igitur offero, fructum ingenij mei, in orationem pro Sextio commentarium, operis vniuersi, quod maiores à me vigilias postulat, imaginem: quod ipsum, Maffeo promissum, idem tibi, qui eius in locum successisti, iam nunc animo dicamus: verùm hoc seriùs fortasse præstabitur. de re enim, quod ad me attinet, constitutum est, &, vt vides, aggressus iam sum: de tempore, is, à quo nostrorum consiliorum pendet euentus, rerum omnium moderator viderit Deus. Habeo nunc in manibus Antiquitates. eas nisi pertexuero, nihil instituere in animo est. pertexere autem vt possim, duo sunt optanda, valetudo, & otium: quod vtrumque, assiduis annorum superiorum studijs infirmatus, & rei familiaris cura impeditus, nunc quidem magna ex parte desiderio. accipe interim hoc, quod adest, argumentum tum obseruantiæ in te meæ; & illud, quod aliquando, vt speramus, futurum est, suo tempore exspecta.

AD IOANNEM MORVILLERIVM REGIS GALLORVM APVD VENETAM REMP. ORAT. IN IV. DEMOSTHENIS PHILIPPICAS LATINITATE DONATAS. 13

QVAM difficili in loco versetur eorum industria, qui de Græco vertunt, neque tu, vt arbitror

tror, ignoras, Ioannes Moruilleri, vir clarissime, cui vel exercitatio litterarum, vel ipsa natura, vel potiùs vtraque simul hoc dedit, vt in iudicando excelleres; & ego experiens ita sensi, vt qui alijs antea in hoc genere peccantibus acerbior fuissem, ac durior, idem postea, re tentata, eo libentiùs ignouerim, quo magis eandem ipse culpam extimescerem. Occurrunt ijs, qui de Græcis Latina faciunt, duo inter se maximè contraria vitia: quorum vtrúmque cùm euitandum æquè sit, ita periculosa tamen cautio est, vt fere, declinare ab altero dum vis, in alterum incurras. nam & qui in eo laborant, vt Græca verba totidem pænè Latinis reddant, quòd fideles interpretes haberi volunt, ineptè faciunt, atque in illa ipsa nimis attenuata diligentia grauiter peccant; quoniam quidem res ipsa primum fit obscurior, quod cum interpretis officio pugnat, deinde Latinæ orationis dignitate cultúq; destituta sordescit: & qui horum in verbis referendis religionem improbant, putidámque appellant, libertatem ipsi quandam, & licentiam magis amant, his plerumque contingit, vt, dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipsa sententia longiùs aberrent. summum artificium, summámque possidet prudentiam, si quis, inter has difficultates constitutus, quasi medius inter duas Syrtes ita nauigat, vt naufragium non faciat. quod ætate nostra cùm ex transalpinis hominibus multi ex nostris etiam non pauci tentauerint, tamen, cùm omnes excussi, vix vnum aut alterum ex vniuersa multitudine reperio, qui perfecti munus interpretis expleuerit. Atque ego videbam fore, vt in illam ipsam peccantium interpretum turbam conjicerer: & communem esse causam confiteor: sed mea tamen hoc probabilior est, quòd alij ad id, quod

in hoc genere perfectum est, peruenisse sunt arbitrati; ego, quàm à perfecto longè distem, ipsemet intelligo: vt mihi saltem incorrupta fuerit idea, alios non solùm perficiendi ratio defuerit, verum etiam iudicandi. sed, quia fieri potest, vt, quemadmodum alij falluntur in eo, quia sua scripta nimis indulgenter probant; ego contrà fortasse fallar in eo, quia mea seuerè nimis improbem: expecto, quid tu sentias, Moruilleri sapientissime: vt, sine inter me & alios interpretes aliquid intersse duxeris; sive me quoque in eodem, quod aiunt, hærere luto iudicaueris: ego, quicquid statueris, ad tuam sententiam meum de me ipso iudicium in vtramque partem accommodem. Equidem probari à te, atque etiam laudari mea scripta velim: & qui minimè soleo esse ambitiosus, tamen igniculis quibusdam cupiditatis incendor, vt meum nomen in ore tuo versetur. non enim, à quouis homine laudari, optabile est; turpe etiam, à quibusdam. me quidem non tam ipsa laus, quàm laudantis auctoritas afficit. quare, cùm tu is sis, de quo duo Reges; at quales Reges? omnium, qui in Gallia regnauerint, maximi, pater, & filius, optimè senserit: quorum alter legationem tibi ad Venetam Remp. detulit, alter eundem honorem postea confirmauit; cùmque in ipsa legatione publicam personam omni re, loco, tempore ita sustineas, ac tuearis, vt summam in te grauitatem omnes laudent, nec tamen humanitatem quisquam desideret; magni refert ad ingenij mei commendationem, quid tu, vir primarius, & omni laude circumfluens, de hac mea tenui vigilia sentias. potest obscuram per se lucubrationem, tuum testimonium illustrare. quod ego si assequor, ad illa præstantiora, quæ maiorum vigiliarum sunt, quæ scis à me iam esse institu-

ti, fiam alacrior; quæ ipsa posteri cum legent, (non enim dicam, si legent; quia, quod summè cupio, summè etiam, sperare iucundum est) de tua, non vna, aut altera virtute, sed sapientia, quæ omnes virtutes continet, me narrante cognoscent; &, cum cognouerint, ipsi quoque prædicabunt. Venetijs. 1551.

AD HIPPOLYTAM ESTENSEM CVRDINALEM, IN LIBRVM DE ROMANIS LEGIBVS. 14

OMNES artes, atque omnes res, HIPPOLYTE Princeps, & Cardinalis, modò augeri, modò minui, nec eadem perpetuò esse, satis inter omnes, constat, pater hoc quidem oculis primum; deinde etiam mentibus, oculis notamus euenta: mente, cur quidque eueniat, quo ve referenda sit cuiusque rei mutatio, intelligimus, itaque lapides, & metalla, quæ omnium durissima sunt, quæ vis hominum frangere vix potest, hæc tamen conficit, & consumit vetustas. quidquid enim ex partibus aliquando coijt, & concretum est; id eadem in partes aliquando dilabitur, ac dissipetur, necesse est. habet hoc materia illa, vnde res omnes constant, vt formæ mutationem quærat: idque, quod sequitur, assecuta, migrat in alias naturas, quasi, quod appetit, eo numquam esse contenta videatur, neque vero hæc naturales tantum ad res condicio pertinet, sed inuenta quoque hominum, operaque attingit, mores, consuetudines, loquendi ratio, quam linguam vocamus, leges ipsæ quas ne quid vmquam ex hominum memoria deleat, in æs incidimus, omnia demum, quæ ab arte naturam imitante fluxerunt, quotidie mutantur, ac tolluntur, non modo ab externis caussis, contra voluntatem nostram, verum

eiriam à nobis ipsis, quia tempus ita postulet sed artes liberales, optimaque studia, quæ nusquam magis, quam in Italia, honor aluerat, atque auxerat, ætas nulla magis afflixit, Quam cum Romani Imperatores, Imperij sede in Thraciam translata Italiam barbaris nationibus diripiendam ac deuastandam reliquerunt. quod nisi superioribus annis Principes, ac pontifices aliquot, maximè verò Leonis x. egregia, propèque diuina liberalitas huic malo subuenisset: quem Laurentij Medices, patris sui, clarissimi viri, exemplo commotum, etiam veræ laudis cupiditas impulit, vt iacentes ingenuas artes, magnis propositis præmijs, excitaret: barbara, credo, quod ad litteras attinet, magna ex parte nunc esset Italia: dignitas omnis philosophiæ, splendor omnis obsoleuisset eloquentiæ. sed nequid ille huius præclari operis summam potuit absoluere, ereptus morte disciplinis liberalibus nimis immatura: & interitum illius tempora sunt eiusmodi consecuta, vtquæ paullulum iam luxerant honestarum scientiarum studia, ea perpetuis multorum annorum tenebris, quasi nox quædam obscuraverit prorsus, atque exstinxerit. fatalis, enim bellorum tempestas non exercitationem modo litterarum sustulit, verum etiam, quæ sunt in excolenda virtute posita laudes, eas labefactauit omnes atque peruerit, ac nunc quoque, cum pacis aliqua spes, longo sanè interuallo, affulsisset, misera rursus eodem malo tentatur Italia, veteresque calamitates aduersis bonis artibus nescio quis Genius inuehit. Nunc te, Hyppolyte Cardinalis, cui summam iuuandi generis humani voluntatem Deus tribuit, eximiam ad laudem vocat occasio, suscipe desertum pæne ab omnibus litterarum patrocinium collige tu quæ alij dissipant, omnium laudandarum

doctrina-

doctrinarum studia, & restitue nobis illa, quæ vel hominum improbitas, vel vt aliò culpa deriuetur, fortunæ vis eripuit, hæc est actio digna Cardinali, & Principe dignissima. Vidimus tuam præteritam vitam ab ea nihil humile, nihil obscurum, nihil vulgare, ampla omnia, præclara, inusitati exempli nouum genus exspectantur. quæ tu, ne à te ipso discrepes, nunc quidem magna ex parte præstabis, atque adeo iam præstas, bonis viris, & eruditis beneficentia sublenandis: quorum ex ingenijsn on dubito quin quotidie aliquid efflorescere tuo beneficio videas, quod quia præclarum est exemplum alij sequentur, scribent omnes, quod quisque poterit, illecti gloria, & commodorum spe compulsi. nam, vt coniecturam de me ipso faciam; quem esse nihil in litteris fateor; sed, vt aliquid tamen essem, laboraui, ego olim (decennium, opinor, abijt, eoq; amplius) auctoribus duobus eximijs viris, Petro Bembo Cardinali, C Bernardino Maffeo, qui postea dignitatem eandem magnis in Ecclesiam Christi meritis est consecutus, dederam me ad res Romanas, illas veteres, obseruandas, & ex omnibus antiquorum monumentis omni studio colligendas: vt cum illam Remp. qua nulla fuit, nec erit vnquam illustrior, vniuersam animo, ac scientia comprehendissem, Latinis eam litteris explicarem egregiumque, bene, ac laudabiliter institutæ ciuitati exemplum meis, quatenus quidem ipse possem, scriptis expressum, posteris relinquerem. Res erit præclara; neque delectabat vehementer, & afficiebat ipsa tractatio. itaque meam ōnem iuduſtriam, omnem curam, omnes denique in hoc studio cogitationes fixeram, ac locaram sed accidit mique meo fato, vt horum vtrumque, Bembum primo iam senem, cuius in benenolentia ornamenti mihi erat plurimum, deinde Masseum,

non

non ætate minus, quàm virtute florentem, in quo mei spes otij sita omnis erat, à quo pendebam totus, importuna morte ereptum amiserim. destitutus eo præsidio, quo meæ fortunæ nitebantur vno, fractus animo ac debilitatus, instituras Antiquitatum Romanarum opus omiseram, & ad alia me conuerteram postea vero quam, honorifica in primis conditione delata. magna sum à tetuo beneficio in tuorum familiarium ordinem inuitatus, quod ego summæ felicitatis loco duxi, erectus mente, atque animo rursus, quod abieceram, suscepi, onusq; tantum quantum priuatu sopibus perferri vix, aut ne vix quidem potest, te vno fretus egregie sustineo, Et, vt ex perte totum iudicare posses de decem quos exorsus sum, libris, hunc deligimus potissimum, quem ad te mitterem, delegi; non quod ita postularet ordo: (sextum enim in Antiquitatum volumine locum obtinet) sed, quod cum omnium librorum materies non modo coacta iam in vnum à me esset vniuersa, verùm etiam satis diligenter in partes distributa; casu accidit, vt hæc minùs quàm ceteri, rudis, minus esset impolitus. præterea feci libenter, tuis actionibus admonitus, legis enim hic liber complectitur. porrò leges nihil aliud, quam rationem, nihil præter ordinem docent, ratio autē, & ordo, si vsquam, in tuis moribus elucet, quippe nihil legis non moderatum, nihil non æquabile, nihil quod non cum ea, quam sustines persona, id est cum religione vere Christiana, ac Sedis Apostolicæ dignitate consentiat. quare cum omnia mea tua sunt; quando quidem ego me tibi, quidquid sum & quantus quantus esse possum, totum addixi: tum verò hic de legibus Romanis liber vere tibi debetur, tibique est à me iure optimo scriptus quo in libro bene positam à nobis operam si duxeris, de ce-

teris

ceris quin idem sentiat, haud equidem verebar. pergo enim studio pari, voluntate etiam, vt mihi videor, acriore. vnum modò exoptandum est, vt, quando nos ab hoc studio nulla vtilitas, nulla voluptas, ne valetudinis quidem satis imbecillæ ratio possit auellere, nostris laboribus tua benenolentia quasi propitium numen adsit. sic enim fiet, ne quà prorsus in difficultate, ne quo vmquam in scopulo nostra hæreat industria: & in eum, quò spectat animus, portum secundo cursu, tuæ benignitatis aura prosequente, facilè peruehemur. Venetijs. 1557.

IN EDITIONE KALENDARII ROMANI. 15

FACTVM est à me sane libenter, vt, cùm edendi essent Romani Fasti, è lapidibus Capitolinis descripti, adiungerem ad eos Kalendarium, ex quo ratio dierum, pro ea, quæ Romæ olim fuit, consuetudine, tota patet, atque in hanc me voluntatem, vel cupiditatem potius, primùm ea, quàm & mea sponte, & patris exemplo semper spectaui, publica litterarum vtilitas, deinde etiam Caroli Sigonij, viri optimi, & ab omni prorsus iniqui animi labe puri singularis doctrina deduxit. put aui enim, id quod res est, futurum, vt ad Kalendarium ex Fastorum societate commendationis tantum accederet, quantum ad ipsos Fastos è Sigonij studio, ingenioq; esset adiunctum, qui diligenter additamenta ipsius, & in ea commentarium, qui propediem edetur, plenissimum legerit, facilè cognoscet. non enim illa supplementa, quæ lapidibus illis, vnde Fastos habemus, desiderantur, ex Liuio, aut Dionysio, aut ex duobus tribusve præterea libris, quos etiam

leuiter

leuiter eruditi homines in manibus habent, colliguntur. non est id, vt rudes antiquitatis homines existimant, ioculare quiddam opera hæc quidem esset, non industria. & operæ quis laudem tribuit, cùm in tempore duntaxat posita sit? industria verò non ab ingenio, non ab intentione quadam mentis abest: itaque iure laudatur. quòd si satis esset historiam semel aut iterum legendo percurrere; nemo esset, cui Romanarum rerum notitiam assiduo biennij trienniúve studio comprehendere vniuersam non liceret: in qua tamen ego iam per decennium desudo: &, quo diligentiùs ea ipsa, quæ legi sæpissime, cogitatione retracto, eo certiùs, quantum in hoc genere sit difficultatis, intelligo. itaque opto, vt, quæ alij collegerunt, omnes edant statim, & mihi hanc laudem præripere conentur. video enim fuisse nonnullos, qui, meis scriptis ad huius scientiæ studium aliquot abhinc annis excitati, & indicibus eorum librorum, de quibus edendis cogitare me, iamdiu polliceor, animaduersis, quasi quodam lumine ad ineundam studiorum viam prolato, ambitione præcipites, dum anteire nobis volunt, in maximos maximéque pudendos errores inciderunt. quorum alios alij peritiores, nulla facta mora, alios fortasse nos, non illos quidem nominatim significatione tamen satis aperta, ne omnino debita laude fraudentur, aliquando refellemus. Redeo ad Sigonium. Ille verò, cùm, inspectis antiquis libris, lapidibus, nummis, nomina magistratuum vetustate vel amissa prorsus inuenit, vel mutila perfecit, cùm fastorum partem, alienum in locum translatam, in suam sedem retulit, cùm censuras, tum triumphos addidit, & trunco quasi corpori sua membra restituit, nihil potuit difficilius, nihil, in quo maiorem à bonis bonorúmque litterarum studiosis hominibus

inire gratiam posset: hoc enim libro, hoc, inquam quem nos edimus, (nam inchoata quis perfectis anteponat) qui res Romanas curant, horis fere singulis vtantur necesse est. itaque, eum qui litteris à me poscebant superioribus mensibus, amici homines aliquot ex Hispania, plures ex Gallia, & Germania, hoc adscribebant omnes, Cum Caroli Sigonij supplementis quorum à me voluntati satis factum esse, vehementer gaudeo, eoq; magis, quòd adiunxi, quod fortasse non exspectabant, non poscebant certè, Kalendarium Romanum, vtile illud quidem dierum caussia, quorum in eo genera distinguuntur, sed vtilius ob id aliquanto, quòd ad comitia, iudicia, senatum, Romana deniq; omnia, qui coniectura, ingenióq; valebunt, multam inde scientiam deriuabunt.

AD HIERONYMVM FALETVM HERCVLIS FERRARIENSIVM PRINC. APVD VENETAM REMPVB. ORATOREM IN IPSIVS POEMATA. 16

MAGNA laus est eorum, Hieronyme Falete, qui non ad vulgarem humilémq; artem, sed ad nobilem aliquam liberalémque doctrinam, sua studia contulerunt: maxima verò, si quis eam philosophiæ partem, quæ Poesis appellatur, ita est complexus, itaq; hæret in ea cognoscenda, vt auelli nulla prorsus ratione possit. itaq; veteres illos, quibus optimi ac summi Dei vocem audire, eiusque sermone frui sæpe licuit, homines sapientissimos, atque sanctissimos, poeticæ facultatis admodum studiosos fuisse constat, suásque cogitationes non eo, quo quilibet vteretur, sermone, sed versibus exponere voluisse, quorum extant nonnulla, sanè præclara: quæ cùm legimus,

legimus, afficimur, & quasi diuina quadam vi abrepti, extollimur haud paullo altiùs, quàm qui rerum humanarum in studio versantur. Habet igitur ars poetica dignitatem; quandoquidem in ea latent arcana philosophiæ, quæ profanis oculis non patent: ea rudes animos excolit: ea nos ab rerum humilium studio deducit: ad egregios mores, ad veram religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocat. Habet eãdem suauitatem; quia vocibus aptè constructa oratio miram infundit auribus animisq; iucunditatem. Et, vt vno verbo comprehendam, poesis numerus est: numerus porrò nihil aliud, quàm ordo: ordinis autem principium à Deo fluxit. diuini sunt igitur homines poetæ, nec vllo nõ honorum genere decorandi. poetas autem definio, non quicunq; versus faciunt; qui molesta & odiosa garrulitate sæpe nobis obstrepunt; sed eos, quorum in vita non minùs, quàm in scriptis, elucet ordo; à quibus colitur humanitas, & beneficentia non modò laudatur, verùm etiam pro facultatibus exercetur. hæc enim sunt sacra illa mysteria, quę poesis fabularum specie ita velat, vt ea tamen vatum excellentium, hoc est bonorum virorum, mentes intelligant. quæ verò his virtutibus aduersantur vitia, hæc sunt illa monstra, inimica naturæ, quæ poeticis figmentis ostenduntur, sus Erymanthus, leo Nemæus, hydra Lernæa, gigantes, & harpyæ, quæq; alia traduntur, perdendis hominibus, aut frugibus nata. Neque verò tu, Falere doctissime, tantam animi præstantiam posslideres; non esses tam ad omnem virtutem, ad omnem laudem propensus; non tam in moribus elegans, in consuetudine comis, atq; etiam pro tuarum copiarum ratione beneficus, ac liberalis, nisi magistram ab ineunte ætate habuisses poeticam artem; quæ te suis præceptis erudijt, atque infor-

informauit: nihil vt ageres, quod ab honesto dissideret, nihil vt in omni vita, præter decus, & antiqua maiorum tuorum, hominum clarissimorum, instituta, cogitares. cuius tanti beneficij non est apud immemorem gratia collocata, habes enim poesim in delicijs: eam amas: eam ornas, cumque Herculis, Ferrariensium Principis post hominum memoriam maximi, personam sustineas, idque tanto splendore, ac tanta, quanta nemo vnquam antea, dignitate; summis tamen magnarum rerum occupationibus districtus, scribis sæpe versus Calliope dictante, & à grauissimis curis tamquam in amœnissimos Musarum hortos animi caussa diuertis. Superioribus quidem diebus, cum egregium illum Athenagoræ, veteris philosophi, librum, de altera hominum vita Græcè scriptum, Italicum in sermonem conuertisses; atque ego te, quod viatores, difficili confecto itinere, conuerunt, aliquot dierum quietem velle capere existimarem: inueni te poema tuum de bello Sicambrico, nonnullis abhinc annis compositum, ita tractantem accurate, vt adderes non pauca, quædam deteneres, multa corrigeres, quæ cum legerem, admiratus elegantiam verborum, splendoremque sententiarum, hortatus sum vt ederes, & eo magis, quòd reliqua tua poemata, non modò iam typis impressa, verum etiam scripta, per manus, perque ora doctorum virorum eximia tua cum laude volitarent, quæ in re non modò meo, verum etiam studiosorum omnium nomine gratias tibi habeo, habeboque, dum viuam, immortales quòd meis hortatibus, ac precibus tribuisti tantū; vt te mihi totum remitteres, tuorumque poematum ius omne tuum, omnemque plane potestatem ad me liberalissimè transferres. quod cum impetrassem, exceptus sum illico ea cura, Principi, ne

alicui

alicui viro quod fere solet, aut amico homini, ac familiari, an vero tibi ipsi potius ingenij tui fœtus essent dicendi, tibi quidem tua deberi videbantur sed ab huiusmodi consilio tua mihi multis in rebus perspecta modestia deterrebat rursus, cùm intelligerem, omnes fere libros, qui typis diuulgantur, vel ijs dicare solere, quorum auctoritas, aut quorum opes vtilitatem aliquando aliquam ei, qui mitteret patere posset, vel ijs, quos pro magnis eorum beneficijs aliquo munere remunerari æquum esset; vel ijs denique, cum quibus minimè vulgaris intercederet amicitia: hæc, Valete humanissime, cùm omnia concurrerent, victus sum, tuaque ad te ipsum scripta mittere constituj. nam, et si Princeps tu quidem fortuna non es, summis tamen Principibus tua te virtus ita commendauit, clarumque reddidit, vt eorum opibus æquè, ac tuis, eos, quos diligis, beare possis, sed omitto reliquos. Hercules verò, Ferrariensium Princeps, immortalitate dignissimus cui te totum vni addixisti, cuius esse vis quidquid in omni vita præstare potes, iis quo tu numero habeat, facilè declarauit, cùm, post multas legationes, ad Sarmatarum Regem, ad Imperatorem, ad Pontificem, oratoris apud venetam Remp. munus honorificentissimum tibi commisit, qua propter, quod ad hanc partem attinet, parui refert, verum Principis nomine liber aliquis inscribatur, an vero eius, cuius apud Principes auctoritas ea sit, vt prodesse quibus velit non mediocriter possit. De tuis autem erga me officijs quid agam pluribus? quæ cùm & multa sint, & maxima; tum vero illud excellit, quòd in hac mea satis diuturna oculorum valetudine venire domum meam quam sæpissimè, animumque meum, tristibus curis affectum, tuo adspectu, ac sermone recreare solitus es, Amicitia vero si spe-

&anda

standa fuit; neminem tibi debui anteferre. coniunxit enim nos non casus, vt multos, non vulgare aliquod studium, non ambitio, non vtilitas, sed ipsa, quæ omnes res nobilitate vincit, virtus, & artium liberalium societas; quarum vterque nostrum incredibili studio tenetur. Mitto igitur ad te quando ita ratio postulat, tua poemata, non vt tibi, de me optimè merito, quasi gratiam referam de tuo; sed vt habeat à me nostra ætas atque adeo posteritas ipsa, primùm, testimonium beneuolentiæ atque obseruantiæ in te meæ, deinde beneficium, quod, tua scripta cùm leget, fatebitur esse maximum. Interea peto à te, vt in illo maiorum vigiliarum opere de Fisco, cui nondum extremam manum imposuisti, exorari te sinas, id est vt absoluas, atque perpolias. magnum enim inde fructum capient omnes iurisconsulti: cùm te difficiles admodum reconditæ materiæ nodos ingenio soluentem, & quæstiones illas implicatas atque inuolutas explicantem, exquisitoque quodam ordine tractantem intuebuntur. Neque verò tua mihi est occupatio minùs nota; cùm & negotia tractes Principis eximij; & ob tuam virtutem nobiles viri non modò quotidie, verùm omnibus pænè horis officij honorisque caussa ad te adeant: rursus eum te esse non, qui, quod tibi occupationes eripiunt, id ingenij præstantia cõsequaris. consule igitur gloriæ tuæ: consule studiosis omnibus antiquarum nouarumq; legum: effice, vt quantum in poetica facultate, quantum eloquentia polles, tantum in iure ciuili, maximáque in ea parte, quæ obscuritatis habet plurimum, valere te tua scripta significent. Meam verò hanc, quam profectò in hac epistola vides elucere, voluntatem, animúmque singularem ad te amandum propensionem amplectere: atque ita statue, si tu mihi, quod,

vt video, præclarè facis, in amore respondebit, par amicorum neque nostra, neque veterum memoria coniunctius vllum fuisse. idque quanti à me fiat; dabo operam, quantum in me erit, quotidie certiùs vt intelligas.

AD ISABELLAM VILLAMARI. NAM SALERNITANI PRINCIPIS CONIVGEM IN SCIPIONIS CAPICII POEMATA. 17

Ex omnibus rebus humanis cùm nihil sit litteris doctrinaque præstantius, sequitur, vt litterato Principe laudabilius nihil esse videatur. non enim, si quis humili fortuna scientijs animum excoluerit, quamuis omnium virtutum intelligentia sit ornatus, æquè tamen eas virtutes exercere poterit, vt summo loco natus. omnium est scire, non omnium tamen agere. non cadit in quemuis administratio iustitiæ, non liberalitatis. esse oportet, quibus imperes, vt iustitiam colere possis; esse, quod des, vt liberalitatem Et, quoniam ad hæc primùm à natura formamur, & fingimur, vt, quæ laudabilia sunt, nostra sponte diligamus; deinde præceptis iustituimur, vt voluntatem ratio confirmet: vtrumq; si quis habet, verissimis laudibus ornatur, eo magis si is est, cui tertium etiam illud contigerit, vt fortunæ commodi abundet. nam, qui virtutem non vt primum bonum, sed vt alterius boni causſam quærit, vt diuitiarum, vt bonorum: ei virtus, quæ perfecta non est, quia quæritur ad aliud: perfectam laudem afferre non potest, perfecta verò virtus est, quæ se ipsa contenta nihil apperit, quod extrà sit. hanc si quis est qui sequatur, qui vitam diligat, qui ipsam propter ipsam,

non

non propter ipsam aliud, expetendam ducat; hic est, quem Dij præter ceteros diligere putantur, cui quidem eam mentem dederint, vt præter ceteros saperet. Tua hæc est, Isabella præstantissima, tua inquam hæc maximè laus est. cùm enim tibi aut ad opes, aut ad dignitatem nihil fere posset accedere: quarum rerum cupiditate adducti, magnarum artium in studijs pleriq; vigilarunt: ipsa, nihil huiusmodi spectans, virtutis amore capta, cuius pulchritudinem animo cerneres, effecisti, studio tu quidem, sed ingenio magis, vt, cùm esses omniũ nobilissima omniumq; pulcherrima, quorũ alterum maiorum tuorum, maximeq; viri tui, Principis omni laude cumulari, magnis rebus testata virtus, alterum benignissima tibi Natura dedit, eadem & sis, & habearis omnium doctissima hinc illa ad te colendam singularis omnium propensio; hinc multorum poetarum, quibus grauissima Regum bella magni operis argumẽtum suppeditare poterant, ad te canendam traducta ingenia: hinc Capicius ille tuus, tuarum laudum laudatissimos præco: qui te admiratur vnam, qui obseruat: qui cũm de te multa, & vera prædicauit, ita concludit, vnam habere, quæ optabilia sint, omnia. itaque me quidem eodem studio inflammauit, nihil vmquam vt ardentiùs optarim, quàm ex tuis vnus esse. quod quo faciliùs impetrarem, feci, ipso permittente, atque etiam libente Capicio, vt eius libros, de Principijs rerum duos, de Vate maximos tres, meæ in te summæ obseruantiæ testes emitterem. diuinum carmen est, multis luminibus ingenij, multa arte distinctum. equidem nihil legi in hoc genere perfectius: vt ne Lucretius quidem pluris apud me sit: quo cùm antea propter sermonis elegantiam delectarer, vtereique multum, cœpit mihi iam minùs esse familiaris, postea quàm Capicium

legi. Hoc opus, & quia scriptum est à tui studiosissimo, & quia versibus te dignis, id est luculentissimis, non dubito, quin à me missum auidè accipias, sic inquam, vt de isto me munere ames plurimum.

AD TORQVATVM BEMBVM PETRI FILIVM, IN VIRGILIVM.

QVOD ego de poetica facultate sentio, idem tibi, Torquate Bembe, qui res præclaras ingenio studioque consecutus es, bene iam esse cognitum ac persuasum facilè puto, non esse eam inter ea, quæ minimi ducuntur; non vulgarem, non leuem; summum esse quiddam, ac plane diuinum; quique suas ad eam cogitationes conferant, etiam si, quod volunt, non assequantur, probandos tamen esse, quia scilicet ad maxima contendant; qui verò in ea ita versentur, vt excellant, colendos nobis esse vehementer, omnique omnium laudum genere cohonestandos. Ac miror equidem fuisse, hodieq; esse nonnullos, qui rem hanc pulcherrimam, ac deorum nobis munere concessam, paruipendant, atque etiam, si dijs placet, in sermonibus vituperent. Quid, inquiunt, est poetica? fabulas continet: fabulis autē quid inanius? Ridiculè: qui ex ipsorum ingenijs cæterorum ingenia metiantur; quæq; ipsis obscura sunt, ea reliquos videre non putent. Ego contrà ita soleo disputare; vtinam, Torquate, te præsente, ac tui similibus: nihil enim tam optandum, quàm habere iudicē in controuersijs, qui causam; qua de agitur, quæq; propter aliquam difficultatem in dubium vocatur, optimè calleat. sed ego contrà, cùm in hos incidi, ita soleo disputare. Est-ne aliquid hominum generi vtilius, aut omnino philosophia præstantius? negare co-

guntur.

guntur. si negét, eos ratio refellet, & veritas ipsa: quæ cum pugnat, facilè vincit, una enim est philosophia quæ vitia nostris exanimis euellat; vna, quæ inferat virtutes: humana omnia, multis obstructa difficultatibus, aperit; diuina, non illa quidem prorsus, sed magna tamen ex parte patefacit, atque hanc, quæ tantas res præstat, siue artem, siue scientiam, ne communis esset omnibus vulgique tractatione, impurisque mentibus contaminata sordesceret, obscuris fabularum inuolucris, quasi aliquid sacrosanctum, velauit, & custodiuit antiquas. fabulas porrò ipsas non eo, quo vulgus vtebatur communi, & soluto, sed exquisito, & numeris adstricto orationis genere prisci illi summa homines sapientia præditi, prodiderunt placebat hoc illis, primum vt rei dignitatem, si posset, quatenus posset verborum augeret elegantia: lectis enim, ad modumque puris è vocibus efficitur versus nihil hauritur de face: deinde quia cum philosophiam tractaret, maiore nescio qua suauitate ex illo concentu, quem numerosa vocum in versibus compositio gignit aures animosque perfundi pulchrum putabant quæ cùm ita sint: neque fabulas, quæ philosophiam continent, neque versus, quibus facilè ipsæ continentur, iure quisquam reprehenderit. His ego ad coarguendam istorum inscitiam, alijsque præterea vtor argumentis. addo exempla, eaque Italorum, & eorum hominum, qui nostra patrumque memoria floruerunt. Pontanos, Sannazarus, Fracastorios (omitto alios: sunt enim multi) nonne musarum [illegible] inprimis consuetudo delectauit? propius accedo. pater tuus, Torquatae, Petrus Bembus, quem orbis terrarum cantat: nec iniuria: vixit enim, quantus ei vitæ cursus fuit, in virtute totus: cum alias coluit philosophiæ partes, tum vero poeticam artem amauit, amore quodam ardentissimo;

tissimo; eiusque studium à prima pueritia complexus, numquam ne in extrema quidem senectute dimisit: scripsit autem versus in omni ætate multos, & scripsit omnium elegantissimè, sic, vt ei Apollo dictasse videatur, itaque rectè fecit optimoque sanè consilio pater meus, qui Latinorum poetarum principem Virgilium eius nomini, quem optimum poetam nouerat, inscriptum emiserit rectè item ego, qui, patris mei exemplum secutus, tibi, & tanti viri filio, multis virtutibus ornato, & facultatis poeticæ studiosissimo, ac peritissimo, eundem poetam, quasi munus Bembæ familiæ debitum, dicauerim. nam, quemadmodum parentes nostri alter alterum tum sermonibus, tum scriptis ornabat; vt, quantum inter se amarent, æqui, & iniqui cognoscerent, item ego cupio, & conabor, quantum in me erit, (an præstare possim, nescio: sed conabor certe) vt ex meis scriptis nostram amicitiam, meamque in te summam obseruantiam etiam ipsa posteritas intelligat. non enim; cum hanc meam multis abhinc annis ad te àmandum & colendum voluntati contuli, id solum spectaui, vt quasi hereditatem adirem amicitiæ paternæ: tametsi hoc ipsum quoque me mouit, sicuti mouere debuit, sanè plurimum: sed tua quædam propria secutus sum: tuos, inquam, mores, tua studia tuas virtutes vidi primum: deinde ex iudicio fluxit amor; &, quo mea sponte propendebam ratio impulit, noui te adolescentem, noui iuuenem & Patauij, & Venetijs, sanctissimè viuentem, & præclara illa cum doctissimis viris philosophiæ studia tractantem in omnibus cùm iam, tuo quidem aliquid, aliorum autem iudicio multum profecisses; Romam te, in eam vrbem, contulisti, quam pater tuus theatrum per annos multos habuit suarum virtutum celeberrimum, ibi nunc tu quoque spectaris.

&

& probaris : ibi plausum fers à bene intelligentibus, beneque sentientibus viris : ibi denique vera illa Petri Bembi cernitur, & agnoscitur in te filio non minùs animi, quàm corporis effigies: &, vt principia se dant, futurum omnes existimant, vt summi tibi in Ecclesia Petri honores, ac præfecturæ deferantur: deberi quidem iam, nemo est, qui non intelligat. Quare lætor equidem, ac fruor iam nunc, pro meo erga te studio, quasi præsentibus honoribus tuis; & præcipio gaudia, quanta potest animus meus capere maxima, tuæ futuræ dignitatis. perge modò, vt cœpisti, in tuis perennibus studijs, & animum tuum pulcherrimis, teque dignis cogitationibus exerce: vides eam viam, qua pater tuus iuit. exstant vestigia, isthæc euntibus rectissimus est ad gloriam cursus, offensio nulla, nullus error. quod fecisti, laudamus: sunt enim magni, veroque laudandi processus in virtute tui. quod reliquum est: quia te summum illud ad decus, quod excellentibus ingenijs propositum est, tamquam ad metam peruenire cupimus; &, quod cupimus, id in te ipso positum videmes; fauemus animis, prosequimur studijs, vocibus cohortamur. Atque ego quidem, huiusce animi mei non obscurum, vt opinor, argumentum, hunc librum, qui me tacente apud omnes gentes loquetur, tibi inscriptum ad te mitto. volo æternum exstare monumentum, vnde homines, quid de te sensi im, quid iudicauerim, intelligant. volo, habeas ipse munus à me, vnde, quid tua caussa velim, conjicias; & maiora, cùm ornandi tui maior aliqua facultas extiterit, officia, studiaque exspectes. Venetijs. 1555.

AD PAVLLVM RHAMNVSIVM IOANNIS BAPTISTÆ FILIVM, IN CÆSARIS COMMENTARIOS. 19

QVI magistram vitæ dixit esse Historiam: næ ille, Paulle Rhamnusi, & dixisse verè, & præclarè sensisse mihi videri solet. facilè enim vnus homo, quid multis hominibus venerit, cùm intelligit, eruditur, atque ipse sibi normam componit actionum suarum, vitæque totius inter omnes errores, omniaque pericula ad veritatem, ac salutem dirigendæ. nec aliud est nostra prudentia, quàm euentorum obseruatio, rerumque præsentium, ac futurarum ex præteritis, tamquam ex fonte, scientia deriuata. quod ex vniuerso litterarum genere, vel sola, vel certè maximè præstat historia; præsertim si quis eam ita tractet, vt, euenta dum notat, animum referat ad causas, in easque attentè inspiciat, & rationem quærat, cur hoc factum, illud omissum, cur ex illo calamitates, ex hoc optata contigerint. Atque hoc primùm est de historiæ fructu. sequitur dignitas. Res gestæ narrantur inter summos Reges, potentissimas ciuitates, bellicosissimas nationes. causæ porrò bellorum sunt, quæ sunt humanarum rerum maximæ, Imperium, salus, gloria: quę ponuntur in armis omnia, & à consilio ducum, à virtute militum, ab ipsa fortuna pendent. Neque verò dignitatem quidem habet, ac fructum, voluptatem autem historia desiderat, nam, si voluptas est, quam magnarum variarumque rerum adspectus animis nostris infundit; nulla pulchrior species, nulla gratior, nulla prorsus historia iucundior. vides, vt in tabula picta, aduersa ducum excellentium stratagemata, artes, insidias; spem potiundi, metum amittendi; casos ex-

exercitus, vrbes captas, imperia deleta: agè, fortuna commutata, cadere insultantem, victum exsurgere; eodem pænè momento lætitiam pelli mœrore succedente, mœroremque lætitia. hæc dum legimus, haurit animus voluptatem incredibilem; alitúrque pabulo suauissimo, nec satiatur, donec ad exitum peruenerit. Cyrus ille, Persarum Rex, qui orientem subegit, Pyrrhus Epirota, castrametandi laude præter ceteros insignis, & duo illi, barbarorum omnium clarissimi, Alexander Macedo, & Hannibal, præterea de Græcis Themistocles, Agesilaus, Epaminondas, quo modo, cùm eorum facta commemorantur, animos nostros afficiunt? expectatione suspendunt, pascunt gaudio, metu macerant. verùm hæc maximè Romana patent in historia: quæ vel diuturnitate, ac magnitudine bellorum, vel varietate fortunæ vberrimam exemplorum in omni genere copiam suppeditat. Romana porrò viri præstantes multi cùm litterarum monumentis tradiderint; quorum ingenijs, quæ cuique merces gloriæ pro cuiusque facultate debebatur, ea posteritatis iudicio persoluta: eminent inter omnes, mea sententia, (nec verò secus antiquitas sensit) primumque sibi dignitatis gradum C. Cæsar iure vindicat. nam & vixit qua plurimum ætate Romæ floruit eloquentia: & coluit ipse eloquentiam præter ceteros: rebus verò gerendis non interfuit modò, verùm etiam præfuit: quo factum, vt vsum quoque, qui valet in scribenda historia multum, cum doctrina coniunxerit. exstant, bono quodam litterarum fato, præclari illius de bellis, ipso Duce gestis, commentarij; qui se non solùm omnibus omnium historijs æquare, verùm, vt omnes fatentur, anteferre etiam videntur. Breuitatem scis in oratione magnam esse laudem, cum eo tamen, ſi viretur obſcuritas.

tas. facilè enim dum illam sequimur, in hanc incidi mus, quod in Thucydide vitium Cicero notauit. cum esset alioqui scriptor egregius. At verò C. Cæsar, cum breuitatem maxime omnium adamauerit, ita tamen pressus est, vt eodum nihil fieri possit illustrius, proprè loquitur, & significanter: ornamentorum tantum habet, quanta in exponenda re decet, nam elaboratam studiosius orationem, nimiaque excultam elegantia prudentiam aures non modo in commentarijs, verum in historia quoque respuunt. Hic tibi est, Rhamnusi optime, mihique multis nominibus carissimè, in manibus habendus, tractandus assiduè, obseruandus, ediscendus: vt eum penitus, si fieri potest, aut certe quantum potest imitatione exprimas. nam, cum tibi Veneta Respub. bellum illud memorabile, omniumque difficillimum, quod Henrico Dandulo Duce aduersus Byxantis gestum est, Latina oratione tradiderit explicandum; magnisque etiam tuam industriam præmijs honestandam decreto publico censuerit: debes eniti vehementer, ac omnes ingenij tui neruos contendere, ne quis te tanto imparem oneri fuisse vnquam putet. Atque ego quidem, qui tetero in oculis, qui tuæ gloriæ faueo, cum in ipsam rem intueor. grauem sanè, admodumque difficilem, paullulum commoueor; rursus, cum ad ingenium tuum, ad industriam, ad illos animi tui pleclaros ad laudem impetus, mentem & cogitationem refero facilè confirmor, & huiusce tibi commissi muneris eum, quem cupio, id est planè gloriosum exitum exspecto. Verum, ne sint in te ipso, quæ sunt; & fit hæc quæ tibi ineunda via est, quantumuis lubrica, incerta, impedita: an tu potes labi, potes errare, potes vsquam offendere, ducem secutus patrem tuum, Ioannem Baptistam Rhamnusium, spectatæ sapientiæ virum,

virum consiliorum omnium summi Xuirum Collegij participem, cuius illucent in vrbe nostra virtutes eximiæ nomen autem, æternis consignatum atque impressum ingenij monumentis, per orbem terrarum fama dissipauit? is te sua doctrina instruet, consilio monebit, prudentia reget, at quo studio? quo scilicet pater filium, & quo talis pater talem filium debet, nec sane video, quem deceret magis, aut in quem vt aptiùs, quàm in te, prouincia conueniret. nam cum eas res quæ tibi sunt Latinis literis tractandæ, magna ex parte liber, vt audio, contineat Gallica scriptus vetere lingua, tum ipsa per obscura, tum multis præterea diuersarum linguarum vocabulis permista, atque confusa; eum porrò librum pater tuus & vnicum habeat, & vnus ipse (de nostris quidem hominibus) optimè omnium intelligat: sapientissimè, vt in omni re semper, ita proximis mensibus decretum à Xuiris est, vt hæc tibi potissimum Veneræ pars historiæ mandaretur. cuius haurire scientiam non aliunde, quàm ex tuis ædibus, licebat. Ego quidem, etsi intelligo, qui sis, quàm te delectet verus honor, quam tua sponte incumbas decus; tamen hortor te, sensus huc omnes tuos, cogitationesque conuertas; excites ipse te; consideres etiam atque etiam, quid susceperis, à quibus commissum, qua tua ætate, qua omnium exspectatione. Venetam scribis historiam, nec vniuersam, sed quod in ea maximè putatur excellere: scribis Principum Reipub. decreto: scribis adolescens: qua ætate magnas res aggressos vel in signis admodum manet gloria, vel temeritatis nota sempiternæ. Quibus ex rebus, & quod ante studiorum tuorum præstantes fructus edidisti: & quod patris tui virtus tua virtus putatur, nec tibi sunt petenda extrinsecus quæ domi tuæ nascuntur: orta est inter homines opinio,

historiam te nobis daturum egregiam: in qua Venetæ vrbis ita narres præclara facinora, vt alienacum laude tui nominis immortalitatem coniungas, quod ita futurum, mihi persuasum est, si te ad legendos assiduè Cæsaris commentarios contuleris, eorumque ad imitationem, & quasi imaginem totum effinxeris. hoc enim in genere nihil habent perfectius Latinæ litteræ; & eos, quo tibi essent, tui iuris quodam modo facti, cariores aliquanto, cùm hoc tempore nostris ex ædibus haud paulo, quàm antea, emendatiores exirent, volui in tuo nomine apparere, multis in hanc mentem caussis ijsque minimè vulgaribus adductus. nam, vt omittam, quòd historiam scribente nihil aptius, nihil omnino his commentarijs vtilius quisquam dixerit: valde me commouit multorum annorum, ac pænè sæculorum in fouendis optimarum artium studijs præclara tuæ gentis consuetudo, ac volo mihi, quod attinet ad illa vetustiora, silentium imponere: venio ad ea, quæ propiùs ad ætatem nostram accedunt. Auo tuo, cuius tu nomen, & vnà cum nomine virtutē refers, quis in omni vita virtutem amauit ardētius? qui cùm in litteris vsquequaque excelluerit, tum vero iuris ciuilis cognitionem egregiè consecutus est: eiusque rei testes habuit amplissimas Veneti Imperij ciuitates, in quibus tum ciuilium, tum capitalium quæstionum iudicijs, magna pariter & integritatis, & doctrinæ laude, præfuit. Mitto Hieronymum, patruum, medicinæ, ac philosopiæ studijs præstantem: qui cum in Syriam eo consilio esset profectus, vt Arabicis litteris imbueritur; paucis annis tantum profecit, vt pleroſque Auicennæ libros in Latinam linguam egregiè conuerterit. Alios quoque possim de tuis maioribus, hac laude præstantes, minimè paucos inuenire; sed parente

tuo

tuo contentus vno esse possim, quo semper in hac ciuitate non solùm amico, verùm etiam patrono eruditi homines vsi sint; neque sibi ornamenti, aut præsidij plus in eius amicitia, atque auctoritate, quàm commodi repositum in benignitate senserunt. Accedit illud, quòd idem pater tuus cùm in Gallia, Reip. caussa, diu vixerit, eamque prouinciam, Rege Lodouico 12. vniuersam fere peragrauerit, magnam eorum locorum partem, de quibus mentionem in his commentarijs fieri vides, præsens ipse nouit, eaque tibi in sermone, non secus ac in tabula picta, diligenter, verissimeque ostendere solitus est. itaque, cùm hunc librum ad te statui mittere, illud intellexi, magistrum te habere excellentem in hoc rerum ac locorum Gallicæ prouinciæ studio, parentem tuum: quo sum aliquanto magis in suscepto consilio confirmatus. Tibi verò displicere meum erga te officium non existimo. mihi quidem ipsi ob eam caussam grauissimum fuit, vt ex tenui munere beneuolentiam in te meam perspiceres: quæ cùm à parentum nostrorum coniunctione, qua nulla maior esse potuit, originem duxerit, quotidie tamen augetur studijs erga me tuis, maximè verò caussis ijs, vnde facilè manat amor, virtute, ac probitate, quarum altera tuis in scriptis, altera in moribus elucet.

AD ANTONIVM TRIVLTIVM CARDINALEM IN HISTORIAM SALLVSTII.

CVM omnes me litteræ, omnisque libero homine digna cognitio vehementer delectat, Antoni Triulti, Cardinalis amplissime: tum verò pascor incredibili voluptate, & afficior maiorem quendam

in

in modum ſenſibus intimis, dum hiſtoriam tracto, quid enim poteſt eſſe iucundius? Rerum interitus obliuio eſt. at eæ reuiuiſcunt hiſtoria, cùm in noſtram memoriam reuocantur: quæque multorum annorum ſpatio, multis ab hinc ſæculis geſta ſunt, ea nos, exiguo volumine comprehenſa, & tamquam in conſpectu noſtro poſita, cognoſcimus. Si ſermonibus delectamur: reſonat in ſcriptis hominum vox eloquentiſſimorum, nihil temerè, nihil incompoſitè narrantium, omnia grauiter. ſuo quidque ordine, & loco. ſi conſuetudine clarorum virorum: verſamur, veterа legentes, cum Regibus, cum Principibus viris, magnis in bello ducibus, ſapientiſſimis rerũ pub. rectoribus: ora ipſa mehercule, lineamenta, & formam non tam corporis, quàm animi, eorum, quos numquam videmus, videmur tamen quaſi præſentes intueri. Quod ſi rectè inſtituendæ vitæ rationem ac doctrinam ſequimur: vſu maximè rerum quæritur prudentia. vſus eſt, vel cùm experimur ipſi, vel cùm, experientibus alijs, quid euenerit, obſeruamus. nobis ipſis, experiri multa ſi velimus, facilè non licet. labore opus eſt, ac tempore: & fortuna tentanda: nec tentatur interdum ſine periculo. commodiùs ergo, ac tutiùs, euentis aliorum examinandis, prudentia comparatur. id autem, profectò vides, Antoni doctiſſime, ac ſapientiſſime, proprium eſſe hiſtoriæ bonum: in qua patent fortunæ viciſſitudines, regnorum mutationes, hominum ſiue vitia, ſiue virtutes; ex quibus quæ vitanda nobis ſint, quæ expetenda, nullo noſtro periculo, nullo labore, ſedentes in otio docemur. Atque hoc in genere Polybius inter Græcos, de noſtris maximè is, cuius nunc libros tibi inſcriptos emitto, Salluſtius excellit. euenta enim ita narrat, vt cauſſas ſimul aperiat, ex quo oritur illa omnium pulcherrima ſcientia, vt malorum,

rum, & calamitatum origine perspecta, nihil agamus, nisi quod ratio præscribit; omniáque nostra consilca, omues actiones veterum exemplorum regula metiamur. Quæ cùm sit omnium, qui annales antiquorum euoluunt, communis vtilitas: alia quædam tua conditio est. habes enim historiam in familia tua: neque tibi, si quid inuenire vis egregium, & imitatione dignum, confugere ad libros necesse est, neque longius euagari, & quasi peregrinari animo, ac mente, more multorum: domo petas, licet, omniũ virtutum exempla. persequere maiores tuos cogitando, quæ fuerit eorum in pace iustitia, in bello virtus, in omni fortuna moderatio, si attendes, nihil ad gloriam domesticam requires. iustus Aristides, prudens Themistocles, fortis Epaminondas: de Romanis multi, multis eximijsque virtutibus insignes. horum alij facta dum legunt, bonas artes ex eorum vita discunt, & ad easdem res, eademque studia laudis cupiditate rapiuntur. at tu refer animum ad tuos maiores. eminere videbis, instructum egregijs artibus, Ioannem illum Iacobum Triultum, magni animi, summi consilijs virum, scientia rei militaris ætate sua facilè principem; præterea, iustum, liberalem, abstinentem, planè præter decus, & gloriam, nihil in vita cogitantem. Nam de laudibus Hieronymi, parentis tui, quia tecum quasi loquor, ne seruire tuis auribus videar, nolo multos esse: tantùm dicam; quàm diu vixerit, Gallicam rem in bello floruisse; postea quam, hostium multitudine oppressus, fortiter pugnans in acie perierit, concidisse. tantum in vno viro momenti fuit, ac roboris! Age, sint hæc, vt ita dicam, in campestri quadam luce posita: quid? in vrbe Roma, id est in omniũ gentium celeberrimo theatro, nõ spectata probataq; vehementer est trium tuæ gentis Cardinaliũ doctrina, religio, sapientia? vt,

Triul-

Triuitiorum nomine multorum vocibus in multas partes diffipato, non ipſa tantùm Roma, ſed omnis planè Italia, omnis, vbi colitur humanitas, Europa perſonaret. Omitto alios: ſunt enim multi: nec tu quemquam ignoras. non enim ſunt ex imaginibus, aut ex illa colorum inani ſpecie maioris tui cognoſcendi. quærenda tibi facies tuorum non eſt. clari ſunt ex rectè factis: virtute diſtinguuntur. cùm alius in alia, in omnibus ſimul omnes enituerint. Quæ tu quoniam à primis annis ad hanc ætatem non modò cogitaſti, verùm etiam vita, ac moribus expreſſiſti, propterea te, Epiſcopatu Tolonenſi iam antea inſignium, legationibus honeſtatum, primùm Perufina, & Auenionenſi, in quibus miram iuſtitiæ laudem taliſti, deinde ad Regem Galliæ, & ad Venetam Rempub. vbi prudentiam, vbi grauitatem incredibilem præſtitiſti, proximis diebus Cardinalem creauit Paullus 4. Pontifex omnium optimus, omniumque maximus, iudicio præditus acerrimo in æſtimandis hominum ingenijs, ac moribus, itaque animatus, vt quæ cuiuſque meritis præmia debentur, ea liberaliſſimè, ac liberaliſſimè perſoluat. in tuo, nemo eſt, qui tuam animi ſingularem æquitatem, ac moderationem vehementer non admiretur ac laudet, qui ſummæ nuncium dignitatis, cùm eſt ad te multas præſentibus allatus, ita acceperimus, vt nemo, te commotum, nemo, ne leuiter quidem affectum, ex vultu, aut oratione, aut vllo corporis geſtu, potuerit intelligere. ita patuit, quod ab inſipientibus ambigi, ac diſputari quandoque ſolet, à bonis viris virtutem magis ipſam diligi, quàm virtutis inſignia; honorem eſſe præmium rectè agendi, finem non eſſe: magnos illos, ac præſtantes eſſe homines, qui laudabiliter ita viuant, quaſi laudem percupiant, ita laudem, aut dignitatem excipiant, quaſi nihil

minùs

minus antea cogitauerint. quod in re & animad-uersum est maximè, & obseruantur quotidie magis, colere enim te quidem studiosius, quam antea, omnes videntur: ipse autem, qui antea fueras, idem omnibus es. nemo excluditur sermone tuo, nemo congressu: tui omnibus copiam facis: eandem omnibus humanitatem ostendis. Sequitur insolentia fortunam: comes est rerum secundarum arrogantia: tu mansuetudinem amas: tu continentiam: tu benignitatem perpetuo retines. iure ergo hoc etiam nomine Cardinalis es. iure habes hanc, quò tui te pro Petri Ecclesia susceptí labores extulerunt, maximi sacerdotij dignitatem, & nunc tu quidem comitatu stipatus honestissimo familiarium tuorum multo tamen si insignior, atque ornatior cohorte tuarum virtutum, quæ tibi comites vbique sunt. Romam redibis expectatus, expetitusque, columen futurus Christianæ Reip, splendor sacri Collegij, ornamentum familiæ tuæ. I, decus Italiæ, amor, ac deliciæ bonorum omnium, dijs bene iuuantibus, ad eam vrbem, quæ sola peregrinæ virtutem excipit, sola ornat honoribus, sola dominam facit rerum omnium humanarum. nos autem, quibus, tuam iustitiam, tuam benignitatem ostenderas, læti tua dignitate, mœsti discessu, te prosequimur abeuntem optimis omnibus; fauemus animis; precamur linguis; vota prorsus eadem, quæ proparentibus, ac liberis nostris, pro tua salute suscipimus. Atque ego, in hac omnium eximia lætitia pariter & molestia, præcipuo quodam dolore diuellor; quia fato nescio quo meo contigerit, vt, quàm diu Venetijs fuisti, ego semper afflictus importuno morbo iacuerim: quo etiam nunc langueo: & ad morbum accedit ægritudo: quoniam quidam alijs ad te adeuntibus, dèque esta digni-

tate gratulantibus, ipse excluder vnus, nec possum meæ summæ erga te obseruantiæ præsenti officio satis facere; hac tamen spe sustentor, quod humanitas ac sapientia tua facilè fortunam à crimine seiunget, consilio aliquid peccatur: accuses: iure feceris, culpam autem in ijs rebus, quæ non à voluntate nostra pendent, sapiens nemo vmquam dixit esse quare nec tu mihi, quia non valeo, vitio id vlandum putabis: & hoc ipsum, quia me non valere, non tam corporis, quam officij caussa doleo, laudi etiam fortasse tribues. equidem habeo non voluntatis modo testem, verum etiam studij ac beneuolentiæ in te meæ, hominem honoratum, & cùm omni virtute excellentem, tum verò omninm, quos ego in vita viderim, humanissimum, qui te amat egregiè faciteque plurimi, tuasque laudes vtraque manu ad astra sæpe tollit. verum ego non id solum specto, mea vt vni tibi vt pateat obseruantia. illustrabo eã, si potero, meis aliquando scriptis, & patefaciam omnibus gentibus, interim, vt hæc tibi nostra ex aliquo signo voluntas illucescat, præclaram ego tuo cum nomine Sallustij historiam: cui tu si locũ dabis inter eos libros, qui ab oculis tuis ab esse nõ solent; vigebit apud te nostri memoriam: quoties eam; vigebit apud te nostri memoria: quoties eam videbis, toties animo tibi occurram: adero tibi sæpe absẽs tacitus sæpe tecum loquar; méq; esse de tuis familiaribus vnum de ijs maximè, qui operam tibi assiduã præbent, qui tuum potissimum honori seruiunt, existimabis: quod vt ita sit, vehementer opto: &, si assequor, feram in cælum istam humanitatem, colam animo, tuebor officijs, & imitabor, quantum potero: studio certè, si minùs re licebit, tibi vt satis faciam elaborabo. Venetijs. 1557.

AD ALOYSIVM GARZONIVM IN LIBROS XXIII. DELINGVA LATINA, QVI CALEPINI NOMINE CIRCVMFERVNTVR. 21

CONSTARE tibi puto, Aloysi Garzoni, cùm ad res præclaras natus homo sit, quippe qui solus ex omnibus animantibus munere rationis, ac mentis excellat, nullam tamen artem eodem tempore & inuentam simul esse, & absolutam. omnes humili tenuique ab initio profectæ, paullatim quasi per gradus adscendentes, ad id, quod summum videtur esse, peruenerunt, hoc & in litteris accidit, maximeque quibusdam in libris, qui eiusmodi sunt, vt, semel atque iterum aucti, locupletari tamen, atque ornari deinde possint, quo ex genere bonum fatum Calepinus sortitus est, cui quotidie fere omnes homines de suo largiantur, certè enim illius Dictionarium, quod nunc emittimus, non tam ipsius industria quam aliorum labore studioque in tantam altitudinem excreuit. vnum tamen desidero, quod ij, quibus illud propositum fuit, vt in hunc librum quamplurima congererent, id ipsum, quod fecerunt, vt adderent, facere consideratiùs diligentiusque potuerunt quorsum enim in herbarum montiumque nominibus colligendis diligentes sumus, verba autem Latinæ linguæ illustria maximè, ac significantia, quæ nescire nemo vult, in augendo Calepino negligimus? ergo ipsi hoc potissimùm spectauimus: & opinor, tantum præstitimus, quantum qui, hoc dictionario cum alijs dictionarijs conferendo, cognoscet, non dubito quin de hoc opera nobis & faueat, & bene precetur. non enim libet hic commemorare, quæ quibus in verbis sint à nobis addita: nã

sexcenta sunt, neque sumpta ex apertis aliorum laborum indicibus, sed ex ijs Latinæ linguæ fontibus ad quos peruenire cuiuis non licet, vtrum autem ipsi peruenerimus, res ipsa indicet. In eo etiam ab aliorum instituto dèscrepauimus, quod alij tantum, vt addant, quæ vtilia putant, elaborant; nos etiam, quæ non vtilia sunt, & discendi cupidis cõtraria, quæ scilicet Calepinus ipse non recte percepit, hæc, inquam dedimus operam, vt de libro, tamquam de tritico lolium, eximerimus, addidimus, mutauimus, sustulimus, prout res postulauit. dictiones certè Græcas ex multiplici lectione deprauatas, vt est fere, nisi diligenter caueas, corruptrix librorum Typographia, tam multas correximus vt quod fabulosum est, nos dicere ἰσοχρόνως possumus, Augeæ stabulum a nobis esse repurgatum. Nostrum etiam in hoc opere proprium illud putamus, quod, cùm alij in addendo supra modum curiosi fuerint, vt liber exersceret; nos contra ne quid præter rem adderemus, superstitiosi fuimus, nec minus in exsecando diligentes. vt in dictionibus Græcis, latinarum ordini insertis, vel potius intrusis multas, quasi de alieno loco, migrare coegimus, exempli gratia, inter Latinas dictiones quæ locum habere potuit Catabathynus, aut Hodœdocus, aut Pseudonymus, & huiusmodi, quæ à Latinis scriptoribus Latinè pro exemplo adducta minimè reperias, quæ pròpemodum innumerabilia sustulimus, eodem iure quo Latina vocabula de Græco dictionario tolleremus. Et quoniam hoc volumẽ, ob variam infinitamque doctrinam, multorum per manus circumfertur: facilè futurum putaui, vt tibi à me inscriptum exiret, significationem multis daret amoris erga te mei: nam, vt omittam merita in me tua quæ nulla vmquam delebit obliuio, tui me

suauita-

suauitates ingenij, tua incredibilis humanitas, singularis probitas, eximia ad colendam virtutem animi propensio ad amandum alliciunt. non enim ideo mihi carus es, quia sis Venetæ Reipub. omnium amplissimæ, à secretis, aut qui nunc vnà cum viro clarissimo omnibusque virtutibus ornatissimo, Michaeli Suriano Legato, particeps & minister consiliorum omnium ad Philippum, Hispaniæ Regem, sis profectus: sed quia talem te præstas, vt & hæc tibi, admodum ampla, atque honorifica, munera iure deferantur, & egregijs animi tui bonis maiora quoque debeantur. Sit igitur hic liber & tibi, & reliquis argumentum benevolentiæ meæ testimonium iudicij grati vero animi non omnino quale velim, sed quale possum hoc tempore, monumentum. tu autem istâ preclaram in vos voluntatem conserua: &, quo instituisti cursu, per directam, maximéque expeditam, ac certâ litterarũ viam ad gloriam contende. quod ego quidem, qui tuos sensus, tuas ad laudem impetus optimè teneo, ita opto, vt sperem; ita spero, vt futurum mihi persuadeam. idque etiam reliquis prædicare non desino. Venetijs. 1558.

AD MICHAELEM CHISLERIVM CARDINALEM, IN LIBRVM DE LOCVTIONE DEI, ACADEMIAE VENETAE NOMINE. 22

RERVM humanarum consilia exitus, quàm varia sint hominum consilia, declarant, quod si quis bene cogitat; sequitur, vt idem laudabiliter agat, rectè autem agentem, nihil vmquam frustrabitur, nihil fallet. Decet igitur nos optima spe niti, admodumq; firma, quibus in copienda atq; instituẽda

Academia noſtra, nihil, præter Dei gloriam, & communem hominum vtilitatem, propoſitum fuit, Neque vero actiones noſtræ, vt ſperamus, eiuſmodi erunt, vt hanc ad optimas res animorum noſtrorum incredibilem propenſionem ambiguè aliquis interpretari, aut in dubium reuocare poſſit. apparantur quotidie ſumma cura, & edentur à nobis diuina doctrina referti. qui pietatem, ac religionem complectuntur, illuſtres libri & interim, quaſi ſpecimen quoddam, aut pignus noſtræ voluntatis, egregia quædam locutione Dei, ab excellenti viro conſcripta, pijs mentibus, ac ſacrarum litterarum, id eſt veræ gloriæ, ſtudioſis communicanda cenſuimus, quæ duabus maximè de cauſis, præſtantiſſime vir, tuo nomine decuit eſſe inſcripta, primum: quòd ſuſcepto Academiæ noſtræ patrocinio, nihil prætermittis, quod ad eam ornandam, augendamque pertineat; & nos, quæ à te officia proficiſcuntur quibus animis, quàm libentibus. quam gratis accipiamus, aliquo item officio tum ipſi tibi, tum ceteris omnibus indicatum, maximéque perſpicuum eſſe cupimus: deinde, quæ de Deo loquuntur, ad quem potiùs mitti æquum fuit, quàm ad eum, qui diuina ſtudia in omni ſuæ vitæ curſu, cunctis & opibus, & honoribus antepoſuit? qui cùm vniuerſam de Deo, diuiniſque, rebus doctrinam accuratiſſimè quæſiuit, tum vero cum ipſa doctrina vitæ rationem coniunxit, &, vt omnes rectam, ſalutaremque viam tenerent, aut, qui diuerterant, in eam reuocarentur, ſtudio conſilio, monitis auctoritate contendit. nihil obſcure fama loquitur de tuis virtutibus. nihil de te aut exiguum, aut dubium affertur. patent multis, ac certiſſimis argumentis eximia tua in Chriſti Eccleſiam merita: colunt te omnes ob doctrinam: imitantur

multi

multi ob integritatem : amant ob humanitatem, maximéque ob rectam, ac simplicem naturam, ab omni luco omnique fastu longissimè remotam. præconem verò tuarum laudum omnibus horis audimus eum, qui summa ipse laude dignus est, Fredericum Baduarium, auctorem & conditorem, Deo duce, Academiæ nostræ : cui quidem viro tum vitæ probitas, tum ex assiduo studio doctrina, & ex diuturno rerum vsu prudentia fidem, atque auctoritatem in omni sermone conciliat. ipso igitur non modò approbante, verùm etiam hortante, præclarum de Deo libellum, grauem sententijs, illustrem verbis. ad te mittit, tuóque dicatum nomini cum omnibus gentibus Academia nostra communicat. quæ cùm se tibi, suo primùm iudicio commota, tuis deinde meritis impulsa, penitus addixerit, eandem obseruantiam in omni vita præstabit, &, vt eam futura quoque gentes intelligant, ipso, ad quem omnia referimus, summo Deo opem ferente, aliquo merito consequemur. Tu interim, quando iam hoc tribuisti humanitati tuæ, vt nos susciperes; tribue idem constantiæ, vt susceptos tuearis, ac foueas; ita tamen, si nos, tuo præsidio, ac studio dignos, id est, nostra ingenia, in optimis artibus exercentes, nostrásque voluntates ad vnam virtutem dirigentes, & audies, & re ipsa cognosces. Venetijs. 1558.

AD ANTONIVM CARLONEM ALIFARVM PRINCIPEM, IN SANNAZARII POEMATA. 23

VT est præclarum, ornatissime Princeps, in arte poetica excellere: sic ea cognoscere, quibus ad illam laudem perueniatur, maximum quiddam, ac difficillimum est, fallitur enim, si quis absoluti poetæ

partes in eo positas arbitratur, vt cũ metienda, carminis rationem optimè perceperit, cum elegantissimarum vocum supellectilem quasi quandam sibi compararit, addo etiam, cùm materiem animo comprehensam ordine quodam atque artificio distinxerit, hisce rebus tamquam egregiè munitus adscribendum se conferat. grauiora sunt, quæ requiruntur, & ex abditis plurimarum artium ac doctrinarum fontibus haurienda. nam cum eius consilium, qui hoc in genere elaborat, vel inprimis id spectare debeat, vt, voluptati versuum vtilitate sententiarum admiscenda, nihilo minus lectorem moneat, quàm oblectet, monita vero illa plerumque necessaria sint, vt in vitiis summam turpitudinem in esse, virtutibus summam gloriam, ostendatur: quo modo hoc fine philosophiæ cognitione prudenter ac perite poterit efficere? Iam, si res exigat, vt aut de cæli stellarumque ratione, aut de regionum terrestrium ac maritimarum situ dicendum sit: certe hos locos non potuerit, nisi qui Astrologiam & Geographiam attigerit, commodè tractare. itaque, si quis huius facultatis studium eo complexus animo est, vt aliquando, quæ litteris mandare studuerit, ea se speret veluti pictorem egregium, omnibus artis coloribus illustraturum, is omnium fere disciplinarum scientiam, quæ ad bene beateque viuendum pertinent, ne prorsus ignorer, necesse est. Quod si ad assequendum poetæ nomen vbertatem illam ingenii á natura datam satis esse putat, atque hac tua instructus, facile audet canoros illos quidem rerum tamen inanes versus vel domi pangere, vel in triuiis ad populi aures effundere; statim ab intelligentibus explodituꝛ, neque solum imprudens aut parum vere cundus sed etiam plane stultus, ac temerarius habebitur.

Quo

Quo minus est mirandum, si, vt hac arte præstarent, quàm pauciſſimis contigit, cum in omni præterea liberalium doctrinarum genere plurimi semper floruerint. Sed egregiorum poetarum multo etiam maiorem hac nostra tempestate, quàm priscis temporibus, penuriam esse constat: siue quod sæculi felicitas illa fuit: siue quod equidem magis existimo, quia non ijsdem, quibus olim, præmijs ad virtutem nunc homines excitantur. Eorum autem, quos in hoc genere præstantes cognouimus, sine controuersia primum locum obtinuit vir eximius, & omni laude cumulatus, Iacobus Sannazarius: cuius ingenij monumenta non vetustas, non oblivio delebit vlla: vt ex tot Regum triumphis haud paullo clarior quam ex vnius hominis doctrina atq; ingenio, Parthenope sit futura. Hoc autem, Princeps egregie, tui muneris fore totum est: qui, cùm ad summam generis nobilitatem etiam optimarum disciplinarum scientiam adiunxeris; tamen hæc per se, nisi accederet studium de posteris bene merendi, quasi minima iudicans, quæcumque á doctis viris mandata litteris, digna, quæ inter manus versentur existimas, in apertum vt referantur, maximopere contendis. Quo nomine ipsi præfecto Sanazarij manes tibi non vulgares gratias habent, cùm eos libros, quos ille moriens tuæ fidei commendaret, peruulgandos diligentissime curas. Qui verò ingenuarum artium studijs dediti sunt, ij se tibi tantum debere profitentur, quantum persolui nullo modo possit. itaque à me, qui eodem in ære sum, petere videntur, vniuersorum causſam vt suscipiam, tibique propter hoc officium, quid omnes de te & sentiant, & loquantur, aliqua ratione significem. Ego licet ipsa te rectè factorum conscientia contentum esse, nihil præterea requirere, exploratum habeam; tamen,

vt

vt eorum honestissimo desiderio ne desim, do me libenter in eam partem, in quam etiam mea sponte propendebam, & ad ostendendum non eorum modò animum, sed etiam obseruantiam & pietatem in te meam, hæc ipsa Sannazarij poemata, quæ nostris typis edenda curasti, nomini tuo dicata ad te mitto. Leges hic omnia, quecumque ab eo Latinè scripta nunc exstant. primum autem erit diuinum illud, quod ipse de partu Virginis inscripsit, opusculum: deinde Christi lamentatio: mox eclogæ quinque: quas tamen decem scripserat; sed, è Gallia reuersus, has tantùm, quas emisimus, & fragmentum illud, quod post Salices collocauimus, inuenit, reliquis, aut furto surreptis, aut per incuriam suorum, quibus eas discedens crediderat, amissis, sequuntur elegiarum libri tres, epigrammatum totidem. quæ omnia tuo inscripta nomini apparebunt, vt eius beneuolentiæ, quam Sannazario & viuo, & mortuo præstitisti, hunc saltem fructum percipias. Venetijs. 1535.

AD CAROLVM BORROMÆIVM CARDINALEM, IN D. CAECILII CYPRIANI OPERA. 24

MAGNA in molestia versor, Carole Borromæe, præstantissime Cardinalis, quod auunculo tuo Pio 4. Pontifice, cuius & benignitas, & sapientia, veterem dignitatem restituere bonis artibus facilè poterat, veteri sæpe cogor, ne publica incommoda, & aduersi communium temporum casus, cursum optimæ voluntatis impediant, maximique inter homines operis, atque pulcherrimi perfectionem desideremus. nec verò, vbi resideat tanti mali culpa, reperire difficillimum est. optimis rebus difficultatem

tatem afferunt vitia nostra, ita Deo permittente, vt aliquando resipiscamus. nam. si homines intelligerent, quòd tu optimè intelligis. Borromæie prudentissime, quanti sit, ac semper fuerit, ab vno Deo exspectare omnia, inania ducere, quæ à nostris consilijs proficiscuntur: primum illud consequerentur, vt lucundè viuerent, soluti molestissimis curis, quibus in omnium rerum affluentia ne magni quidem principes vacant: deinde, quæ metuere solemus aduersa, ea vel nulla vmquam acciderent, vel nullo statim negotio depellerentur, nunc aliter euenit. dum enim è nostris ingenijs, opibusque secundas res petimus, dum & magnificas ædes, & ingentem agri modum, & auri, argentique vim, quæ ne bona quidem sunt, sola esse bona credimus eaque consecuti, quasi nobis dati sint obsides perpetuæ felicitatis, ita nihil timemus incommodi, destitui sæpe diuino præsidio, iure plectimur, è maxima lætitia in maximos luctus, miseriasque conijcimur. vterer priuatis exemplis, nisi publica nimium etiam multa suppeterent. Vidimus, graui Christianæ Reipub, damno, ardentem diu ciuili bello Germaniam: cuius exitiosa discordiarum semina, mentibus iecta multitudinis imperitæ, principes ignari quid existere malorum posset, auctoritate, opibus, armis denique fouissent. inde sibi plebs infima, vt est cupido semper nouarum rerum, licentiam arbitratu suo viuendi, simulatione ac specie religionis, arripuit. ex eo nequitia primum, & incestus, deinde vis, rapinæ, cædes, quæque proposita impunitate nascuntur mala, possim consecuta sunt, pendent enim à diuinis humana iura, illa si contemnamus, hæc non facilè tuebimur: illa si labefectentur, hæc statim corruent. sublato igitur, qui per tot sæcula viguerat, summi Dei cultu, perturbata sacrorum rituum

vetere

vetere disciplina, locum suum retinere diutius nec honestas, nec pietas potuit: perijt fides, & omnis inopiæ sublevandæ consuetudo: illa vero, minimi pendentis humana omnia, vni Deo seruientis animi demissi, qua nulla magis hominem Christianum virtus decet, quæ tanquam hesperus, aut lucifer inter sidera, sic ipsa inter virtutes reliquas præcipuè fulget exstincta penitus est, tum & domestica bella. populis variè dissidentibus, exorta, & externis hostibus, Christiano semper nomini crudeliter infestis, ad vniuersorum perniciem patefactus aditus est, quoque antea tot ciuitatum, ac principum integræ vires, atque coniunctæ facile sustinere irruentes, ac repellere potuissent, nunc vt eorum impetum imminutæ, atque distractæ, ferre possint, sperandum vix est. Quid reliquæ prouinciæ? satisne valent, & alieno malo doctæ sibi cauent? immo quasi sit dolore voluptas, in exitio salus, ita se libenter in eandem flammam pleræque conijciunt. Vincere iam cœpit humanam medicinam morbus: proxima quæque corrumpuntur: neciam vllæ possunt aut artes hominum, aut vires tantam pestem à finibus auertere. Gallia quidem, opibus antea florentissima semper hostium religionis expultrix, sæpe inuadentibus Ecclesiam monstris inimica, nunc alienatis multorum animis, deformata domesticis cladibus, adspectu miserabili, pænè procliuis ad perniciem labitur, nec periculo vacant finitimæ gentes: quæ si forte, quod auertat diuina clementia, insanire cœperint, verendum est, ne malum erumpat, quod ferri non possit, nec verò nos, nisi præsidio nitamur innocentiæ, quo vno seruari possumus, & vincere, vel excelsa asperrimarum alpium iuga, vel amnes rapidi, aut munite arces, lectæque militum copiæ defendent, communibus remedijs communes depellun-

pellantur morbi: nunc, in extremum adducta discrimen salute publica, exquisitam quantam, & planè singularem curationem rei, magnitudo postulat, corrupta iam pridem vitæ ratio Deum offendit, eadem placabit emendata. huc igitur studia conferenda: huc intendendæ sunt curæ quod quamquam ad omnes pertinet, cùm in communi periculo commune officium requiratur: præcipuæ tamen eorum partes videntur esse, qui, summo in gradu dignitatis, atque honoris tamquam in specula, constituti, oculis patent omnium mortalium, vt nullum prorsus eorum neque dictum, neque factum obscurum esse possit. Quæramus, quarum rerum amore flagrauerint, aut quibus artibus aditum sibi in cælum aperuerint primi illi nostræ religionis antistites, quos ecclesijs moderandis præfecerat Deus: reperiemus eos tamquam in hac vita peregrinarentur, ita semper obnia quæque contemnentes ad cælestem patriam, optimique parentis Dei, qui nos ad se vocare numquã desinit, adspectum, amplexumque properasse, quàm multos è sacrarum litterarum monumentis, & ex memoria vetustatis licet eruere, quorum omnes vitæ partes eà quæ nos in malis ponenda censemus, paupertas, exsulium, carcer, mors denique illustrauerit: cùm sæpe in maximis incommodis atque adeo inter exquisitissima tormenta, corporis dolorem animi lætitia superante, quàm hoc suaue est dicerent, & immortali Deo pro tam insigni munere gratias agerent. Non longè abeamus. est ne quisquam, aut esse potest beato Cælicio Cypriano, cuius nunc emendatissima scripta emittimus, aut vitæ sanctitate, aut mortis constantia maior, & clarior? quẽ ille se gessit in omni vita abstinenter, & pie? in Episcopi autem officio, ac munere quam non attigit, immo quam non absoluit magno dignam præside virtutem

exstant

exstant de eo prodita litteris, æternæque confignata memoriæ præclara sanctorum hominum testimonia: sed in te nota, atque ante oculos posita, testibus non egemus. vitæ illius propè animatam imaginem in libris, quos reliquit, verissimis expressam lineamentis intuemur. quantus est in tuenda Ecclesiæ Catholico dignitate? quàm seuerus in retinenda vetere disciplina? quàm acer in condemnandis nouarum opinionum auctoribus, in contumacia insectanda, libidine comprimenda? quæ sententiarum grauitas, verborum vis, doctrinæ præstantia? nemo ita languet, aut ita friget in cupiditate summi boni, qui non excitetur, & quasi facibus admotis incendatur, cùm eius epistolas legit? Iam reliqua eius doctrina quos fructus affert, quàm vberes, quàm salutares? docemur exoriri calamitates omisso veri Dei cultu, hæreses digni Pontificis auctoritate compẽpta, qui virginitatem, & pudicitiam colat, ei proposita esse maxima in cælo præmia; qui Ecclesiæ præsit, aperto animo ac simplici esse oportere, prudentia tamen ita tectum, vt insidijs minimè pateat cõmunis inimici. planè omnes veterum philosophorum libri, præceptis referti comparandæ virtutis, si cum Cypriani sermonibus conferantur, inanes, & pænè pueriles videbuntur. Sumantur in manus, quæ de eleemosyna, ac benignitate litteris mandauit: statim omnes, si quæ residet in mentibus nostris auaritiæ sordes exhauriri, & infundi eximium erga pauperes amorem sentiemus. grauis est, & latè patet inuidiæ morbus: at hic rationibus egregiè curatur, ex intima Theologia de prõptis. Vexamur calamitatibus & ærumnis quibus proposita est hominum vita: præclaram audiamus Cypriani vocem ad patientiam cohortantis, exemplo multorum allato, qui nihil acerbum, aut malum præter culpam vmquam duxe-

runt,

runt, & cum illo immenſo ſempiternæ vitæ lucro libenter omnes huius exiguæ vitæ fructus commutauerunt. Exſtat etiam ad Martyres, primum, vt cum dolore pugnent, acerbiſſimiſque cruciatibus forti animo reſiſtant, prudens & pia cohortatio; deinde, quòd morte vitam quæſierint & ex hoſtibus Dei victoriam reportauerint, amoris & gaudij plena gratulatio. Neque vero aliter ſenſit, aut ſui diſſimilem ſe præbuit in extremo vitæ die: ſed, cum ita ſemper vixiſſet, vt obſcure, inglorieque decedere non poſſet, ita deceſſit, vt hoc vno vel obſcuriſſimam vitam illuſtrare poſſet. Multa prætereo; nec ſanè perſequi conor omnia; ne ſuſcediſſe hoc videar, vt Cyprianum debitis ornem laudibus: quod, vt ego ſentio, vel pro eius dignitate nemo, vel, ſolus ipſe præſtare poſſet. Verum hæc me commemoratio cum ipſa per ſe delectauit, tum quod in ea beneficij tui magnitudinem, & præſtantem ad bene merendum naturæ propenſionem agnoſcebam, qui totus in eam curam incubueris, vt omnia Cypriani ſcripta, mendis antea deformata, nunc in veterem illam integritatem, ac ſpeciem accerſito etiam Verona miræ veruſtatis exemplari, accurata doctorum virorum induſtria reſtituerentur, quo ſanè nomine, incredibile dictu eſt, quantum ſe tibi, omnes boni debere fateantur. quāquam neq; nunc primum, neque hoc vno tuos ad laudem impetus argumento cognoſcimus. Omitto illa ſuperiora, quale te præſtiteris in patria, qualem in Ticinenſi gymnaſio, cum nihil præter verum decus, verámque gloriam cogitans, Franciſco Alciato, ſingularis doctrinæ viro iuris prudentiam publicè profitenti operā dares. ſint hæc in tuis laudibus minima non quia, ſi ſpectentur ſola maxima videri non debeant: ſed minora maioribus obſcurantur: & auguſtior ille fuit priuatæ vitæ campus,

quam

quàm vt in eo tua virtus commode posset excurrere, itaque, Romam traductus ad publica negotia, parem facultati materiã nactus, dum te fingis quotidie ad exemplum sapientissimi Pontificis, auunculi tui, quotidie te ipsum vincis bene agendo, adiuuante naturam imitatione, quem admodum sine præstanti natura parum proficeret imitatio ab hac disciplina fluxerunt illa, quæ quàm pauci: contingant omnia ignorat nemo; in consilio grauitas, in laboribus patientia, nihil in potestate insolens, nihil in opum abundantia dissolutum, seueriſſimis omnia continentiæ legibus adstricta: vt ab eius personæ, quam sustines, dignitate numquam oculos deflectere, sed illud perfectum, absolutumque, decorum, cuius & studium, & splendor magna ex parte iam obsoleuit, assidue spectare videaris. iure igitur quotidie tibi summæ res à summo Pontifice committuntur, iure se in tuam clientelam, quasi portũ quendam in tantis horum temporum tempestatibus tutissimum, ac saluratem sperantes, conferunt omnes boni, tunm est, egentem patrocinio communem causſam susciperę; & opinari, quod auunculus tuus, imm ortalitate dignus, iampridem sibi persuasit, egregieque præstitit, duas maxime res à Principe, viro postulari. vnam, ne quid reprehensione dignum committat; in quo tu excellis omnium consensu; alteram, ne quid laude dignum præteruitat; quod aliquanto est optabilius, atque præstantius, nam, vacare culpa, est illud quidem, his præsertim moribus, egregium eiusmodi tamen, vt in priuati hominis conditione subsistat, ad principis ornamenta nõ perueniat. vera virtus actione gaudet; vim suam longè lateque diffundi, & propagari sua bona cupit; eoque ipso alitur. & augetur ceteræ enim res, cũ communicantur, minuuntur: ex virtute quantum

ad

ad alios manat, tantumdem ad ipsam accedit. Quæ tibi profectò sæpe in mentem veneunt; neque hæc meus cuiusquam oratio, quàm tu vita exprimis. me tamen cùm incredibilis quædam erga te obseruantia, vt Cypriani libros tibi inscriptos emitterem adduxisset, eadem impulit obseruantia, & perpetuus in ipsam virtutem amor, vt hæc scriberem, tibi enim, quamquam neque cohortationi tua bonitas, neque admonitioni prudentia locum relinquit, veruntamen, vt studio meo satisfacerem, liberales disciplinas commendare cupiebam: reliquis autem, qui hæc legent, quid ab excellentibus animi tui bonis sperari posset, significandum arbitrabar.

AD I. L. ATQVE EXCELL. IACOBVM BONCOMPAGNVM, IN ORATIONIS CICERONIS PRO ARCHIA POETA COMMENTARIVM. 25

CVM mihi tuæ primùm virtutis, ac dignitatis, deinde eius, qua me es complexus, benevolentiæ in mentem venit: (venit autem sæpissime) tibi quidem animo ac mente pro meo erga te singulari studio vehementer gratulor. ego autem vt eius felicitatis, quæ in hominem cadere possit, haud minimam partem assecutus, lætitia fruor tanta, quantum animus meus capere maximam potest. rursus cùm recordor, omnibus ad te quotidie honoris caussa confluentibus, quorum ego in te colendo atque obseruando nemini concedo, me vnum tribus fere mensibus ad te non venisse: quamquam intermissi caussas officij, vt opinor, habeo satis iustas, vel calores perpetuos, quibus maiores non memi-

nimus, vel ætatem, imbecillitatemq; meam; quarum altera quietem postulat; altera non modò postulat; verùm etiam flagitat; peccasse tamen mihi videor; & quasi excusationem accusatio vincat, ita sensibus angor intimis, & in grauissimo dolore versor. Atque hæc quidem aliquanto etiam acerbior cogitatio esset, nisi perspecta mihi & cognita naturæ tuæ facilitas, & singularis humanitas certam planè spem afferret, nihil mihi obesse apud te, nihil derrahere prorsus aut de amore tuo, aut de iudicio absentiam meam. quod quidem abs te, artium optimarum à pueritia studiosissimo, eo facilius debeo impetrare, quia non ego, vt alij, feriatus æstu maximo sum, non me languori, non inertiæ, aut desidiæ tradidi, nec rursus quibusdam voluptatibus, quæ cùm ab ætate mea, tum etiam à voluntate abhorrent, operam dedi, sed ad explanandas Ciceronis orationes ex instituto meo totus incubui. quid autem his tribus mensibus, quibus vacationem sibi quandam à negotijs plerique sumunt, ego in hoc negotij genere, omnium, vt arbitror, nobilissimo, præstiterim, cùm cuperem te intelligere, vt quasi rationem otij mei redderem, feci vt ad te mitterem non quas à quo die ad te veni orationes explicaui: ne molesta fortasse in magnis occupationibus, aut parum iucunda tibi copia esset, (decem enim illæ omnino sunt) sed vnam tantùm, eamque satis breuem, pro Archia poeta, sanè luculentam, & ornatam: in qua studia illa, quæ ab humanitate nomen acceperunt, quibus vterque nostrum mirificè delectatur, in cælum laudibus extolluntur. Equidem spero fore, vt, quemadmodum ego, cùm interpretabar, voluptate me perfundi maxima sentiebam; sic tu, cùm & ipsam orationem, & meam simul interpretationem leges, (simul enim vtramque mitto) non minorem animo volup-

voluptatem capias: quòd si ita erit, vberrimum tulisse me fructum industriæ meæ putabo: &, quod operis supereſt, ad id eo fiam alacrior, quo tibi magis, multas virtutes cùm litterarum gloria coniungenti, quàm ceteris, hæc ſtudia colentibus, placere, & probari mea ſcripta velim. Opto vt valeas, meque vt facis, perpetuò diligas. Ex ædibus, pridie Kalend. Octob. 1572.

AD EVNDEM ILL. ATQVE EXC. IACOBVM BONCOMPAGNVM IN HIPPOLYTI CAPILVPI VERSVS. 26

SAEPE mihi, clariſſime ac præſtantiſſime IACOBE, venit in mentem grandari, quòd Romæ ſim: non quòd vrbis ornamenta, & illa, quibus multorum oculi paſcũtur, antiquitatis miranda veſtigia me capiant, quæ tamen numquam contempſi: ſed quòd in ea ciuitate vitam agere, quæ otio, libertate, copia rerum omnium, omni denique virtute, virtutúmque principe iuſtitia floreat, & in qua hæc ipſa vel eadem perpetuò, vel etiam præſtantiora, GREGORIO 13. Pont. Max. fore videantur, ita iucundum eſt, vt ad ſummam felicitatem propè nihil deeſſe videatur. Hæc ego mecum ſæpe libenter cogito, multo etiam libentiùs, cùm illud addo, frui me beneuolentia tua, eſſe in clientela tam illuſtri præſtantis ingenio, honore, auctoritate iuuenit, ea nobilitate ornati, quæ vera demum nobilitas eſt, cùm ab vna virtute, ſummiſque erga remp. ſtudijs, ac meritis originem ducat. Nec vero, quæ meæ ſunt partes, ne me tanto bono prorſus indignum præbeam, eas, vt quiſquam iure deſideret, committo. quamquam etſim, diſpari fortuna, paria eſſe officia non poſſunt:

gratiæ tamen referendæ facultates multæ sunt. quarum illa fortasse non postrema: equidem ea vehementer delector; tueri memoria beneficium; commemorare, vbi locus est: cui debemus, eius causa velle omnia, præstare quæ possumus: denique non amore, non studio, non obseruantia deesse. Quid illud? non ad officium pertinet, atque adeo insigne quoddam officij genus est, eo de homine, à quo beneficium accepimus, quid alij sentiant, aut loquantur, in primis animaduertere, & eos, qui à certo sensu, veróq; iudicant, benevolentia complecti, qui obtrectant, & quibus rectè iudicandi facultatem adimit inuidia, ab ijs animum abducere, refellere falsa, vera prædicare? Sed hęc opinionum, & voluntatũ dissimilitudo, quam pauci effugiunt, in tuo statu ne accidat omnium florentissimo, tu quidẽ cùm alijs virtutibus, tum verò probitate, modestia, lenitate consequeris. vna omnium vox, vnus de tua laude sensus est quo tamen quisq; sapientior, aut eruditior, eo te magis & diligit, & laudat. qui cùm sint multi, ex eo tamen numero vidi in primis excellere magna sapientia, summa religione, moribus integerrimis Episcopum, poetica verò laude antiquis illis vatibus quàm simillimum, Hippolytũ Capilupum: cuius ego consuetudine, doctissimisq; sermonibus, si mihi quãtum per eius humanitatẽ licet, tantum per mea studia liceret, fruerer horis omnibus incredibili voluptate. interdum tamen vnà sumus: & quia certamus amore ergà te; ideo fit, vt eo magis inter nos amemus atque ille, totus at tuam amplitudinem, & gloriam incumbens, assidua suorum studiorum, tuarumque laudum prædicatione non contentus, cùm tuæ vitæ rationem luculentis quoque versibus explicasset eosque mihi ostendisset; in quo humanitatem, ac benevolentiam eius agnosco, iudicium,

quo

quo præstat, fortasse possum requirere: admiratus doctrinæ varietatem, singulari sermonis elegantia coniunctam, artémque miram cum præstanti natura ita contendentem, vt neutra alteram vincat, vtraque pariter excellat, putaui me commodè facturum, si, dum animi caussa propinqua loca ita peruagaris, vt à tuo comitatu Musas, elegantioresque litteras non disiungas, eos ipsos versus, nondum editos, & adhuc quasi parentis in sinu commorantes, euolare ad te sinerem mittente me. postulat enim hoc anni tempus, vt otium iucunda aliqua re fallatur. quòd si ad iucunditatem fructus additur: quid magis expetendum? at in hoc opusculo vtrúmque cognosces, optiméque perspicies: meum autem hoc officium, vt spero, vehementer probabis. Ego interim commentarios meos in Ciceronis Orationes, biennio ante inchoatos, hieme proxima superiore ad exitum adductos, perpolire conor, & ita corrigere, vt addam multa, nonnulla detraham, pauca quædam mutem. res est magni sanè laboris, mihi præsertim, numquam intermissa tot mensium opera iam defatigato, ac pænè confecto: sed addit vires Maximi Pontificis egregia benignitas, méque etiam, in præclaro munere pergentem antiquitatis illustrandæ, & eam, quam suscepi,

Spartam pro viribus ornantem,

posteri temporis haud

exigua spe sustentat. Vale.

FINIS.

BRITISH
16 AP 1905
MUSEUM

INDEX EORVM AD QVOS MISSAE SVNT EPISTOLÆ.

A

Alexandro Cristo. 273
Alfonso Caraffæ, Cardinali creato. 3
Aloysio Estensi, Cardinali creato. 267
Andreæ Antonino. 44
Andreæ Gostinio. 304
Andreæ Patricio. 177.178.237
Andreæ Siluio. 286
Andreæ Zebridouio, Episcopo Cracouiensi. 155
Antonio Augustino. 62.63.64.67
Antonio Furnario. 317.318.319.340.351.
374.414.415.416.463.472.473.
Antonio Merlo. 211
Antonio Merulæ. 341.372
Antonio Possevino. 38
Antonio Rolando. 256.441.
Antonio Verantio, Episcopo Agriensi. 153
Augustino Angelello. 381. 398.399.482

INDEX.

B

Bartholomæo Riccio. 60
Benedicto Accolto, Cardinali. 203. 205. 206
Benedicto Rhamberto. 67
Bernardino Mafæio, Episcopo creato. 24
Bosuito Nercio. 396
Brancondio Ophidano. 483

C

Cæsari Ferantio. 91
Cæsari Orlando. 479
Camillo Caetano. 458
Camillo Palæotto. 231. 323. 326. 351. 426. 428. 430. 445. 447. 449. 451. 452. 465. 466. 467. 468. 469. 471.
Carolo Borromæio, Cardinali. 358
Carolo Siganio. 259
Christophoro, Baroni Lobcouiczio. 376
Christophoro Madrutio, Cardinali. 34
Christophoro Ruso. 329
Christophoro Saxo. 298
Claudio Strambonio. 368. 410
Colæ Antonio Caracciolo, Marchioni Vici. 290
Pro collegio Canonicorum D. Petri, Sereniss. Reginis Austriis. 407

D

Decio Branealeoni. 315. 316
Dionysio Lambino. 281. 239

F

Fabio Stellæ. 70.71
Frederico Gallo. 250
Frederico Vinaldo. 378
Ferdinando Gasula. 330
Franciſco Cicereio. 431
Franciſco Gonzagæ. 37
Franciſco Luiſino. 27
Franciſco Mancino. 345
Franciſco Molino. 103
Franciſco Morando. 186.365.425.
Franciſco Plantedio. 371.403.
Franciſco Richardoto Epiſcopo Atrebaten. 277
Franciſco Robortellio. 277
Franciſco Varga, Caroli V. Imper. oratori. 46

G

Gabrieli Catiano. 25
Gaſpari Contareno, Cardinali. 202
Guiselmo Paccio. 220
Gulielmo Sirletto, Cardinali. 420.421

H

Hannibali Caro. 94.95.96.97
Hannibali Cruceio. 209.454
Henrico & Camillo Caetanis fratribus. 436.457
Herculi Ciofano. 400
Hieronymo Capræ. 443
Hieronymo Faleto, Herculis, Ferrarienſium Ducis

Ducis oratori. 48
Hieronymo Furnarino. 82
Hieronymo Lippomano. 39.42.44
Hieronymo Rubeo. 408
Hieronymo Seripando, Cardinali creato. 265
Hippolyto Capilupo, Episcopo Fanensi. 262
Hippolyto Estensi, Cardinali. 101
Horatio Cardaneto. 296.336.439.459
Horatio Morano. 461
Horatio Vrsino. 244

I

Iacobo Boncompagno. 442
Iacobo Falconio. 373.382
Iacobo Gorscio. 404
Iacobo Grisolo. 207
Io. Antonio Sereni. 292
Io. Antonio Turonco. 248
Io. Antonio Vulpio. 383
Io. Baptistæ Arcucio. 374
Io. Baptistæ Ianuario. 412
Io. Baptistæ Oliuo. 406
Io. Baptistæ Pastorio. 74
Io. Baptistæ Pignæ. 213
Io. Baptistæ Rosario. 254
Io. Baptistæ Rhamnusio Xuirum consilij a secretis. 131
Io. Baptistæ Saracio. 268
Io. Baptistæ Titio. 287.331

Ioannes Caselio. 337. 345. 353. 402. 433
Ioanni Craton: à Crafftheim. 391. 393. 394. 456. 474.
Io. Francisco Cõmenduno, cardinali creato. 328
Io. Francisco Cremonæ. 367
Ioanni Genuæ. 330
Ioanni Morono, cardinali. 417
Ioanni Sambuco. 199. 200 215
Ioanni Sario Zamoscio. 280. 284. 476
Ioanni Turritiano. 285. 288
Ioanni Vincentio Pinello. 160
Iulio Bellogrado. 264
Iulio Iusto. 307
Iulio Pogiano. 241

L

Lauino Torrentio. 83. 188. 234
Laurentio Gambaræ. 189. 218
Lazaro Bonamico. 219

M

Marcello Ceruino, cardinali. 21
Marco Antonio Ciofano. 460. 482
Marco Antonio Lombardino. 86
Marco Antonio Mureto. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 111. 112. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 123. 124. 125. 126. 128. 130. 260.
Marco Antonio Natta. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 146. 147. 248. 149. 150. 320.

Mario Corrado. 66.191.309.310.332.334.343.
369.
Mario Nizolio. 56.301
Martino Berzenicæo. 464
Matthæo Senarega. 423
Maximo Zabrera. 480
Machieli Sophiano. 211
Machieli Terriano, Cenetensi Episcopo. 150
Mucio Calino Episcopo Interamna. 346

N

Nicasio Casletano. 263.294.375
Nicolao Caetano Cardinasi. 389
Nicolao Gotio. 279
Nicolao Nathanaelo. 190

O

Octauiano Ferrario. 233.246.247.252.434
Octauiano Magio. 99
Octauio Sammarco. 343

P

Paullo Contareno. 29
Paullo Lupo. 379
Paullo Magnulo. 221.222.223
Paullo Manutio. 390
Paullo Sacrato. 270.322
Paullo Stempouio. 364.365
Paullo Tachono. 411
Petro Celso. 198
Petro Mafeio. 320

Petro Miſconio, Sarmatarum Regis conſiliario.
156.235.282.377.
Petro Perpiniano. 334.354
Pio 4. Pontifice creato. 227
Pio 4. Pontifici Max. 356

R

Rainutio Farneſio, Cardinali creato. 1
Romulo Ceruino. 35.183

S

Sebaſtiano Leoni. 84.224
Siluestro Aecobrandino. 275
Silnio Antoniano. 58
Stanislao Fogelustrio. 238
Stephano Saulio. 5.9.13

V

Vberto Folietæ. 477
Vido Fabro. 18
Vida Gualterio. 348
Vida Lolgio. 92
Vido Pancirolo. 263
Vincentio Giliano. 185
Vincentio Maccario. 366
Vincē. Riccio à Spe. 384.385.386.387.388.389
Vincentio Stellæ. 74.76

Z

Zerbino Ritio. 346
176.177.178.179.181.163.165.167.168.169.170.171
172.173.175.179.180.182.192.194.217.299

Epiſ-

Episcopo creato. 312
Scripsit hanc, rogatus à nobilissimo viro. 274
Scripsit hanc, à principe rogatus. 359
Ex libro de quatuor Rebuspub. 49
Proœmium libri de Magistratibus Romanis. 87

Index eorum ad quos missæ sunt præfationes.

Ad Alexandrum Cæsarinum Card. 500
Ad Alfonsum Carasam, Antonij, Marchionis Montis belli F. 520
Ad Aloysium Garzonium. 573
Ad Antonium Aelium, Polæ Episcopum. 537
Ad Antonium Carlonem, Allisarum Principem. 577
Ad Antonium Triultium, Card. 567
Ad benedictum Accoltum, Card. 494
Ad benedictum Rhambertum. 513
Ad Carolum Borromæum, Card. 580
Ad Carolum Pisaurum. 491
Ad Dicgum Hurtadum de Mendoza, Caroli 5. Imp. orat. 515
In librum Francisci Vargas. 575
Ad Gulielmum Bellaium Lanpeum, apud Subalpinas gentes Progem. 497

INDEX.

Ad Hieronymum Faletum Herculis Ferrariensium Ducis oratorem. 551

Ad Hippolytum Estensem, Card. 545

Ad Ioannem Monlucium Regis Gallorum oratorem. 508

Ad Ioannem Moruillerium, Regis Gallorum orat. 542

Ad Isabellam Villamarinam, Salernitani Principis coniugem. 556

Kalendarij Romani præfatio. 545

Ad Marcellum Ceruinum, Card. 520

Ad Matthæum Senaregam. 488

Ad Michaelem Christorium, Card. 575

Ad Paullum Rhamnusium. 562

Ad Rainutium Farnesium, Card. 523

Ad Torquatum Bembum, Petri F. 558.

FINIS.